JURIS ECCLESIASTICI

MAXIME PRIVATI

INSTITUTIONES

COMMODA NOVAQUE METHODO ADORNATAE

QUIBUS ET DISCIPLINA HUJUS REGNI EDOCETUR
ET DOGMATA IPSA RELIGIONIS PASSIM VINDICANTUR

AUCTORE

RAPHAELE PECORELLI

PRESBYTERO NEAPOLITANO

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ORDINARIO PROFESSORE
ET IN REGIA UNIVERSITATE SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO

VOLUMEN III.

DE REBUS.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA XAVERII GIORDANO
1844.

ANTELOQUIUM

Res ecclesiasticae alterum juris universi objectum sunt, ad quod gradum facimus postquam de personis jam disseruimus. Harum nomine quidquid a Religione consecratum, administrationi, curae, usui Ecclesiae potissimum reservatum venit; modo non sint personae, nec ecclesiastica judicia, et duplicis generis a fine, cui deserviunt, sunt: *spirituales* ac *corporales* (a). Hae sunt quibus exterior Ecclesiae status, sacrorumque ministrorum sustentatio ac disciplina fovetur, omniaque ad Religionis usum comparantur (b). Spirituales dicuntur quae per se ad animarum salutem procurandam sunt institutae, quaeque ab his dependent omnino (c) Spirituales subdistinguuntur aliae incorporales quae tangi, seu sensu scilicet percipi nequeunt uti virtutes dona Dei etc. quorum tractatus apud Theologos, item jus eligendi, jus patronatus, immunitatis, privilegiorum de quibus egimus altero volumine et passim erit adhuc dicendi locus etc. Aliae vero corporales quae scilicet tangi possunt uti sacramenta altaria, vasa, et ornamenta Ecclesiae, monasteria, peculium clericale, fructus beneficii etc.

(a) Pro spiritualibus non intelliguntur quae tales quoad essentiam sunt, uti anima rationalis etc.; sed quae spiritui inserviunt, ad animarum salutem institutae, uti sacramenta etc.

(b) Ecclesiastica praedia aliquando spiritualia dicuntur c. 2. de judiciis, sed impropric, quod ad spiritualia referuntur eisque inserviunt.

(c) A spiritualibus distinguunt DD. adnexa spiritualibus et sunt ritus sacri, praedicatio, officia clericorum ceteraque religionis sacra, quae nefas est laicis attrectari.

Res spirituales quae corporales spectant, et quae apud priscos Jurisperitos res juris divini dictae in *sacras religiosas* et *sanctas* tripartitae sunt, (a) quas nec Canonici juris DD. minime abhorrentes usurpant potius, at non eodem sensu; sunt namque his *res sacrae* Deo et religioni consecratae, ut divinus cultus exerceatur, veluti aedes sacrae, vasa, et ornamenta. *Res religiosas* vocant proprie domus et loca quae auctoritate pontificia sive Episcopali instituta incolant regulares, aut viri aut virgines sanctiorem ducentes vitam, vel pauperes ut curentur ac aegri, vel ut fidelium cadavera sepeliantur (b). Sanctas dicere solent nedum integritate vitae aut caelesti gloria fruentes, sed et res quae animam nostram sanctificant ut sacramenta virtutes morales et justitiae opera; vel de his agentes uti leges, doctrina, vel quae ob Dei cultum violari nefas est.

Sacrarum ergo rerum spiritualium ac maxime corporalium argumentum explicaturi simul atque rerum temporalium, hoc volumen ut alia duo in duas dividemus partes, quarum altera de sanctis rebus dicemus, altera de sacris et religiosis disseremus dum spiritualium rerum tractatum expedimus, de corporalibus disserentes rerum Ecclesiasticarum tractatum ad exitum deducemus.

(a) *Sacras* definiebant quae divino cultui per legitimum ministrum sunt destinatae. *Religiosas* appellare mos fuit quas Religio occupavit, quo nomine ea loca usurpantur in quae cadaver jure illatum est. *Sanctae* denique res quas nefas est violari poena in violatores indicta, cujusmodi erant muri et portae civitatis, legatorum personae, leges, ita appellantur L. 1. 6. 8. et 9. De rerum divi. §. 7. et seqq. Inst. eod. tit.

(b) Oratoria privata, et xenodochia cetera id genus domicilia vel insciis, vel non probantibus episcopis aedificata, ut pietatem homines erga Deum exerceant, et pauperes. *Pia loca* vulgo dicuntur.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CONCLUSIO PRIMA

Sacramentorum natura expenditur, eorumdem effectus explanantur.

Sacramentum (a) novae legis (b) juxta Cathechismum Romanum est: signum sensibile gratiae invisibi-

(a) *Sacramenti* nomine tum profani, tum Ecclesiastici Scriptores usi sunt: alii pro jurejurando usurparunt, unde militare Sacramentum; *(Anth. Sacramenta pub. c. si adversus venditionem)* Alii pro arcano, ajente Paulo ad Ephesios *(V. v. 26.)*; *ut notum faceret Sacramentum voluntatis suae*, aut pro mysterio, ipso Apostolo dicente incarnationem Christi Jesu, *Sacramentum. (Ad Coloss. e. 1.)*

(b) Ex silentio Scripturarum et Traditionis, DD. censent primum innocentiae statum vel brevissimum, nullis usum fuisse Sacramentis. Sed continuo a Deo adjutam lapsam naturam sacris ac salutaribus signis et remediis nimirum, Sacramentis, externo fidei sacrificio etc. quidquid Juveninus contra sentiat. Legem vero Mosaicam quod spectat plura habuisse Sacramenta nullus est qui neget, nempe circumcisionem masculorum, ut signum foederis inter Deum et hominem; agnum pascalem; in azimis comestionem; Sacerdotum inaugurationem; victimarum oblationes; sanctificatorum variasque purificationes. Haec autem necessaria tantum Haebreis; nam sola obscura et aliqua fide mediatoris gentes salutem consequi poterant; et quia Christum venturum figurabant, ut fide in eum salvari ipsi Haebrei potuissent in Christi morte obligare desierunt, quibus Sacramenta novae legis subsequuti sunt, et Christum jam exhibent natum. Ita Augustinus. *(In Psal. 67.)*

Differre haec a Sacramentis antiquae legis docent Concil. Florent., et Trid. Ast in quo discrimen illud sit ponendum, theologis investigandum dederunt. Nec tamen negare quisque potest ab invicem differre quoad caeremonias, facilitatem, numerum, tempus durationis, et omnium maxime quoad vim gratiae conferendae; nam ex Eugenio IV *(In decr. seu instruct. Armen.)* et ip-

lis ad nostram justificationem divinitus institutum (a).

Rationes missas facimus, et argumenta, quae hanc definitionem adstruunt; nam late haec tractant Theologi; (b) nobis sat erit interpetrari eam, et primo quod dicitur *signum sensibile* quia nempe ex verbis et rebus coalescit, significantibus effectus ejus (c); habet enim unumquodque suas causas intrinsecas, quae post saeculum VIII ex Peripateticorum placitis materiam, et formam dici coeperunt. Has ipsas voces Apostolus expressit de Ecclesia dicens (1) *mundans eam lavacro aquae in verbo vitae*; et Augu-

---

so Trid. (*Sess. V. c. 8.*) Mosaica Sacramenta omnem conferendae gratiae virtutem ex opere operante habebant, merito scilicet fidei vel ministri, vel suscipientis; novae legis autem Sacramenta ex opere operato, seu virtute sua. De ratione horum verborum scholae, mox sermo redibit.

(a) Novatores qui sola fide justificari Christianos blaterarunt, huic haeresi alteram superstruerunt; justitiam scilicet sola diffidentia amitti: hinc hominem fide insignitum non legibus subjici, nec indigere Sacramentis, quae proinde dixerunt *signa* simpliciter *pignora symbola* ac *testimonia* non ad gratiam conferendam instituta, sed ad obsignandas potius conscientiis nostris Dei promissiones; esse nimirum rememorativa divinarum promissionum.

(b) Distingui oportet quid in sacramentis sit ex origine et institutione divina, quid ex traditione et ordinatione apostolica, vel Ecclesiastica descendat. Hinc quae in hoc argumento sive rerum sive personarum sive locorum spectant jus divinum, petenda sunt ex libris theologorum etiam polemicorum, ex collectionibus et commentariis sacrorum ritualium.

(c) Summa ratione sensibilia Deus selegit ut instrumenta essent quibus beneficia sua elargiretur; homines enim tantum fere rebus sensibilibus afficiuntur, ipseque res spirituales et divinae sine sensuum externorum ope vix intelliguntur ab eis: imo nec nisi visibilibus notis coalescit Ecclesia, dignoscitur: unde Sacramenta signa permanentia sunt illius gratiae, quae et Sacramentis ipsis permanet.

(1) *Ad Ephes. v. 26.*

stinus plenius explicavit cum inquit (1) *accedit verbum ad elementum et fit Sacramentum. . . . detrahe verbum et quid est aqua nisi aqua* (a)? Coeterum quod non tam res quam rerum usus sacramentum constituunt, materiam scholae distinguunt in remotam, et proximam; hanc usum rei ipsius; illam dicunt ipsam rem.

Adhaec *signum sensibile* dicitur *invisibilis gratiae ad nostram justificationem;* non enim omne signum rei sacrae est Sacramentum, sed illud tantum, quo significatur perfecta hominis sanctitas, gratia nempe sanctificans; nam de ratione Sacramenti est, usu suo sanctificare fideles, ac ab aliis distinguere (b): unde signum et permanens est, et stabilem institutionem habens, et usum pro statu durantis Ecclesiae, quod signo transeunte non fit (c).

(a) Duae ergo sunt partes Sacramenti *materia* et *forma.* Res sensibilis censetur concurrere per modum materiae eo quod res illa talis est ex gr. aqua, oleum. Actio vero exterior ex gr. ablutio unctio etc. cum sit valde indifferens et imperfecta ad significandum: verba sacramentalia dicuntur concurrere per modum formae, quia determinant significationem rei quae geritur et sic complent Sacramentum; etsi ex parte materiae etiam solet reperiri proportio quaedam ad id significandum, ad quod applicatur.

(b) Signum est Sacramentum tum sacrum, tum rei sacrae; ad rationem enim Sacramenti omnino necessarium ut significetur justitia simul et efficiatur. Signa revera sunt cruces imagines Sanctorum, sed non Sacramenta; quia significandi, non conferendi sanctitatem vis est in eis.

(c) Hinc linguae igneae super coenaculi incolis, insufflatio Christi in Apostolos, lotio pedum in ultima coena licet signa gratiae fuerint, nunquam Sacramenta; non enim signa fuerunt permanentia. Nec Sacrificium Sacramentum dici potest, quamvis enim sit etiam signum gratiae conferendae, non tamen ad homines sanctificandos primario fuit institutum, sed ad Deum colendum.

(1) *Tract. LXXX. in Joann.*

Hinc Trid. (1). « Si quis dixerit sacramentum no-
» vae legis non continere gratiam, quam significat,
» aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non
» conferre , quasi signa tantum externa sint accepta
» per fidem gratiae , vel justitiae, et sanctae quae-
» dam Christianae professionis quibus apud homi-
» nes discernantur fideles ab infidelibus anathema
» sit (a) ».

Verum omnium Sacramentorum est causare etiam gratiam sacramentalem juxta diversos fines ad quos ordinantur. Frustra enim esset tanta Sacramentorum varietas , nisi etiam foret diversus gratiae effectus per illa largitus. Est autem haec gratia jus quoddam ad specialia auxilia suo tempore , et loco percipienda pro exequendis actionibus sacramentalibus necessaria ex gr. Eucharistia ad actus caritatis, et devotionis quibus anima spiritualiter nutritur; quod jus amittitur ab eo, qui per mortale peccatum excidit a gratia sanctificante (b). Denique alter prae-

---

(a) Gratia operatur in omnibus Sacramentis sed non eodem modo. Baptismus namque et Poenitentia sanctitatem seu gratiam primam per se tribuunt, coetera justitiam per se augent et perficiunt seu secundam producunt gratiam ; etsi per accidens augeant quae Sacramenta restituunt gratiam , etc. contra. Utraque vero gratia ex meritis Christi , et virtute operis externi seu signi sensibilis a ministro rite peracti confertur , quod ex opere operato ut melius explicant Theologi dicitur conferri, qui scholae verbis utuntur diserte a Tridentino comprobatis cit. canone VIII ; quaeque Sotus aevo D. Thomae irrepsisse monet. lib. 4. sent.dist. 1. q. 3. art. 1.

(b) Distinguenda est gratia habitualis ab illa sacramentali. Primam omnia Sacramenta conferunt, hoc est donum illud gratiae sanctificantis , animae inhaerens per modum cujusdam habitus. Secunda est singulis peculiaris, et super gratiam sanctificantem addit auxilium quoddam speciale, ordinatum ad proprium finem

(1) *Sess. VII. de Sacrament. can. 1. 6. 7. 8.*

ter gratiam est effectus Sacramentorum, sed tribus tantum, et non omnibus communis, nimirum imprimere animae notam i. e. characterem spiritualem, et indelebilem saltem in hac vita (quidquid sit de controversia an in altera remaneat vita) et hinc iterari non possunt, ne Sacramento fieret injuria ait Augustinus (1). « Si » quis dixerit, ita definivit Trid. (2) in tribus Sa» cramentis baptismo scilicet confirmatione, et or» dine non imprimi characterem in anima hoc est » signum quoddam spirituale, et indelebile unde » ea iterari non possunt anathema sit (a) ». Hoc charactere homo distinguitur ab aliis, atque idoneus efficitur ad nonnulla quae sunt cultus divini i. e. in baptismo ad suscipienda deinde alia Sacramenta, in confirmatione ad fidem publice profitendam; in ordine ad ecclesiasticas functiones rite obeundas (b).

---

cujusque sacramenti; perinde gratia sanctificans cum tali auxilio speciali sibi correspondente in quolibet Sacramento dicitur sacramentalis.

(a) Ipsis peccatoribus ad Sacramenta hujusmodi accedentibus imprimi characterem diffideri non potest, qui in apostata et schismatico etiam manet: *Sed unde*, ait Augustinus *damnatur*, *non unde coronetur*; est enim gratia gratis data.

(b) Quaesito utrum character sacramentalis sit Christi character, respondit D. Thomas 3. p. q. XIII. art. 3. « Totus autem » ritus Christianae Religionis derivatur a Sacerdotio Christi; et » ideo manifestum est, quod character sacramentalis specialiter » est character Christi, cujus Sacerdotio configurantur fideles, » secundum sacramentales characteres, qui nihil aliud sunt, quam » quaedam participationes Sacerdotii Christi, ab ipso Christo » derivatae ».

Ast non ideo Christi character dicitur quippe illo insignitus ipse fuerit; nam ratione divinitatis suae excellentiori quodam modo caput Ecclesiae, Supremus dux et Summus Sacerdos a Patre de-

(1) *C. quod quidam 97. l. 9. 1.*

(2) *Sess. VII. c. 9.*

Restat ut divinam institutionem habeant. Natura namque sua signum hujusmodi non potest esse gratiae sanctificantis, nec ex institutione hominis. Revera *quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?* Nemo ergo potest gratiam sanctificantem sacramentis largiri nisi sua infinita virtute Deus (1). Unde Apostolus ait (2). *Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores misteriorum Dei.* Quod et Trid. definivit (3). Nec immerito dixit Apostolus *ministros Christi*; qui etiam ut homo potest dici auctor Sacramentorum 1.° quia ex condigno promeruit ut gratiam largiretur. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* jam praedixerat Isaias. Unde sanguini suo tribuitur sanctificatio hominis, *sanguini Redemptionis* ideo in scripturis dicto *propitiationis*, *ablutionis*, *aspersionis*, et *testamenti*. 2.° Ratione hypostaticae unionis, ob quam potestatem excellentiae habuit, unde tum leges ferre; tum gratiam dare, tum promittere ejus est, juxta illud Matth. (4). *Data est mihi omnis potestas.* Hinc recte Trid. Christum Sacramentorum institutorem dixit (5) (a).

---

signatus fuit, nec indiguit charactere, qui imperfectionem quamdam subjecto cui inest supponit: cum sit participatio quaedam Sacerdotii Christi, supponens illum, cui imprimitur esse membrum, aut militem ant ministrum, respectu alterius superioris capitis.

(a) Ipsi haeretici qui numerum vexant Sacramentorum auctorem non offendunt. Theologi in istitutionis modo sunt discordes, alii aliquorum Sacramentorum institutionem non per sese et im-

(1) *D. Thom. cit. loc.*
(2) *l. Cor. IV. 1.*
(3) *Cit. Sess. VII.*
(4) *C. ult.*
(5) *Cit. Sess. VII. c. 5.*

CAPUT II.

DE MINISTRIS SACRAMENTORUM.

CONCLUSIO PRIMA.

Minister Sacramentorum distinguitur, quaeque requiruntur ut valide det Sacramenta exponuntur.

Accedunt verba ad elementa et fit Sacramentum, non quod naturaliter signum sint, et causa infallibilis gratiae; sed quatenus a Deo assumuntur ut instrumenta justificationis; patet ex praecedenti conclusione, ergo Sacramenta non sunt, cum a quocumque illa verba, et elementa adhibentur sed, tantum ab eo cui Deus concessit (a). Revera dicens quis claudo alicui *surge et ambula* nihil efficit nisi a Deo assumatur ad illud faciendum. Hinc *idoneos nos fecit ministros novi testamenti*, ait Ap. (1), *ministros, et dispensatores mysteriorum*

mediate a Christo factam dicunt, et omnium maxime confirmationis, et extremae unctionis; sed per Apostolos aut per Ecclesiam faciendam reliquit: alii et communius cum scolasticis fere omnibus contra docent. Utrum vero in genere materiam et formam a Christo, in specie ab Ecclesia, vel ab eodem Christo definitam, sed in individuo tantum ab Ecclesia, adhuc contravertitur inter DD. quamvis Bellarminus prae ceteris ad fidem hoc argumentum pertinere sentiat praesertim post Trid.

(a) Nonnisi ipsum systema Protestantium nullam aliam vim Sacramentis tribuens, quam fidem excitandi, Luterum praecipi tandem impulit ut assereret quemvis etiam laicum ministrum esse validum Sacramentorum, imo etiam foeminam, aut ipsum diabolum. Qui omnes subdit et sine intentione et quamvis mimice ac illusorie utcumque administrent, recte dixit vaferrimus et valide administrant.

(1) *Cor. II. 16.*

Dei (1). Et ad Hebreos scribens (2) *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (a).

Primarius Sacramentorum minister Christus est juxta illud Joannis (3) *Hic est qui baptizat.* Secundarius, et ordinarius primo loco est Episcopus minister omnium Sacramentorum, intuitu officii et curae spiritualis ei a Christo demandatae. Jure ordinario et perpetuo secundo loco Parochus, omnesque curam habentes, exceptis confirmatione, et ordine ex Trid. (4). Caeteri Sacerdotes sunt etiam ministri ubi necessitas urgeat, vel quoties ab Episcopo, aut Parocho facultatem obtinuerint, eamque revocabilem, jure delegato, et extraordinario. Laicis semper nefas hoc ministerium. *Non est tui officii Ozia*, sic dictum fuit laico huic, *ut adoleas incensum Domino, sed Sacramentum hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi mysterium. Egredere de Sanctuario*: tantum deficiente presbytero et clerico, periclitantes baptizant, nisi forte excipiatur matrimonium de cujus ministro controvertitur. (b).

(a) Nec nisi quia a Deo Sacramenta vim suam habent, qui ea instituit, et ministri non sunt nisi designati ab illo, infideles et haeretici quamvis ministri possunt valide administrare eadem, modo ritum a Christo Domino praescriptum observant. Infideles quidem nondum baptizati solum baptismum: haeretici Episcopi vel Sacerdotes licet notorii, degradati, suspensi, interdicti publice denuntiati, ac nominatim excomunicati coetera Sacramenta etiam valide possunt conficere excepto illo poenitentiae respectu excommunicati vitandi ut suo loco dicetur.

(b) Omnes ministri et Sacerdotes Ecclesiae Catholicae a Chri-

(1) *Cor. IV. 1.*

(2) *C. 5.*

(3) *C. IV. 33.*

(4) *Sess. XXIV. de reform. c. 13.*

CONCLUSIO SECUNDA

Ex Parochis administer Sacramentorum est ille domicilii vel quasi domicilii.

Precipuum inter Parochi jura est illud uti dictum fuit, Sacramenta administrandi (1). At non omnibus Parochus omnis; sed iis tantum quisque Parochus Sacramenta administret qui domicilium habent et habitationem intra fines suae Parochiae; jurisdictione enim ordinaria opus est illis ut administrent illa, et omnium maxime in eos qui matrimonium contrahunt. Ita Bened. XIV (2). Imo ex decretis S. C. proprius judicatur Parochus, contrahentium matrimonium, in cujus Parochia, sponsi vel ambo vel alter, aut altera verum et firmum actu domicilium habet (a) Transferentes autem domicilium alibi

---

sto vocati censentur ad honorem ministerii hujus, et ab illo saltem mediate ordinati, ex ejusque ordinatione auctoritatem ad idem ministerium sortiti. Quia Praesbyteri et Diaconi ab Episcopis ordinem acceperunt, et hi ab aliis Episcopis, et hi rursus ab aliis et sursum versus ascendendo venient ad Apostolos qui proxime a Christo potestatem pasticipant. Hinc nisi fures et latrones habendi qui per vitium ingressi non sunt sed furtive irrepunt, aut violenter irrumpunt assumentes sibi honorem ministerii ad quod a Deo vocati non sunt.

(a) Domicilium quamvis aliude recentissime translatum non impedit quominus Sacramenta possint libere recipi: a quo enim die domicilium quis assumit, Parochi ejusdem loci jurisdictioni subjicitur. Ipsumque matrimonium, ex Trid. sic recte contrahitur quia coram Parocho proprio contrahitur, nempe illo in cujus Parochia alteruter sponsorum domicilium habet; sive illo in cujus Parochia tempore contracti matrimonii alter contrahentium moram facit, quippe juxta vulgarem et communem modum loquendi, ibi domicilium habere, ubi habitare censetur. Notandum

(1) *Tom. 2. Concl. 2. cap. XV. pag. 520.*
(2) *Notif. 53. n. 6.*

quamvis mala fide ad declinandam jurisdictionem proprii Parochi possunt ab illo novi domicilii sacramenta recipere ex S. Cong. definitione, quod probavit Urbanus VIII confirmavitque Bened. XIV (1) qui ait: « Ubi incolae alicujus loci ad alium se » transferunt ubi Concil. Trid. decreta circa ma- » trimonium non fuerunt promulgata, eo solo ani- » mo ut sine Parocho et testibus contrahant, si ve- » ro transferant validum esse matrimonium, si ve- » ro non mutant habitationem si fictitie domicilium » transferant, non esse validum uti ex declarationi- » bus constat plurium S. Congregationum (2) ».

Re quidam vera laicis nulla lex est qua adstringuntur, ne a jurisdictione sui Episcopi, vel Parochi se amoveant.

Adhaec si quis duplex in diversis Parochiis domicilium revera citra fraudem retineat, coram alterutro Parocho, matrimonii Sacramentum inire potuerit (a). Si vero domicilium servet in aliquo

---

interim quod etsi ex praecepto adhibendus sit Parochus illius contrahentis in cujus Parochia matrimonium celebratur; sufficit ad valorem, si alterutrius Pastor adsistat. Ita Cong. Card. apud Bonac. (*q. 18.*). Quodque Bened. XIV. comprobavit (*cit. Notif. 33. n. 5.*) et S. Congr. declaravit (*ann. 1573. et 74. apud Fagnan. l. 4. in c. Quod. nobis de Claud. desponsat.*) Ex quibus Papa approbante colligitur, valere matrimonium in Parochia mulieris coram Parocho viri, et e converso. Imo etiam extra suam Parochiam vel dioecesim; quia hic est actus non jurisdictionis contentiosae, sed potius potestatis assistendi ut Testis. At tunc nuptiae benedicendae sine licentia non erunt. (*Sanc. 1. 5. Disput. 19.*)

(a) Ex gr. in hyeme habitaverit in uno loco, estate in alio, aut indifferenter modo in alio, in alio se stiterit modo, dummodo aequaliter in utroque. Secus si rus itur causa recreationis aut ru-

(1) *Bened. ad Episcop. Goanum.*

(2) *Vide P. Zachar. apud. Croix l. 1. p. 3. n. 717.*

loco, sed per majorem anni partem, aut plures annos in altero habitat potest Sacramenta excipere, annuam confessionem facere et nubere in loco domicilii ex Benedicto XIV (1), qui supponit liberum esse cuique contrahere coram Parocho domicilii, licet alibi quasi domicilium habeat.

Demum domum habentes, quae partim ad unam, ad alteram partim parochiam pertineret, in alterutro loco matrimonii Sacramentum recte reciperent: ita DD. (2) (a).

Quod vero quasi domicilii Parochus etiam proprius sit minister Sacramentorum, patet contra aliquos; nam per quasi domicilium quisque fit parochianus loci ubi habitat, ut expresse jus dicit (3) (b).

---

sticationis pro negotiis ex decr. S. Congr. apud Bened. XIV (*Notif. 33. n. 7.*) Vides hinc existimatione vulgari et loquendi modo dependere ut definiatur, ubinam quis domicilium dicendus sit habere, coram Parocho loci matrimonium valide contrahere queat. Et quidem in particularibus casibus ex circumstantiis concurrentibus facilius, et securius id determinari potest, quam per generalem aliquam regula definiri aut describi.

(a) Habentes in diversis Parochiis domicilium, utrisque proclamanda sunt banna, et expetendus Parochi consensus vel Episcopi dioeceseos ad quem contrahentes pertinent, quem consensum Parochus censetur dare mittens attestationem de bannorum proclamatione. Ad validitatem tamen S. Congr. saepe respondit sufficere praesentiam unius Parochi, etsi ille consensus deesset ut ostendit Bened. XIV (*In 11. XXXIII.*)

(b) Contrahitur quasi domicilium habitando vel cum animo permanendi alicubi non per transitum sed per majorem anni partem. Ita DD. qui ajunt ex communi sententia sufficere ad contrahendum domicilium habitationem per aliquam notabilem anni partem causa alicujus negotii puta, ad studendum, vel exercendum officium Judicis, Medici, Professoris, famuli etc. Quod confirmat

(1) *Cit. loc.*
(2) *Laiman Bonac. et Sanchez comm.*
(3) *C. fin. de Paroch.*

Hinc confugientes causa belli ad aliquam Parochiam jam hujus dicuntur Parochiani, etiam quoad ipsum matrimonium communius et probabilius tenent DD. ait S. Ligorius (1).

Quod si in fraudem quasi domicilium assumant Parochiani, ut nempe illud proprii Parochi, et etiam Episcopi declinent, S. Congr. Concil. sic contracta matrimonia valida declaravit modo verum fuerit quasi domicilium ut refert Fagnanus (2), et idem laudatus Bened. XIV confirmat (3) (a): sed saltem postquam per mensem unum habitaverit, sic quasi domicilium habens, uti antea dictum fuit de domicilio quoad matrimonium.

Hoc a fortiori dicendum quantum ad alia Sacramenta: quia ut observat Fagnan. cit. loco is dicitur proprius Parochus in matrimonio, qui in *omnes utriusque sexus* proprius sacerdos dicitur ad confessiones audiendas.

Verum quia semper supponitur in decretis supradictis voluntas acquirendi quasi domicilium vel domicilium. Hinc definitum a S. Congr. (4) alieni-

---

Bened. XIV (*Notif. 23. n. 6.*) et addit ad Sacramentum matrimonii requiri saltem ut habitatio fuerit per mensem integrum, etiamsi conjuges postea ibi non permaneant.

(a) Ubi validum declaravit matrimonium cujusdam puellae quae in fraudem declinavit Parochum sui domicilii, et post mensem integrum habitationis, alibi coram ejusdem loci Parocho celebrato matrimonio inde discessit.

Hic non abs re animadvertimus cum DD. gravissima incommoda occurrere si expetendum foret utrum in fraudem an non quasi domicilium illud habeatur.

(1) *L. VI. Tract. 6. de matrim. n. 1091.*

(2) *in C. significat.*

(3) *Cit. brev. ad Ep. Goan.*

(4) *Ann. 1707 apud Bened. XIV.*

genas in carceribus detentos ibi contrahere non posse, nisi sint ad carceres perpetuo, vel ad tempus damnati. Quod et dicendum de aegris, qui in hospitalibus curantur; nisi urgeat necessitas et non adsit tempus probandi statum liberum; quem constet oportet si convaluerit, aliter nequeunt consummare matrimonium ex laud. Pontif. (1).

Contra autem de puellis expositis quae in Conservatorio degunt; nam valide coram Parocho loci eas contrahere declaravit S. Congr. (2) etsi coram Cappellano loci non possint. Quod ex consuetudine valet de aliis puellis, quae in Conservatoriis degunt, a quibus alimenta et dotem recipiunt. Educandae tamen in monasteriis coram Parocho domicilii Patris, vel Matris, vel Fratris si adsit contrahant oportet: his deficientibus coram Parocho loci monasterii. Hoc et de famulis in hominum domibus degentibus intelligitur.

CONCLUSIO TERTIA

Vagis et peregrinis minister Sacramentorum declaratur, quid de militibus dicendum aperitur.

Et quoad vagos (a) praesertim relative ad matrimonium, istud coram quovis Parocho valide contrahunt, quamvis alteruter sponsorum tantum sit vagus. Ita communis DD. et ex Bened. XIV (3). De quo ta-

---

(a) Vagus dicitur qui nullibi fixum habet domicilium vel quasi domicilium. Peregrini qui extra territorium ubi domicilium habent, transeunt ad breve tempus per alium locum.

(1) *Cit. loc. n. 12. et 17.*

(2) *22. April. ann. 1651. apud Bened. XIV. n. 14.*

(3) *Cit. brev.*

men matrimonio S. Trid. Synod. ita providet (1). » Sunt qui vagantur et incertas habent sedes; et ut » improbi sunt ingenii, prima uxore relicta, etiam » et plerumque plures illa vivente diversis in locis » ducunt. Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere. » Parochis praecipit ne illorum intersint matrimoniis, » nisi diligentem inquisitionem prius fecerint, et re » ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi » obtinuerint ». Utrum vero validum sit matrimonium si negligat Parochus licentiam Episcopi expetere, aliquibus contradicentibus, pro validitate stat communior DD. sententia (a).

Peregrini accipiunt Sacramenta ubi actu habitant ex consuetudine, sed qui ex causa, et exiguo tempore domo absunt, ac eo fine veniant alibi ut in eo loco Sacramenta recipiant statim reversuri in eandem suam domum communiter non licet absque consensu Parochi eos admittere ad confessionem et comunionem annuam vix enim aliter ullam applicationem lex Concil. Lateran. haberet. S. Carolus sic mandat (2). «Advenas et peregrinos quos intra parochiae suae fi- » nes brevi tempore in dioecesi morari contigerit, » audire Parocho liceat etiam tempore paschali, ni- » si forte de industria eo accesserint, ne in paro- » chiali Ecclesia Eucharistiam sumant ».

(a) Vide Collet Tract. dispensation. n. 202. Animadvertendum tamen est quod in instructione Inquisitionis generalis coram Clemente X edita (*die 21. Aug. 1670.*) praeceptum fuit fidem Ordinariorum, alia quae documenta non admittenda in hoc matrimanio vagorum, nisi munita sigillo et legalitate Episcopj Ordinarii recognita saltem per testes qui habeant notam manum et sigillum. Et attente consideretur quod fides et testimonia bene identificent personas de quibus agitur.

(1) *Vide Barbosa de officii Parochi.*

(2) *Synod XI.*

Quoad vero matrimonium patet ex dictis concl. anteced. ubi de Parocho dictum fuit domicilii vel quasi domicilii (a).

Restat dicere de militibus qui etsi generatim sortiantur Parochum ejus loci ubi stationis vel praesidii causa commorantur et domicilium inivisse praesumantur (1) hoc in regno ex Bulla Bened. XIV quae incipit: *Convenit* (2) ultimo concordato (3) ad usum comprobata, milites matrimonium coram Parocho loci debent cum interventu Regii Cappellani militaris celebrare: praeterquam commorantes in Regio Palatio, et viridario, aut Darsena, aut in castris clausis cum Neapolis tum Bajae, et Hischiae omnibusque aliis locis Regio Cappellano majori subjectis, qui suas rite nuptias celebrant coram Parocho tantum Regio: et qui actu sunt in expeditione contra hostes ex militaribus copiis tum Regis nostri propriis, quam auxiliaribus extra stationes et praesidia coram suae legionis Cappellano.

Episcoporum immediata jurisdictione in tota Dioecesi jam vindicata (4) facile est inferre jus eorumdem committendi invito etiam Parocho alium Sacerdotem ad Sacramenta administranda (5). Rationes

---

(a) Quoad Italo-graecos Bened. XIV definivit (*Const. etsi Pastoralis 57. §. 8. tr. 11. t. 1. Bullarii*) ut matrimonium inter maritum latinum, et graecam mulierem coram Parocho latino contrahatur: verum inter graecum maritum et mulierem latinam posse contrahi vel graece cum graeco Parocho duobus vel tribus praesentibus testibus, vel latine coram latino Parocho, ubi cumque :.aritus voluerit graecus.

(1) *Ex l. haeres absens §. proinde D. de judiciis.*

(2) *n. 3. et 10.*

(3) *ann. 1818.*

(4) *Concl. VII. art. 11. Cap. X. pag. 405. alterius tom.*

(5) *Sess. V. c. 5. de reform.*

*

Vicariorum in divinis qui supplent Parochos ad idem ministerium nec missas fecimus probante tamen Episcopo (1) (a).

His praemissis videre restat quiliter Parochus consentire debeat ut alius Sacerdos conferat Sacramenta.

Et primo *consensus praesumptus* vel *spes* fundata *ratiabitionis* non sufficit in iis Sacramentis, in quibus ad valorem actus requiritur aut jurisdictio ordinaria, aut delegata specialis, quia ea praesumptio non confert jurisdictionem; nec *spes* ratiabitionis, quia in illis non habet locum effectus retrogradus. Non sufficiunt ergo pro matrimonio, et communione annua.

Barbosa (2) Sanchez et alii DD. sufficere interdum *consensum praesumptum* aut *spem ratiabitionis* supponunt in coeteris Sacramentis ex gr. in baptismo Eucharistia Extrema unctione, et in poenitentia si ab Episcopo collata sit jurisdictio: quia in istis consensus Parochi velut conditio ad licidita-

(a) Praeter duo praecipua sacra munia quae specialem delegationem missionemque supponunt, Poenitentiae nimirum Sacramenti administratio ut suo loco dicemus, et verbi divini praedicatio de qua jam dissertum. (*Concl. VII. Cap. X. pag. 408. cit. tom.*). De coeteris functionibus quae ut licite exerceantur jurisdictionem saltem delegatam requirunt puta baptismi ministratio, populi benedictio etc. nihil speciale sanxerunt sacri canones, quia moris est ut quicumque probante *generatim* Episcopo, in dioecesi munia sacra explet, possit a Parochis ad eos actus deputari nisi prohibuerit Episcopus. Ast si agatur de clericis extraneis horum nullus licite potest functiones sacras exercere vel ad illas exercendas admitti, nisi de consensu Episcopi saltem praesumpto mandans Trid. (*XX. sess. V. c. 5. de reform.*) « ne clericus sine litteris com» mendatitiis ad divina celebranda, et sacramenta administranda » admittatur ».

(1) *Vide quae dicta sunt concl. 3. Cap. XIII. pag. 486. tom. II.*
(2) *In c. Quod nobis.*

tem tantum requiritur ; porro ubi graves urgentesque rationes probant talem esse voluntatem ejus a quo pendet permittere, *consensum praesumptum* sufficere quis videt. Coeterum ubi facile adiri Parochus possit, vel quando necessitas non adsit praesumi ejus consensus non debet.

Quoad simplicem tolerantiam autem nempe ubi scit Pastor, aliquem administrare Sacramentum et tacet, quia possunt esse rationes non paucae, et ipsam animi imbecillitatem obstare, ne Parochus reclamet, dum tamen non consentit, rarissime admitti illa potest tolerantia. Ita Congr. Concil. uti videre est apud Fagnanum (1).

Si vero semper licentia sit positiva concessa, necesse est ut sit *intimata* id est, ex intentione et mandato concedentis innotescat ei cui conceditur. Non enim quacumque via consensus pastoris sufficit ut sciatur. Ita DD. qui comparant hunc consensum illi donationis contractui necessario (2).

Licentia generalis conferendi omnia Sacramenta, non censetur semper complecti matrimonium etc. nam *concessione generali non veniunt ea quae quis verosimiliter in specie non esset concessurus*. Hinc attendendae sunt circumstantiae quibus et nulla restrictio apposita tali licentiae intelligi possit.

Num denique consensus delegati a Parocho sufficiat vel non : ex circumstantiis colligendum : puta discedens Parochus, et curam committens Vicario vel alio Sacerdoti, de istius licentia censetur alium Sacerdotem obire certas functiones posse : Vicarius Parochi cui proprius Parochus committit ut paroc-

---

(1) *l. in c. Quod nobis.*
(2) *Sanchez de matrim. l. III. disput. 36.*

cianis suis administret Sacramentum matrimonii et ipse praesumitur participare istius licentiae etc. (a).

CONCLUSIO QUARTA

De intentione ministri ut valide conferat Sacramenta disputatur, de ipsis sub conditione collatis quid sit, aperitur.

Praeter potestatem in ministro ad valorem Sacramenti requiritur intentio; nam verba elementis per sese non conjunguntur ut unum fiat Sacramentum, cum possint ad plura referri; ergo minister et ejus intentio simul conspirent oportet, ut actio ejusdem determinetur ad esse sacramentale. Ita Trid. (1): » Si quis dixerit in ministris dum Sacramenta con- » ficiunt et conferunt non requiri intentionem sal- » tem faciendi quod facit Ecclesia anathema sit (b) ». Haec necessaria in ministro intentio, sufficit ut sit

(a) Regulares praesertim moniales saltem quoad communionem supra numerum a regula praescriptam; etsi vi statutorum superiorissae permissione opus habent, attamen utpote illae incapaces jurisdictionis per se ipsas non possunt prohibere communionem moniali cui data sit a confessario; eo vel magis quod ad firmandam regulae observantiam Pastores Ecclesiae statuta illa confirmarunt, proindeque strictis limitibus restringenda est. *V. Bossuet lettres de pieté à des Religieux 59.*

(b) Intentio hic audit: illa animi deliberatio qua quis intendit facere rem sacram, quam Christus instituit, aut quae in Ecclesia vera fieri consuevit. Magna interim de intentione hac quaestio excitata fuit. Catharini asseclae fuerunt aliqui Gallicani Theologi qui senserunt non requiri intentionem ministri faciendi actum externum ut sacrum sive sacramentalem quem Christus instituit, et Ecclesia intendit; sed faciendi tantum actum externum quem facit Ecclesia etsi non intendat finem ejusdem; nec velit idem

(1) *Sess. VII. c. XI.*

virtualis; nam non major in illo requiritur, quam in aliis negotiis exoptatur (a).

Verum non requiritur ut sit simul intentio faciendi quod facit Ecclesia Romana, sed sufficit quod intendat minister facere, quod vera Ecclesia Christo instituta facit; certum enim est praesertim ex

---

actum esse Sacramenti. Huic sententiae prorsus diversae etiam ex doctrina Benedicti XIV ab illa Lutheri quippe excludit jocum omne quod hic maleferiatus nec actum ipsum ministri antumabat inficere si ab eo intendebatur, contradicunt communiter omnes fere theologi, quam Bellarminus non differre a Natorum errore sensit, et damnatum dicit Vasquez; eique ipseque laudatus Benedictus XIV affirmat negari haud posse, grave vulnus inflictum fuisse ab Alexandro VIII; docens insuper quod si constet quemquam aut baptismum contulisse aut aliud Sacramentum, ex his quae iterari nequeunt omnino adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate erit Sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiatur Sedis Apostolicae oraculum erit exquirendum. *(De S. D. L. 7. 1. 4. n. 9.)*. Vides hinc intentionem in ministro requiri internam; quod et ex Tridentino colligitur jam citato: intentionem enim requiri non tantum faciendi actum externum, sed faciendi per eundem *quod facit Ecclesia.* Quod et ex Conciliis Florent. sub Eugenio IV, et Constantiensi colligitur. *(Sess. ult.)*. Ast diutius non vacat expendere hoc argumentum, cum fusius hoc theologi pertractant.

(a) Scholastici triplicem distinguunt intentionem *actualem* si actu intendimus id quod gerimus efficere scilicet qua homo presens est animo, et attente facit quod facit, quamvis nec ore exprimat, aut corde dicat, intendo facere, volo facere, hoc; quam quidem intentionem maxime decentem ad Sacramenti administrationem, nemo qui recte cogitet necessariam dicit. *Virtualem* quae ex actuali praecedenti relicta durat in aliqua actione illius incepta et continuata ex gr. ex intentione baptizandi, vel celebrandi vadat quis ad Ecclesiam, induat sacras vestes, ad altare accedat, vel ad baptisterium, etsi interim omne aliud cogitet quam baptizare, et hanc diximus sufficientem: *habitualem* denique quae nulla praevia deliberatione operatur, sub quadam facilitate repetitis actibus acquisita, quae in dormientibus etiam reperitur, et insufficiens omnibus est quia actus inde procedentes humani non sunt.

Trid. ab haereticis baptizatos nunquam esse rebaptizandos (1) (a); quamvis non intendant haeretici facere quod facit Ecclesia Romana.

De Sacramentis collatis sub conditione certum est, quod si haec sit de preterito, vel presenti, omnino non obstare valori eorum ex gr. baptizo te, si non fuisti baptizatus, absolvo te si capax es; non enim tali conditione suspenditur intentio, sed transit illico in absolutam et efficacem. Hinc Pius P. VI constitutione *Auctorem fidei* proscripsit tamquam temerariam, praxi, legi, auctoritati Ecclesiae contrariam deliberationem Synodi Pistoriensis de omittenda forma hac conditionata. Tenenda igitur potius eadem, etsi non passim ac temere adhibenda, sed justa accedente causa, sine qua illicite, cum dubio effectu Sacramentum ministraretur.

Quod si conditio fuerit de futuro invalide administraretur Sacramentum, nam aliter contra Christi institutionem effectus ejus haberetur, cum materia et forma jam esse desierint (b).

(a) Celebris sub S. Stephano I.° controversia fuit, an baptismus ab haereticis collatus validus esset. PP. in Concil. Africae habito steterunt pro invaliditate ejusdem, et hoc probatum fuit ab Episcopis Orientalibus in conciliis Iconiensi, et Synadensi ut ex Epistolis Cypriani, et Firmiliani patet: unum enim baptismum, nonnisi in una Ecclesia conferri tenebant. Restitit his S. Stephanus ob regulas ab Apostolis, vel Apostolicis viris traditas, illisque rescripsit; *nihil innovetur nisi quod traditum est ut manus imponatur in poenitentia (In epist. 74. Ciprian. ad Pompejum)*; scilicet haereticos non iterato baptismate, sed sola manuum impositione in Ecclesiae gremium admissos fuisse, statuitque, quod et a Nicolao I definitum fuit, valere nimirum baptismum ab haereticis collatum ob intentionem generalem faciendi quod audierit etiam Judaeus vel Paganus fieri ab Ecclesia Christi.

(b) Juvat heic adnotare ex Bened. XIV sententia *(De S. D.*

(1) *Can. IV. de bapt.*

Valide vero, imo et licite Sacramenta characterem imprimentia, sub conditione largiuntur cum prudens occurrerit dubium de valore eorum et praesertim baptismi et ordinis; nam ex jure (1) *non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum* (a).

---

l. VIII. c. 6.) aberrasse illos qui formam conditionatam a scholasticis inventam existimarunt; nec recte Natalem Alexandrum sensisse illam in usu non fuisse ante saeculum VIII; quia ejus formae nulla in conciliis et PP. ante illud tempus mentio reperitur; nam Ecclesia quae incuntanter baptizandos semper praecepit eos de quibus disputabatur an esset baptizati: eadem semper negavit, baptismum rite collatum iterari unquam posse. Qua ratione amabo te haec congruere possent, nisi mente adhibita conditione, ministri a primordiis Ecclesiae rebaptizassent illos quorum dubius erat baptismus? Secus in errore rebaptizantium an Ecclesia incideret ancipiti cura quisque detraheretur. Nec mirum quod saeculo VIII exprimi coepit talis forma, cum prius mente concipiebatur.

(a) Num dubium istud existat, vel e contra emergentes scrupuli rejiciendi sint, eo quod constet Sacramentum, non parva difficultas est. Revera de baptismo ambigitur saepe aut quia a laicis collatus, qui forte ritum essentiale non servant, aut quia nulla testificatio reperitur, aut quia fuit apud haereticos collatus. Ad singula interim quantum sat erit dicemus, quae ceteris Sacramentis applicari possunt. Et primum cum Bened. XIV praxim quam plures servant ad tutius agendum iterandi baptismum etiam sub conditione privatim ab obstetricibus, aliisve laicis collatum rejicimus, et necessitatem examinis antequam sub conditione etiam iteretur, requiri statuimus *(Trid. 84. n. 4.)*: hinc si in dicto examine Parochus constanter deprehendat obstetricem sive laicum rite baptizasse, reiterari baptismus non potest. Quod et S. Carolus Borromeus confirmat *(In instruct. de baptismo)*, et Catechismus Rom. docet *(de baptis. n. 5.)*: etsi non desint DD. aliqui qui semper saltem sub conditione reiterandum affirment. Hoc casu tamen, consuetae caeremoniae et ritus in Ecclesia suppleri debent uti communis DD. ex Rit. Rom. statuit. Quoad vero dubium collati baptismi exortum ex deficientia testificationis illius, praenotato quod Canones sufficienter probatam habent collationem baptismi *per unicum testem, praecipue si is testificatur de*

(1) *Can. 3. de Presbyt.*

CONCLUSIO QUINTA

De probitate ministri Sacramentorum disputatur.

Status gratiae in ministro Sacramentorum requiritur non ad valorem; dum enim Sacerdos ad hoc singulariter ordinatur, ut se conformet Christo, status gratiae cum deficit ei, Christum non desinit in ministerio Sacramentorum repraesentare, unde Christus est qui baptizat et qui absolvit (1). Requiritur ergo ille status in ministris ut licite administrent ex officio, secus tamen in necessitate juxta probabiliorem sententiam (a). Sit itaque laicus, sit Sacerdos

---

facto proprio nec quidquem in contrarium occurrat (*cap. Parvulos 110. de Consecrat. dist. 104. et cap. Placuit ibid.*) ipsi laudati canones ob id non excludunt iterandum esse baptisma quando non certe constat, imo *certissime* de baptizantis scientia, vel probitate et religione; vel *quando haesitat* reddens suae actionis rationem; sunt equidem non paucae circumstantiae ex quibus frequenter animo detrahimur quando laicus baptizat. Indeque est quod plures Congregationes R. pluraque concilia decreverunt de pueris expositis etsi appensam habeant ad collum schedulam quae testetur fuisse baptizatos, nisi certa habeatur notitia personae a qua eadem fuerit exarata, esse rebaptizandos. Et recte; nam laudatus antea Pontif. bene advertit *(cit. l.)* rem adeo gravem committendam non esse fidei personae ingnotae cujus qualitates explorare non possumus. De pueris demum ab haereticis baptizatis etsi de fide ex Trid. jam antea citato validus sit baptismus eorum, quando omnia ad illum requisita adhibentur, merito DD. a Praedicantibus baptizatos, ab Anglis, et a Lutheranis ac Calvinistis omnes rebaptizandos tenent solum sub conditione quia facile dubitari potest de materia forma et intentione talium ministrorum. Ceterum censuit S. C. non esse rebaptizandos pueros ab haereticis Praedicantibus baptizatos, nisi in eo loco ipsi non observarunt requisita ab Ecclesia Catholica ad valorem Sacramenti.

(a) Ita tamen ut si in gravi fuerit peccato teneatur in confectione Eucharistiae ex Trid. *(Sess. 13. c. VII. et can. 11.)* praemit-

(1) *C.* petis *dist. 2. de consecr. et alibi.*

peccato gravi obnoxius, in necessitate baptizans non peccat mortaliter, quamvis respectu Sacerdotis, aliqui contrarium sentiant. Ast quae hoc argumentum jure praesertim divino spectant, Theologi exponunt. Nostraque potius refert interpetrari quandonam Sacramenta fidelibus expetere vel recipere liceat ab eo quem peccato noverint inquinatum.

Et primum constat etiam sententia excommunicationis prohiberi Sacramenta petere a ministro non tollerato (a); excepto ultimo necessitatis articulo secundum canones (1) quod Trid. confirmat (2). Hoc vero non intelligitur de illis Sacramentis quorum necessitas non urget. Insuper etsi non omnem jura absolute interdicant communicationem in divinis cum haeretico non denuntiato, etiamsi publice schismaticae et separatae sectae adhaereat (3); attamen quid de his

---

tere confessionem nec sufficit elicere contritionem, nisi sit necessitas celebrandi, et desit Confessarius: quoad alia Sacramenta vero etsi in diversa abeunt DD. asserunt Suarez (*In 3. part. D. 16. v. Quaeritur*) et alii communem esse sententiam quod satis sit elici contritionem.

(a) Non tolerati ministri sunt, qui per sententiam personalem, et rite denuntiatam excommunicationi majori sunt subjecti; et publici percussores clerici.

Summa vero necessitas esset in baptismo, si nullus alius adesset minister; ita tamen ut si a laico possit recipi, probabilius non possit ab excommunicato Sacerdote. Poenitentiae Sacramentum, remordente aegroti conscientia alicujus peccati gravis et deficiente simul ministro qui sit saltem toleratus, ab excommunicato non tolerato expeti potest. Quantum vero ad viaticum Suarez putat cum aliis posse accipi a Sacerdote etiam denuntiato modo desit scandalum, nec existimari possit ut participatio contumaciae excommunicati.

(1) *C. si quem 40. caus. 24. q. 1. ex Aug. l. 1. de Baptis.*
(2) *Sess. 34. c. 7.*
(3) *Extravag. ad evitanda scandala.*

Bened. XIV senserit (1) ducimus necessarium exscribere. « Non ignoramus, ait, theologos non de-
» esse qui ab omni culpa absolvunt catholicos, qui
» et schismaticis nominatim non denuntiatis com-
» municant in divinis atque Sacramenta etiam ab
» iisdem recipiunt, dummodo haec concurrant cir-
» cumstantiae. Primo causa urgentissima, secundo
» ut haeretici aut schismatici sint valide ordinati,
» et Sacramenta administrent ritu Apostolico abs-
» que ulla admixtione ritus damnati. Tertio ut com-
» municatio cum eisdem non sit externa protestatio
» falsi dogmatis: ideo ingressum in Ecclesias pro-
» testantium catholicis Angliae inhibuit Paulus V
» quippe regia edicta jusserunt omnes adire templa
» haereticorum, ut tali pacto cum protestantibus
» sentire fateantur. Quarto demum ut communica-
» tio nulli scandalum inserat. Verum in primis prae-
» dicta sententia suos habet adversarios: deinde cum
» enumeratae circumstantiae conjunctim esse debent,
» fere impossibile est ut a flagitio excusari valeant
» catholici sese in sacris cum haereticis immiscen-
» tes (a) ».

(a) Congruenter inde Pius VI. Sanctae record. plura in idem argumentum dedit responsa tum 26 Sept. 1791 tum 16 Decem. 1793 et praecise cum plurimi Parochi Gallicis adsentationibus adhaesissent schismati *constitutionis civilis*, multasque invasissent sedes intrusi, institutione facta eis a pseudo Episcopis inibi simul intrusis, omnique proin jurisdictione carentibus. Quorum responsa summa est. « Non licere fidelibus sive diebus feriatis,
» sive dominicis aliisque de praecepto Missae assistere celebratae
» a Parocho, vel simplice presbytero qui civicum juramentum e-
» miserint, neque eisdem fidelibus licere Vesperis, publicisque
» precibus assistere quibus Parochus vel simplex Sacerdos prae-
» est, cum expresse vetita sit quaevis communicatio praesertim

(1) *De S. D. l. IV. c. 5. n. 2.*

Quantum ad ceteros demum peccati maculatos sive haereticos notorios non adhaerentes sectae separatae, sive crimini publico foedatos, sive occultos, jus positivum non prohibet ab eis Sacramenta exigere : jure divino tamen prohibetur sine causa quae si pro circumstantiis deficiat sub gravi vel leviter reos reddit, qui ab illis expetunt Sacramenta.

CAPUT III.

DE SUSCIPIENTE SACRAMENTA.

CONCLUSIO PRIMA

Requisita in suscipiente ad valorem Sacramenti expenduntur.

Viatoribus hominibus Sacramenta administrantur, sed non omnibus valide omnia; foeminae enim non sunt capaces ordinis; infantes matrimoni; sani extre-

---

» in divinis cum intrusis et refractariis quocumque nomine ap» pellentur ».

» Non licere mulieribus post partum se praesentes sistere Pa» rocho aut presbytero jurato ».

» Non esse improbandam rationem quam inerunt nonnulli Gal» licani praesules; qui in articulo vel periculo mortis poenitentiae » Sacramentum a Sacerdotibus juratis, ac etiam a Parochis in» trusis recipi posse permiserunt deficiente quovis alio Sacerdo» te catholico ».

» Non autem licere absolutionem et communionem quovis an» ni tempore praesertim paschali a Parocho jurato petere ».

» Non licere Parochum juratum adire pro matrimonio ».

» Fideles genua flectere debere coram Ostiis consecratis etiam » ab intrusis : ne vero in ejusmodi cultu praestando immiscere » viderentur cum schismaticis, curandum esse fidelibus ut decli» nent occasiones occursus schismaticorum cum Sacramentum » deferunt ».

mae unctionis, infideles non baptizati coeterorum Sacramentorum.

In adultis qui mentis compotes sint requiritur intentio recipiendi id quod eis donatur (a); etenim quamvis passive se habeant recipientes Sacramenta, non est tamen, ait S. Thomas, passio illa coacta, sed voluntaria. Revera qui nunquam consentit susceptioni baptismatis, sed penitus contradicit; nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, ex definitione Innocent. III (1) (b).

Hinc collige 1.° invitis omnino, qui externis etiam reluctant actibus, Sacramenta nullius esse effectus (2) modo resistentia ex summa animi demissione non pendeat (c). 2.° Sacramenta quae animum

---

(a) Intentio, etiam quae implicita sit, quae nempe ex agendi ratione colligitur, sufficit ad valorem Sacramenti, item virtualis non solum, quae in actum influit ad valorem, sed et interpretativa faciendi quod facit Ecclesia, imo et nonnumquam habitualis, ita ut positivus actus et consensus voluntatis de suscipiendo Sacramento ante extiterit, nec fuerit retractatus qualis esse potest in amentibus, et in iis dormientibus, de quibus Inn. III jam cit. loquitur.

(b) In infantibus nulla requiritur intentio; nam supplet pro eis Christi vel Ecclesiae intentio, et recte sine voluntate liberantur a peccato, qui similiter illud contraxerunt. Et est de fide ex Trid. (*Sess. VII. de Sacr. c. 13.*)

Hoc et de perpetuo amentibus dicitur ex D. Thom. (*3. p. q. 68. a 12. ad 1.*) Quodque dicitur de baptismo, DD. et de confirmatione dicendum docent. De Sacramento ordinis collato infantibus atque perpetuo amentibus idem tenendum ex laud. D. Thom. et clare colligi potest ex Bulla *Inter sollicitas* Bened. XIV edita ann. 1735. Bullar. t. II: ibi enim praescribitur quod ipsi infantes ordinati cum ad annos decem octo pervenerint si castitatem voluerint servare admittentur ad exercitium ordinis, secus si noluerint.

(c) Deciditur c. 3. de bapt. *Primo. Id est religioni christianae con-*

(1) *In c.* Majores 3. *de baptismo.*

(2) *C. 3. ex de baptis.*

obsignant etiam ficta et coacta voluntate, et sine recta fide suscepta, dummodo id in se agi serio patiatur quod facit Ecclesia, valere ex Augustino et signa imprimere: sed suscipientes in fictionibus et suis persistentes erroribus non sanctificare (1). 3.° Qui vel graviori metu coactus aegre consentiat, aut expers rationis ob furorem, ebrietatem, somnolentiam, demoni vexationem, morbumque repentinum antea consenserit, vixque putetur remotam praesumptamque intentionem habere, valide recipit Sacramenta: suscipienti enim Sacramentum opus non est ut modo humano et solito recipiat, sed sufficit ut sit subjectum capax (a). 4.° Ægro vel furioso cujus voluntas praecedens sit ita in obscuro, nullus ut eam testificari valeat, satius censuit S. Augustinus (2) conferri tunc moribundo Sacramenta, quam denegari contra aliquos. 5.° Moribundo Catholico, at qui parum de

---

trarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur. Secundo. Inter invitum et invitum coactum, et coactum aliqui distinguunt, Conf. lib. 1. decr. §. 570. vis enim seu coactio conditionata internum voluntatis consensum per se non excludit. Hinc *is qui terroribus atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit Sacramentum — characterem suscipit christianitatis impressum, et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianae.* Quo loco haec inseruntur verba: *Sicut et is qui ficte ad baptismum accedit. Ille vero qui nunquam consentit, sed penitus contradicit nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti.*

(a) Ita Bened. XIV in instructione de baptismo const. *Postremo mense* Bullar. t. 2. n. 46. et D. Thom. in 4. D. 6. q. 1. art. qui advertit quod si necessitas non sit, debet in furiosis expectari lucidum intervallum, vel in dormientibus vigilia. Si tamen baptizetur in statu illo, Sacramentum suscipit, quamvis peccet baptizans.

(1) *l. 7. contra Donatist. de unic. bapt. c. 35. in c. 51. de consecrat. D. 4. et in can.* satis *98. ibid.*

(2) *De poenit. p. 11. c. 5.*

religione sua sollicitus, flagitiisque immersus vitam parum Christianam duxerit, modo actu non appareat indispositus, plures DD. et communius ministranda tenent Sacramenta, saltem quantum ad baptismum et poenitentiam (a).

Quod si moribundus sit omnino ignotus vir, at in religione Catholica inventus saltem conditionate et aut mente concepta, aut expressis verbis *in quantum possum*, *si capax es*, *si es dispositus* absolvi potest (1); modo actu impenitens non appareat. Ita Collet cum aliis (2). 6.° De illis qui in ceteris usu rationis potiuntur, et quoad certa tamen ejus expertes sunt, etsi constanter ea monomania teneantur, Sanchez (3) cum aliis docet etiam ad Sacramenta matrimonii posse admitti; non enim repugnat in ceteris esse liberum, qui in una necessitati propter laesam imaginationem subjacet. Canones tamen nihil de eisdem pronuntiant.

Alii sunt casus qui ad hoc argumentum referri possunt; sed eos cum requisitis ut Sacramenta cum fructu recipiantur, ut nempe rite et recte dispositi fideles accedant ad illa, apud Theologos morales, quos haec tractatio spectat, et omnium maxime apud Ligorium est reperire.

(a) Celebris est ad rem S. Augustini auctoritas de adulterinis loquens conjugibus lib. 1. c. 26. Sed multi sunt casus quibus ex circumstantiis puta ex obstinata denegatione etc. constat moraliter hominem esse impoenitentem. In his non negatur multa discretione indigere ministrum. At non videtur damnandus si extremam conferat unctionem cujus materia proxima nullo modo consistit in actibus poenitentis, nec perditioni salus exponatur ejus, qui etsi attritione habituali praeditus supponatur, nec ideo poenitens esset ut ita salvari possit sine ea.

(1) *Vide Bened. XIV. de Synodo l. VII. c. 5.*

(2) *De poenit. p. 11. c. 5.*

(3) *Lib. VII. Tract. 1. D. 1.*

CONCLUSIO SECUNDA

Quibus deneganda Sacramenta exponitur.

Nolite dare sanctum canibus Christus docuit (1): ergo indignis ministrando Sacramenta gravi culpa obnoxius quis est. Ita DD. post D. Thomam (2). Quos jus divinum a Sacramentis abducit Theologi docent. Nostra tamen refert edicere quibusnam deneganda sint (a). Et re quidem vera: 1.° ne-

(a) Peccatores occulti dicuntur illi quorum crimen aut ignoratur omnino, aut cognoscitur a paucis numero, ita judicatis judicio prudentum relate ad loci amplitudinem, et incolarum numerum, ita ut possint aliqua tergiversatione celari. Publici peccatores sunt quorum crimen jam nequit celari: qui notorii dicuntur aut notorietate juris cum scilicet vel per sententiam juridicam ita convicti fuere, vel in judicio crimen confessi sunt; aut notorietate facti et neutiquam in judicio convicti vel eo tempore quo Sacramentum suscepturi sunt indigne se habent, vel antea aliquod crimen commisisse, et in eo perseverasse palam cognoscuntur, vel fama cum ex sufficientibus indiciis ad multos crimen pervenit.

Notorietate juris, publici dicuntur apud non paucos DD. qui adhaerent sectae separatae et anathemati subjectae uti protestantibus; qui professione sua in ipso jure ut infames notantur; qui denique a jure inuruntur infamia puta concubinarii, meretrices usurarii etc.

Suspicio ad notorietatem facti refertur et est: aut *temeraria* quae levibus nempe est momentis fundata; aut haec virum gravem movent, et est *probabilis*; aut *violenta* quae praevalet signis sufficientibus ad judicandum. Occulti inde existimantur illi circa quos temeraria tantum aut probabilis suspicio est. Violenta suspicio contra aliquem publicis peccatoribus adjungit. Ex his patet probabili suspicione publice patrati delicti reo non deneganda Sacramenta (*c. de consulit. 14. de appellat.*): occulti delicti reum poterit minister tantum interrogare.

Ob violentam suspicionem publicam recte Sacramenta publice

(1) *Matth. VII. 6.*

(2) *S. Thom. 3. p. q. 80, a 6.*

queunt administrari Sacramenta peccatori publico seu notorio notorietate sive juris sive facti, exceptis indignis in articulo mortis; sive publice sive privatim petant. 2.° Occulto peccatori petenti publice debent administrari, si repelli nequeat absque ejus infamia ita S. Thom. (1): secus si occulte petat et notitia peccati extra confessionem sit (2). Quod tenendum etiamsi adstantibus crimen jam sit notum, nec poenitentia dilutum (a). 3.° De matrimonii Sacramento ex communi DD. si contrahentes publice petant quamvis indigni ratione peccati vel censurae occultae Parochus tenetur assistere.

Ast si publice indigni sint, controvertitur inter DD. Alii qui Parochum non ministrum, sed testem dicunt

---

negantur, excepto casu mortis advertit Sanchez, si is qui ea postulet neget delictum, et praebeat signa bonae dispositionis.

(a) Poenitentia publici peccatoris iis signis oportet sit munita, quae pro circumstantiarum diversitate scandalum sufficienter removeant. S. Carolus docuit: « *Neminem publicis peccatis irretitum ad communionem recipiat Parochus nisi prius scandalo publice satisfecerit* ».

Quoad vero contumaces in erroribus damnatis etc. Consilia dirigere possumus ex Brevibus Pii VI 19 Martii et 22 Junii 1792 juxta quae Sacerdotibus schismati adhaerentibus *constitutionis civilis* tunc dictae cleri Gallicani, opus fuit retractare non solum praestitum juramentum *authentice*, et declarare judicio Ecclesiae se de illis negotiis obtemperare, sed etiam scandalum a se datum congrue reparare. Vide quae spectant obitum D. Gregoire pseudo — Episcopi Blesensis ann. 1831. Ami de la Religion tom. LXVIII. passim.

Verum nec monere praeterimus, quod Parochus consulat Episcopum in aliquo simili difficili casu, nec ritum praescribere audeat insolitum; et memoria retineat aliquando ipsam Sacramenti receptionem esse praeteriti scandali et impietatis reparationem.

(1) *Cit. loc.*

(2) *C. Si sacerdos 2. de offic. ord. et c. Quaesitum est 10. de cohab. cleric. S. Thom. 3. p. q. 81. a. 6.*

matrimonii , quia sic cooperationem ejus materialem tantum censent, quemque uti publicum ministrum non posse assistentiam illam negare patet , ex his inferunt teneri assistere, modo conatus prius fuerit sponsos disponere ad illud. Hoc negant alii qui tenent Parochum ministrum esse Sacramenti matrimonii. S. Ligorius (1), docet Parochum non posse, nec teneri ad assistentiam matrimonii quod petunt publice indigni tum quia jure naturali nemo potest cooperari peccato proximi, etiamsi aliter peccatum jam interne consummaverit; tum quia ex contractu inito cum communitate a qua stipendium accipit Parochus, ex justitia tenetur incumbere saluti spirituali ovium eas a peccatis avertendo. Jus autem sponsorum ut Parochus adsistat matrimonio, idem S. infert nullum esse, sicuti nullum ad actionem peccati jus datur. Ast subdit: uti testes excusantur a peccato si assistant coacti metu gravi cum non teneantur nisi ex caritate impedire peccatum, excusari potest Parochus si ad vitandam mortem vel graviora alia mala communitatis, vel ipsorum contrahentium adsistat puta, ne perseverent in peccatis. 4.° Si unus sponsorum sit publice indignus? Laudatus S. Ligorius etsi non reprobat, sufficientem tamen non judicat rationem illorum qui cum Busemb. et communiori DD. dicunt licere si aliter sponsus sine gravi incommodo non possit a matrimonio recedere; quia contrahentes quamvis indirecte conficiunt Sacramentum, directe ineunt contractum (a).

De haereticis dicemus cum impedimenta interpretabimur matrimonii.

(a) Caprara in celebri institutione circa revalidationem de eo casu, in quo unus renuit contrahere coram parocho docet: si

(1) *Lib. VI. tract. 1. de Sacr. in gen. c. 2. D. 1. n. 54.*

CAPUT IV.

DE RITIBUS IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM SERVANDIS, ATQUE DE SACRAMENTALIBUS DISSERITUR.

CONCLUSIO PRIMA

Sacrorum rituum exposita origine, distinctisque eorum speciebus, de observantia illorum agitur.

Christus concessit Ecclesiae ut sacra omnia, et coeremonias ad rectum religionis exercitium aequius melius ordinaret. Conciliant equidem coeremoniae majorem Sacramentis reverentiam, ad eorum susceptionem disponunt, et ordinem in Ecclesia necessarium sustentant. Haec sibi adversa malcferiata manus Protestantium et pseudo Politicorum ut lacesserent in eadem feruntur et debacchantur. Aliqua nos pro instituti ratione delibamus de hoc argumento, et erroris quantum simul ac furoris eorum sic facile erit colligere.

Re quidem vera quoad originem non a gentium superstionibus ortum duxisse ritus sacros patet. Patriarcharum mores enim et Mosayca simul et Evangelica lex illos commendant, ita ut primordia eorumdem augustiora plane faciant ipsae Novi ac Veteris Testamenti scripturae (a). Quinimmo non solum PP. Ec-

---

hujusmodi renuentia proveniat ex indispositione ad Sacramentum poenitentiae et Eucharistiae susceptionem, paternis monitis curandum est ut renuens rite disponatur. Quatenus vero pars indisposita ad Sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad matrimonii celebrationem procedere, non obsante illius indispositione; pars enim innocens et instans licite utitur jure suo.

(a) Abelis munera, Noe altare et holocausta, Abrahami plura

clesiae sacris scripturis instantes, ab illis superstitionibus discrepare sacros ritus agnoverunt, sed et ipsi gentium Philosophi (a). Nonne amabo vos Deus aeternus Deos, religio vera superstitionem praecessit? Damnando igitur superstitiosos cultus, simul et protestantes coeremoniarum originem Daemoni reportantes, illas ab Apostolica traditione invectas potius facile et recte credimus (b).

Revera plurium qui ritus adhuc in baptismate servantur et in Eucharistiae Sacramenti sumptione, sicut et aliarumque ejusmodi disciplinarum ait Tertullianus (1): *Si legem postules scripturam nullam invenies, traditio tibi praetendetur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.*

Igitur ab aevo Apostolorum Ecclesiam habuisse coeremonias, et Sacramenta certis ritibus administrata

---

alia altaria, panis ae vinum Melchisedech, scala Jacobea, Titulus lapideus erectus alius in loco Betel, et oleum super eum effusum etc. coeremonias commendant Gen. c. 8. 12. 14. 22. 28. 31. et alibi. Adhaec in ipso lib. Genesis permultis coeremoniarum praeceptis obstrinxit Deus filios Israel per Moysen, scilicet observatione festorum, oblationibus expiatoriis etc.

(a) *Cave ne imiteris eas*, dixit populo suo Deus (*Deutor c. 2. v. 30. et seqq.*) *postquam te fuerunt introeunte subversae, nec requiras coeremonias eorum dicens: sicut coluerunt gentes illae Divos suos, ita et ego colam etc.* In viam *gentium ne abieritis* Christus jussit (*Matth c. 10. v. 4.*). Denique Cicero de judeis (*orat. pro Flacco*) ait. *Istorum religio sacrorum a splendore hujus imperii, gravitate nominis nostri, et majorum institutis abhorrebat.*

(b) Praeter enim memoriam earum quas referunt Iustinus (*Apolog. 1. n. 61.*) Tertullianus (*De corona c. 3. et 4.*) aliique, quasque repetunt ab apostolica traditione. Chatechismus Romanus sic comprobat (*De Sacram. in gen. §. 18.*) dicens: *merito a primis usque Ecclesiae temporibus illud semper servatum est Sacramenta solemnibus quibusdam coeremoniis ministrabantur.*

(1) *Cit. loc. de corona militis c. 4.*

constat. Ad quos ritus ordinandos ipse Paulus dicit (1) fuisse sibi traditam potestatem; et Augustinus interpretans dictum Apostoli comprobat (2), ut jure meritoque Trid. (3) declarat « hanc potestatem perpetuo » fuisse in Ecclesia, ut in Sacramentorum dispensatio» ne, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret » quae suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramen» torum venerationi pro rerum, temporum, et loco» rum varietate magis expedire judicaret ». Equidem cum extrinsecus Sacramentis coerimoniae accesserunt, natura sua mutabiles sunt, nec generaliter per universam Ecclesiam servantur, nec ad eorum valorem requiruntur. Imo bene potest Ecclesia uti conditiones, veluti partes integrantes Sacramentis ritus aliquos addere, quibus non servatis illa non sint nulla (4). Jus instituendi ritus ad potestatem jurisdictionis; jus exercendi, ad potestatem ordinis etsi non solius pertinet (5).

Distinguantur ergo oportet ritus ipsi Sacramentorum in essentiales quibus deficientibus invalida sunt, et in accidentales, omnes scilicet quos collationi Sacramentorum Ecclesia adjunxit, nec ad substantiam illorum pertinent. Etsi facile semper et apprime erit discernere in iisdem quid essentiale, quidque accidentale sit. Necessitate inde occurrente, quam Theologi expendunt, posse materiam incertam adhiberi omnibus pro comperto est Theologis; nam *Sacramenta propter homines*: axioma illis est tritissimum. De accidentalibus vero Trid. decretum observandum (6): « Si

---

(1) *Epist. 1. ad Corinth. c. 11.*
(2) *Epist. 14.*
(3) *Sess. XXI. c. 2,*
(4) *Vide Juven. de Sacr. diff. VI. q. 7. c. 11. a. 2.*
(5) *Confer. lib. 1. Decret. §. 576.*
(6) *Sess. VII. de Sacr. in gen. c. 13.*

» quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiae Catho-
» licae ritus in sollemni Sacramentorum administra-
» tione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine
» peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos
» alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem muta-
» ri posse anathema sit (a) ».

Praeterea ritus sacri alii sunt universales quos nempe vel scriptura divina praescribit, vel universa frequentat Ecclesia, puta pronunciatio verborum *formae* signum crucis etc., alii particulares, et non iidem ubique, sed alii sunt in Ecclesiis aliis; Consultissima enim ratione agendi Catholica Romana Ecclesia omnium Parens et magister una salva semper fide fimbris aureis circumamicta varietate se prodet, et populos rituum morumque varietate complectens, invitos non cogit ad conformationem exemplis ducta Apostolicis (b).

(a) Quia nonnulli ritus proxime referuntur ad dogma ut ex dictis patet; quia uniformes esse debent in Catholica Ecclesia; ne difformitas aut mutatio scandalum gigneret in populo fideli; non quivis Episcopus, aut synodus particularis ritus institutos potest mutare. In his sunt ideo multa quae ad causas majores pertinent Sedi Apostolicae reservata. *(c. 3. de baptismo.)* Praemonendum insuper jus exercendi ritus differre ab illo instituendi aut mutandi. Quidam ritus sunt juris Episcopalis, et in Abbatibus requirunt privilegium Apostolicum, puta consecrationes Ecclesiarum etc. Alii ad jura pertinent parochialia uti purificationes post partum. Nonnulli clericorum et maxime presbyterorum sunt communes.

(b) Hinc dum Romanis ritibus Occidentales utuntur, Graecis Graeci, suis ceterae nationes; suo tamen ritu quaeque contenta esse debet, et omnino carere arbitrio ad alium transeunti, nisi Papa indulserit: quique Graecorum summo dispensante Pontifice Latinum semel assumpserit, ad Graecum redire absque nova dispositione prohibetur. *(Bened. XIV. Bullarii const. 57.* Etsi pastoralis *de dogmatibus et ritibus ab Italo Graecis tenendis et servandis.)* Ast quia in provinciis hujus regni dum Graeci olim dominationem adepti graecos invexere ritus, quos Norhmanni et Galli abigere

Summa denique veneratione quis videt obeundi ri-

---

studuerunt, Sedes Apostolica Italograecis graecos retinere mores indulsit. Deinde firmandae pacis studio tulit saluberrimam constitutionem (*ibidem*) qua tradita primum graeca fidei professione septem exprimente articulos a schismaticis controversos, jubet ut sequitur: 1.° Ut liberum sit Graecis suos in Missis, divinisque officiis ritus sine molestia cujuslibet Latini Ordinarii observare. 2.° Verum communia veterisque Ecclesiae praecepta secundum canones exequantur. 3.° Praesertim jejunia, festosque dies Gregoriano Kalendario indictos. 4.° Commemorationem Romani Pontificis Episcopique Dioecesani in Missis, et Officiis. 5.° Generalem quamque Sedis Apostolicae constitutionem, qualis est ea contra sollicitantes. 6.° Peculiares Dioecesis festos. 7.° At ubi adest Graeci ritus Parochia, non cogantur inviti ad latinorum jejunia, et vigilias. 8.° Tolerentur carnem comedentes die Sabati. 9.° Latini eorum famuli ab latino ritu non desciscant. 10.° Sabbato Sancto jejunent, aliis vero Quadragesimae Sabbatis abstineant vetitis solum cibis. 11.° Cetera Sabbatorum jejunia Latina illis in alium diem Latinus Episcopus tranferat. 12.° Esus piscium sanguineorum cum oleo, et vino in Quadragesima, diebusque esurialibus indulgetur. 13.° Ut Italo-graecus Latino Sacerdotio initiatus, ne praeficiatur Graecis plebibus et Parochiis. 14.° Nec latini Graeco unquam ritu ordinentur, sed Graeci dumtaxat quum indigenae, tum advenae. 15.° Latinique Presbyteri nonnisi rogati sese Graecorum functionibus immisceant. 16.° Vicissim Graeci in latinis Ecclesiis et canere Missas, et officia sollemniter celebrare, Episcopo non permittente, prohibentur. 17.° In promiscuis latinorum, Graecorumque functionibus praecedant sine ritus discrimine quum dignitate majores, tum ordine antiquiores. 18.° Sacris libris non aliis, nisi per Congregationem Romanam emendatis, utantur. 19.° Dioecesanis Latinorum Episcopis subjaceant Graeci qua seculares, qua regulares in Congregationem non redacti. 20. Nisi adsit in una eademque Dioecesi Graecus etiam Episcopus jurisdictionem, curamque Graecorum seorsim a Praesule latino habiturus. 21.° At ubi solus praesidet latinus Episcopus, ibi Graecum Vicarium a Graecis ipsis vel probatum, vel electum ipsorum stipendio sustinendum reputet: alterumque similiter in gradu appellationis Metropolitanus. 22.° Ut regularia SS. Patrum instituta Graeci Monachi, qui regulam S. Basilii in Congregatione non profiteantur, observent sub jurisdictione lati-

tus sacri sunt, excipiendi, et spectandi (a). Hoc et probat antiquissimus usus eorum, sanctitas Ecclesiae quae divino afflata spiritu non patitur contemni. Vis eorumdem et effectus spirituales sunt nimirum, auxilium aliquod, vel bonus motus gratiae, remissio culpe saltem venialis, remissio culpae temporalis, daemonis expulsio vel coercitio ne laedat, commodum aliquod temporale seu sanitas etc. quos cum et per sacramentalia agunt (1), de his agere restat seq. concl.

CONCLUSIO SECUNDA

De sacramentalibus nonnulla praenotatis, necessitas Sacramentorum, et eorumdem numerus enucleatur.

Sacramentalia stricte sumpta sunt ritus et exteriores actiones religiosae ad ornatum institutae cultumque sacrificii, et Sacramentorum ex traditione Apostolica et Ecclesiastica. Latius: actus sunt quidam religio-

---

norum Praesulum. 23.° Suis vero privilegiis fruantur Romana Graecorum Collegia, Corsinum in Calabria Seminarium, et Congregatio regularis ordinis S. Basilii. 24.° Tandem aliis ubique Cristianorum gentibus rituum ab Apostolica Sede probatorum usus permittetur.

(a) Vim legis monet Fagnanus *(in c. presbyter 3. de Sacram. non iter. n. 41.)* inesse Sacramentario S. Greg. M. permultisque antiquis ritualibus et libris liturgicis, simul et novissimis auctoritate Sedis Apostolicae correctis et recusis praesertim Rituali Pauli V et Pontificali Clementis VIII. Hoc et ostendunt eorumdem PP. constitutiones. At singulorum Sacramentorum singulares ritus ex canonibus Tridentinis et Cathechismo Rom. inquirendi, quos tamen in specie dissertantes de iisdem Sacramentis, praecipuos adnotabimus.

(1) *Vide Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 3. disput. 15. sat. 4.*

si, piaeque coerimoniae quas Ecclesia exemplo Sacramentorum, aut imitatione Veteris legis instituit ad effectus aliquos spirituales producendos, qui hoc continentur versu.

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens (a).

Haec vero gratiam per se non conferre patet, nec peccata etiam venialia remittere, quibus sine infusione gratiae venia non datur: sed quatenus tantum in nobis pium excitant motum. Hoc namque Sacramentalium institutioni accomodatum est et consecrationi, quae fit per preces Ecclesiae, quibus ipsa nobis tales precatur motus. Id expresse D. Thom. docet contra aliquos tenentes Sacramentalia ex opere operato venialia remittere (b).

Praeterea necessaria ad salutem esse Sacramenta novae legis definivit Trid. (1). Non quidem omnia singulis, nec omnia pari necessitate. Pendet enim ista necessitas a Dei voluntate. Est que alia *medii*, alia *praecepti*. Illa facit ut homines salvari nequeant, nisi reapse aut saltem desiderio Sacramenta suscipiant. Praecepti necessitas obligat ad Sacramenta recipienda, nisi juxta impediat causa. Prima necessitate necessaria sunt Baptismus et Poenitentia: haec lapsis post baptismum, ille omnibus. Reliqua ex praecepto necessaria, nec tamen omnibus.

(a) His tunsio pectoris accensetur, unctio in Regem multaeque aliae coeremoniae, et res ipsae sacrae puta, exorcismi, insufflationes, prima tonsura etc.

(b) Per modum impetrationis ratione precum Ecclesiae Sacramentalia quandoque operantur beneficia corporalia. Nec DD. desunt qui docent uti Scotus, vim etiam habere fugandi Daemonem per modum operis operati ex singulari privilegio, non vi sua uti Sacramenta.

(1) *Sess. VII. de Sacr. c. 4.*

Denique Sacramenta novae legis, si quis dixerit esses plura vel pauciora quam septem videlicet « Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, et Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem, non esse vere et proprie Sacramentum anathema sit ». Ita Trid. (1). Ratio hujus septenarii numeri exploranda non est; sed divinae voluntatis consilium in eo adorandum nobis manet. Congruenter ex D. Thoma (2) ducta comparatione a vita corporali ad illam spiritualem dicimus. Homo vel quoad se vel quoad communitatem ad quam pertinet spectari potest. Priori modo 1.° nascitur 2.° crescit 3.° nutritur 4.° vitae suae impedimenta removentur dum aegrotus sanatur. 5.° Pristinae restituitur valetudini morbis reliquis omnino depulsis. Posteriori modo in ordine ad societatem 6.° perficitur quum ab aliquo potestatem habente regitur 7.° vel per matrimonium propagatur. Ex his facile colliges cur septem Sacramentis Christus hominibus providit, quorum singula nostrae interpretationis objectum erunt seqq. cap. et concl.

---

(1) *Sess. VII. de Sacr. c. 1.*
(2) *3. p. q. 87. art. 3.*

CAPUT V.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CONCLUSIO PRIMA

Natura hujus Sacramenti extricatur, et necessitas.

Baptismus graece, latine *immersio*, generatim *lotio*. E Sacramentis novae legis primus, et dicitur regenerationis per aquam in verbo juxta Cathechismum Romanum. (1) *Regenerationis*, quia baptizati gratia implentur, qua sanctificantur, et in novam, ac spiritualem vitam regenerantur, ita ut veluti *modo geniti infantes* dicti sint in scripturis(2); peccatis omnibus nimirum abluuntur originali praesertim, ac poenae ab illis in altera vita persolvendae remittuntur; non enim aliter regenerati dicerentur, ut modo geniti infantes (3). *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis* ait Apostolus (4) (a). *Per aquam.* Elementum visibile, seu materia hujus Sacramenti, quam Christus instituit, est aqua, et recte ex D. Thoma tum ob aptitudinem ad internum designandum lavacrum, tum

(a) Manent tamen post baptismum poenalitates scilicet, mors corporis infirmitas, concupiscentia, et quas originale peccatum in humanum genus effudit, ut intelligamus ait Augustinus, *totum quod salutaribus agitur sacramentis magis ad spem cunctorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem praesentium pertinere.* Requiritur vero in adultis poenitentia, ut gratiam recipiant baptismi, ad praeparationem potius ejus, quam ad vindictam peccati.

(1) *Part. 2. c. 1.*

(2) *Petr. 11. 2.*

(3) *1. Petr. 11. 2.*

(4) *Epist. 1. ad Cor. 1. 6. vers. 11.*

ob facillimum usum ejus, tum quia maxima ejus commoditas (a). Per aquam baptizari ipse jussit (1).

(a) Nec scripturis, nec traditione momentum institutionis hujus Sacramenti indicatur: Attamen illis adhaerentibus PP., qui tenent ante Christum passum institutum, nixis scripturis sacris, et praesertim Joann. cap. 3. vers. 22. *Post haec venit Jesus*, et *discipuli ejus in terram Judaeam, et illic demorabatur cum eis, et baptizabat. Quod intellegi par est* de Apostolis: legitur namque capite sequenti ibid. vers. 2. *quamquam Jesus non baptizet, sed discipuli ejus*, qui certe non baptismo Joannis baptizabant, non enim hujus erant discipuli: Revera nec apostolos ordinasset Christus sine baptismo, nec esset verum baptizasse, quod ex cap. *Hierosoly. de Consecr.* dist. 4. colligitur; nimirum esse Mariam, ut implent omnem justitiam Petrum, et Apostolos baptismo Christi baptizatos: item quod magis probabile DD. tenent, a Christo suis manibus baptizatos ipsam Mariam, et Petrum. *Vide Bert. Tom. VI.* Vero aqua baptismum instituit tribuens aliquid ex receptis inter gentes, et Judaeos lotionibus: uti baptismus prophetarum, corporis et vestium lotiones. Aquam veram naturalem esse de necessitate baptismi omnium maxime Concilium Tridentinum definivit (*sess. VII. c. 2. de bapt.*) qualis est putei, maris, paludis, pluviae, et item resoluta ex nive, grandine, glacie; si enim glacies, et nix materia dubia habetur a DD. hoc tantum, quia non abluit, quamvis in necessitate etsi dubia materia, uti ea possit. Aqua vero licet alterata sit accidentaliter quoad calorem, saporem, odorem, ut sulphurea lixivia, jusculum ita tenuiter carne decoctum, ut usum communem, et aquae extimationem retineat, semper valida esset ad ejusdem Sacramenti materiam remotam. Hujus aquae ablutio dicitur materia proxima, sive facta aspersione ejusdem fluentis aquae per sufficientem corporis partem, uti tempore Apostolorum erat consuetum; sive immersione baptizandi in aquam prout in primitiva Ecclesia fiebat, et duravit ad secul. XIII usque, quo S. Thomas floruit; quodque adhuc in Ecclesia graeca exercetur, et Bened. XIII (*Const.* Etsi Pastoralis *tom. 1. Bull.*) concessit; sive infusione aquae super corpus baptizandi, ut fit in Ecclesia latina usu paulatim introducto sine scriptione, ad parcendum erubescentiae mulierum adultarum; ad removendum periculum peccati a ministris baptizantibus primaeva virtute jam frigescentibus; demum ut infantes ob tenellam aetatem aquis toto corpore

(1) *Joan. cap. III. v. 5.*

Apostoli in aqua baptizarunt (a). *In verbo*. Enim vero non aliis, nisi Evangelicis verbis aquae lavacrum in Sacramentum evadit. Illis nimirum verbis, quibus Christus praecepit, ut baptismus daretur; elementum aquae determinatur ad naturam Sacramenti: videlicet forma *Ego te baptizo*, ut latini loquuntur; vel *baptizetur servus Christi*, ut Graeci *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*. Hanc enim ipsam formam Christus instituit (1), uti monet inter alios Divus Augustinus (2) et Trid. definivit (3) anathemate pletens, qui negaret etiam tali forma ab haereticis collatum baptismum esse validum. Qui cum DD. definitur Sacramentum a Christo Domino institutum ad spiritualem homini regenerationem per exteriorem corporis ablutionem factum aqua sub praescripta verum forma.

---

ablutis periculo ne subjicerentur mortis, atque deficiente Diaconorum numero, ac subsidio in adultis maxime mergendis, et sustinendis, impares ministri essent ad ipsum baptismum. Advertit tamen Ritual. Rom. 1.° Quod *Baptismus licet fieri possit aut per infusionem aquae, aut per immersionem, aut per aspersionem: primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur*. 2.° Quamvis unicam ablutionem de necessitate Sacramenti sufficere, ter ablui baptizandum, cavendumque ne forma totaliter absolvatur, antequam perfecta sit totalis ablutio. De trina ablutione vide quae apud Theologos disserta habentur contra Graecos, et omnium maxime Divus Thomas de baptismo.

(a) Palaus (*p. 4. tract. 26. Bonac. de baptismo part. 7.*) et alii, graviter peccare docent ministrum, qui in solemni baptismo non utitur aqua sacro fonte deposita ex antiquissima disciplina; ageret enim contra proxim universalem Ecclesiae, et contra Clement. unic. de baptismo. Vide S. Carolum Borromeum. (*Instit. de baptismo act. Eccl. Mediol. part. 3.*)

(1) *Matth. cap. 28. et Joan. cap. ult.*

(2) *Lib. 6. contra Donatist. cap. 25.*

(3) *Sess. VII. de bapt.*

Ceterum quia sine baptismo nemo vitam potest consequi aeternam (1). Necessarius necessitate medii scholae verbis ab omnibus omnino hominibus habetur post resurrectionem, et a legis Evangelicae facta sufficienter promulgatione. *Si quis dixerit*, ita definivit Trid. (2) *Baptismum liberum esse hoc est non necessarium ad salutem anathema sit.*

Quaecumque vero sit hujus in aqua baptismi necessitas; unicus sua essentia, Paulo testante (3). *Unus Dominus*, *una fides*, *unum baptisma*; respici tamen potest triplici modo, uti Glossa interpretatur, nimirum *fluminis*, idest aquae, de qua dictum est: *flaminis*, idest desiderii; quo intelligitur perfecta contritio cum voto recipiendi baptismum aquae, Christo docente (4). *Vos autem baptizamini Spiritu Sancto non post multos hos dies.* Quod Innocentius III comprobavit (5) et Trid. (6) quod docuit justificari homines nonnisi regeneratione, aut voto ipsius. Revera universa delicta operit caritas (7). *Sanguinis* scilicet martirii, ajente Christo: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari* (8); et alibi *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*, quod explicans Divus Thomas ait (9): Passio pro Christo suscepta obtinet vim baptismi, et idem purgat ab omni culpa veniali,

---

(1) *Joan. cap. III 5.*
(2) *Cit. loc. cap. 5.*
(3) *Ephes. cap. IV. v. 5.*
(4) *Act. c. 1. v. 5.*
(5) *C. Apostolicam de Presbyt. non bapt.*
(6) *Sess. 6. c. 4.*
(7) *Prov. cap. X. v. 12.*
(8) *Marc. c. 10. v. 38.*
(9) *Q. 78. art. 1. ad 2.*

et mortali nisi actualiter voluntatem peccato invenerit inhaerentem. Haec iidem canones ita comprobarunt (1): » Baptismi vicem aliquando implere passionem : de » Latrone illo, cui non baptizato dictum est, *hodie* » *mecum eris in Paradiso*, Beatus Cyprianus non le- » ve documentum assumpsit ».

Verum tenenda haec duo, nempe flaminis et sanguinis baptismum, non esse vere Sacramentum, ut subdit ipsa Glossa ibid., cum non fiunt accedente verbo ad elementum; sed quod supplent involuntario defectui baptismi aquae.

CONCLUSIO SECUNDA

De subjecto baptismi disputatur.

Solus homo viator quamvis in utero sanctificatus materno capax est baptismi. Ingreditur namque per eum in Ecclesiam visibilem, et capax quis redditur caeterorum Sacramentorum. Infantibus aeque ac adultis filiis irae natis renasci cum opus sit; baptismum necessarium semper Ecclesia Catholica docuit, et reapse contra Anabaptistas, qui falso autumabant solum credentes recte homines regenerari, baptismum eis donavit, plaudentibus PP. traditione accepta ab Apostolis, ut Origenes monet (2): cui consonat Augustinus (3), comprobantibus Conciliis Viennense (4) et Trid. (5). Equidem sufficit infantibus credere opera et fide Ecclesiae, qui per se credere nequeunt: ait enim Augu-

(1) *Cit. cap. de conscr. dist. 4.*
(2) *Tom. II. q. 55.*
(3) *Lib. 1. de Sacr. cap. 23.*
(4) *Clem. de Summa Trinit.*
(5) *Sess. VII. c. 12. et 13.*

stinus (1); *ad aliena verba sanantur, qui ad factum alienum vulnerati fuerunt.* Imo ex consuetudine, et pracepto Ecclesiae debet quamprimum conferri illis, nec multum differri, nisi gravis causa obstet: damnata ab Eugenio IV observantia quorumdam ad quadraginta dies, seu ad aliud tempus prolatantes baptismum (2).

Ipsaque fuit Ecclesia, quae Clinicos a sacris removebat ordinibus, quia usque adhuc infirmi in lecto distulerunt illum, et si in catechumenato decesserunt aliquando ipsum afferre sacrum eis recusavit (3) (a). Quoniam vero non omnes indiscriminatim sed ii baptizandi sunt, quorum spes est fore, ut adulta aetate

---

(a) Volterius, ut virtutem baptismi e medio tolleret, et despicatui haberet, inde illud fieri argumentatur, ut quilibet impune quaevis facinora patrare posset, certa inductus spe, quod ea baptismo deinde suscepto diluantur; exemplo, vafer subdit, primorum Christianorum, qui ut liberius viverent, tardius baptizabantur. Ast undenam didicit hoc, certe non dicit, nec dicere poterat, frequentissimus namque constat numerus Christianorum vel in prima Ecclesiae tempestate, et ex actib. Apostolorum, et ex epistolis Pauli, et ab ipso Plinio, qui quum Bithiniam Proconsul regeret, et ingentem Christianorum societatem in diem magis augeri videret, ea de re ad Trajanum scribendum duxit, *libr. X. Epist.* et Tertullianus ipse communem fuisse testatur morem baptizandi infantes. Ita in libro de Baptismo adversus Quintilianum cap. 18. Adhaec Ecclesia et catechesibus, et poenitentiae exercitationibus per gradus varios ad gratiam praeparare consuevit, quos ad baptismum adspirare videbat. Igitur tantum abest, ut quis inde ante baptismum occasionem duceret male vivendi, ut potius ad bene vivendum, ac poenitendum teneatur. Esto demum, quod plerique ad ultimum vitae tempus baptismum differre solerent, hoc vitium dices hominum, nunquam baptismi ad regenerandum instituti.

(1) *Serm. XIV. de apost. c. 7.*

(2) *Const. Cantate Domino edita ad unionem Jacobitarum.*

(3) *Concil. Bracar. 1. ann. 563. c. 17. 1. Vide etiam Bened. XIV. instit. 93.*

perseverent in suscepta Religione, quid de filiis infidelium, interpretari facile erit. Et primo validitatem baptismi illorum etiam invitis parentibus administrati patet ex Benedicto XIV (1) licet sint infantes infidelium proprie talium, idest non baptizatorum, sive parentes sint subjecti Principibus Christianis vel civiliter, et politice ut Judaei; vel dispotice, et serviliter, ut empti in bello justo, quo casu etiam licite baptizantur; sive non subjecti uti Turcae. 2.° Infantes haereticorum possunt et valide, et licite baptizari invitis parentibus, a quorum consortio separandi sunt, si periculum adest subversionis. 3.° Infantes infidelium civiliter subjectorum Principibus infidelibus juxta omnes; vel Principibus Christianis juxta probabiliorem sententiam, et expressam Benedicti XIV (2) invitis parentibus eorum, vel Tutorum baptizari licite non possunt; imo peccaret, qui administraret eis baptismum contra justitiam naturalem ex Divo Thoma (3) subtraendo filios a parentibus, vel relinquendo ipsos in eorum cura ob periculum subversionis. Licite vero iidem infantes baptizantur. 1.° Si parentum alter esset Christianus, alter infidelis, et invitus ex Benedicto XIV (4). 2.° Dum Avus offert prolem baptizandam invitis parentibus, ita laudatus Pontifex. 3.° Prolis aliqua per fas, vel nefas a parentum infidelium custodia abstracta, dum nulla spes reditus moraliter supersit; ex praxi Ecclesiae. 4.° Infantes qui praevidentur statim morituri absque ulla spe vitae, ex decis. S. C. (5):

(1) *Const.* Postremo mense *tom. 2. Bullar.*
(2) *Ibid. 56.*
(3) *3. p. q. 68. art. 10.*
(4) *Cit. loc. et Const.* Probe *tom. 3. Bull.*
(5) *Ann. 1678. apud Bened. XIV.*

sed fieri debet, subdit semper ille laudatus Pontifex, *moderate*, *religiose*, *ac pie*. 5.° Qui infans crudeliter a Parentibus derelictus invenitur; amittunt enim patriam potestatem. Ita Gregorius IX (1) et Bened. XIV (2). 6.° Proles adultae eorumdem infidelium, si petant baptizari etiam invitis, et insciis parentibus. Idem Pontifex (3) et quidem etiam septennio non completo, si sufficienter supponantur ratione praeditae; aliter differendus baptismus, et interim procul a parentibus detinendae, et instruendae, ex eodem Pontifice. 7.° De consensu Tutoris etiamsi mater dissentiat, dummodo pater jam Catholicus obtulerit adhuc vivus ad baptizandum: item si pater antea consensum praestiterit, filiosque suos instituendos tradiderit, tum vero facti poenitens consilium mutaverit. 8.° De adultis, si sanus infidelis baptismum petiverit, et deinde insanus evaserit. Bened. XIV (4), qui subdit: etiam sponsum Christianum posse sponsam hebraeam offerre ad baptismum, modo constet sponsalia inita fuisse per scripturam a parentibus utriusque partis confectam, cui consensus etiam sponsorum accesserit, vel coram Rabino praestitus, vel ex epistolis, quas forsan mutuo ad se scripserint, comprobatus, ita enim potest sponsus juxta Ecclesiae ritum Sponsam evocare, ut apud domum Catechumenorum per quadraginta dies retineatur, et instruatur. 9.° Idem Pontifex post multa contra posita colligit: juri naturali, quo Mater potitur in educatione filiorum, praevalere jus Religionis Aviae Judeae Christianae, nepo-

---

(1) *C. si et Pater 5. de infant.*
(2) *Cit. const. n. 10.*
(3) *Cit. loc.*
(4) *Const.* Postremo mense *ann. 1747.*

tem offerendo ad baptismum, praemortuo ejus patre, sed tum matre superstite, tum tutoribus dissentientibus: eo vel magis, quod si jus naturale ab illo gentium superatur, cum scilicet invitis parentibus infidelibus captivis, eorum filii licite baptismo initiantur; multo magis ipsum naturale jus matris supradictae superstitis ab illo Religionis Aviae superari potest (a).

Quod vero ad adultos spectat, baptismus administratur eis, si sponte petant; nec statim, sed prius explorata eorum voluntate, instructi sint in rebus fidei, docet Catechismus Romanus, quod et necessarium dicitur in infideli moribundo saltem exponendo ei misteria fidei, nisi instet mors. Ita Benedictus

---

(a) Nati sint infantes oportet secundum carnem, aliter regenerari spiritu non dicuntur. Igitur infantes nondum perfecte nati non sunt baptizandi, nisi mortis periculum immineat, et tunc si pars edita sit, uti caput, absolute sunt baptizandi, si vero alia pars, sub conditione ex Divo Thom. *1. part. q. 68. art. CI. ad object. 4.* Ritual. Rom. et Bened. XIV. *de Synod. D. 12. et 5. num. 10.* Hinc si postea vivus perfecte nascatur, tunc dummodo baptizatus sit extra caput, rebaptizandus sub conditione erit. Infans nulla sui parte egressus, sed totaliter inclusus in utero materno juxta plures nullo est baptizandus modo, quamvis alii velint baptizandum sub conditione, si arte ipsum in utero existentem pertingere aqua, et perfundi possit, quibus laudatus Benedictus XIV adhaeret *ibid.* Et hoc omnino tenendum. Quod si dein foras vivus prodeat, rebaptizandus est sub conditione. Monstrum quocumque modo originem habens, si praeditum anima rationali sit, ex. gr. si caput hominis praeseferat, est baptizandum, licet alia membra essent ferina; si habeat duo capita, et duo pectora invicem conjuncta quodlibet proprio, et distincto baptismate debet baptizari, et quidem absolute: si vero dubium an non homo sit, baptizari sub conditione debet, ita Ritualia. De foetibus abortivis quoniam viget opinio, ipsis probantibus Peritis, quod foetus ab initio conceptionis, vel saltem post aliquos dies anima informetur, baptizandus est sub conditione semper ac per aliquem motum vitae dat signa: Rit. Rom. Advertit tamen Tourneli *tom. 4. pag. 363.* non debere carneam massam baptizari.

XIV (1) (a). Debent equidem antea credere, insuper, et peccata detestare (2) (b).

(a) Instituit ob id Ecclesia catechesim, unde qui praeparantur ad baptismum, catechumeni dicuntur. Erat vero haec catechesis, ut rectius procederet, in varios gradus distincta, quorum numerus non convenit inter doctos. At rectius sentire videntur, qui in *Audientium*, *Genuflectentium*, *Competentium*, *sive electorum* partiuntur illos. *Audientes* erant, qui fieri Christianos praeseferebant, ac sermones, et scripturas audiebant, quibus finitis Ecclesia exibant cum poenitentibus, et Ethnicis. *Genuflectentes* in Ecclesia remanebant, ubi in genua provoluti manuum impositione sub certis precibus ab Episcopo accepta, catechumeni recipiebantur; qua admissione generale nomen *Christiani* consequebantur; inde ab Ecclesia egrediebantur, dicente Diacono: *Quicumque catechumeni discedite*. *Competentes* denique dicebantur qui tertio gradu, praevio examine de doctrina fidei acquisita, et continentia vitae ad baptismum, solemni die appropinquante administrationis ejus, proxime accipiendum elegebantur. Nomine *Electorum* donati erant hi ob examen illud completum, et catecumenatum, ab aliis discreti inter suscipientes baptismum censebantur. Ex ritibus qui servabantur in his gradibus, plurimos Ritualia conservant in baptismo adultorum. Munus instituendi *Audientes* erat Praelatorum Presbyterorum, Diaconorum, aliorumque Clericorum, dicti catechistae, ipsis non exclusis laicis. Illos vero tantum veritatibus simplicibus, et vitae christianae officiis excolebant usque ad nominum dationem, quae Diaconus viventium Diptycis inserebat, nec de mysteriis, et omnium maxime de Eucharistia, ritibusque Sacramentorum, nisi vix fas erat eis dicere: ne ethnicismus abuteretur eisdem, hypocrisia, libido, quae tunc grassabantur. (*Vide Berti de Theologicis disciplinis tom. 6. p. 8.*) Hinc summa prudentia, et judicio catechumeni instituebantur: atque haec est celebris *arcani* disciplina, quam ab ipsa Christi, et Apostolorum memoria repetunt Pagius in Baron. ad ann. 118, aliique, et praesertim Emmanuel Schelestratus peculiari dissertatione hanc illustrans *Arcani* materiam adversus Dallaeum, et Binghamum, quaeque stetit toto quinto saeculo. Equidem ad eam spectant scripturae quibus ipse Christus ait (*Matth. cap. XIII.*): *Quia vobis datum est nosse mysteria Regni Coelorum, illis autem non est datum*. Et similiter. *Nolite Sanctum dare canibus, neque*

(1) *Cit: const.*

(2) *Sess. VI. in decret. de justit. C. P.*

CONCLUSIO TERTIA

Quibusnam baptizare liceat.

Etsi valide baptizet homo quivis ratione utens cujuscumque fidei, vel infidelitatis, status, aut sexus uti habetur in Decreto Eugenii IV, comprobatum a Nicolao V (1), et in conciliis Trid. (2) et Lateranensi IV (3) definitur. Hoc et declaratur a Divo Thoma (4). Equidem minister regulariter triplex distinquitur. *Ordinarius et ex officio*, *Extraordinarius*, *et Necessarius*. Christus hoc commisit officium Apostolis, cum dixit: *Euntes, docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris etc.* (a). Episcopis ergo jus ordinarium

---

mittatis margaritas vestras ante porcos. (Matth. VII.) Ut proinde intelligatur, cur in Patrum concionibus aposiopeses saepe occurrunt, et subinde formula *norunt initiati* seu *norunt fideles*, *quod dicitur.* Hac disciplinae lege utebantur omnes fideles, ipsique ministri altaris, et catechistae. Nec mirum cum apud gentes eadem obtinuit, qua initiatis, vulgatum est, misteria Deorum tantum patuisse: et similiter Philosophi *Arcani* legem servaverunt, qui sublimes doctrinas tantum suae sectae addictis aperiebant.

(b) Etsi in adultis contritio aliqui ut praecedat volunt, verius et communius attritionem sufficere tenent reliqui sequentes D. Thom. *(in 4. Dist. 6. q. 1. art. 3. ad 5.)*

(a) Quare diu in veteri Ecclesia observatum fuit ut unum in qualibet civitate Cathedrali Ecclesia baptisterium extaret. Multiplicari dein circa saeculum IX Baptisteria videntur. Apparet ergo solos tunc Episcopos baptizasse. Hujus vestigium mansit in Sabato Sancto, et Pentecostes, quibus diebus Episcopi solemnem ministrare solebant baptismum. Bononiae, Pisis, Florentiae, aliisque urbibus adhuc unum est baptisterium.

(1) *C. 4* quadam *dist. 4. de consecr.*

(2) *Sess. VII. cap. 4.*

(3) *C. Firmiter de Summa Trinit.*

(4) *Q. 67. art. 3. et 4.*

est baptizandi. Parochi vero qui accipiunt ab illis curam animarum, et proinde jus administrandi Sacramenta, jure etiam ordinario, et proprio, sive jure officii, et beneficii parochialis administrant baptismum. Praeterea simplices Sacerdotes, quibus dictum ab Episcopo Ordinante fuit: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare*, ministri proin declarantur etiam baptismi (a). At quia hoc ex communi DD. intelligitur cum licentia Episcopi, vel Parochi; hinc ex delegatione non jure ordinario ministri dici possunt ejusdem baptismi. Religiosi cum licentia ministri ordinarii licite baptizant. Diaconis denique, in quorum ordinatione similiter dictum est *Diaconum oportet baptizare*, etiam administratio solemnis delegari potest. Revera Samaritanum, et Eunuchum a Philippo Diacono baptizatos testantur scripturae (1); sed non uti Sacerdotibus; nam et necessitas sit oportet, ut delegatio fiet illis, uti canones docent (2). *Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tradendum, ejusdem ministerium nec ipsis Diaconis explere est licitum absque Episcopo,*

(a) Ipse Episcopus, et Parochus extra Dioecesim, vel Parochiam absque delegatione vel intra eas alienum licite non baptizant. Peccant similiter Parentes, qui sine licentia sui Praelati, alieno deferunt prolem baptizandam. Juvat hinc etiam colligere quod Peregrini, vel qui domicilium non habent, possunt baptizari in Ecclesia, quam elegerint. Ita DD. (*ex cap.* Nec numerus *q. 3.*). Si vero mulier casu pariat in Pago non suo, proles ab illius Pagi Parocho est baptizanda. Veruntamen si ille Pagus a proprio distet parum, ex. gr. duabus, aut tribus horis potest etiam in Ecclesia sua baptizari proles juxta aliquos. De aliis vide, quae diximus de Parocho proprio relate ad Sacramenta.

(1) *Actor. 8. v. 12. et 35.*

(2) *C. 19. de consecr. Dist. 4. et can. Diaconus 13. dist. 93.*

vel Presbytero, nisi his procul absentibus, ultima languoris necessitas cogat (a).

In necessitate demum extrema sine coerimoniarum solemnitate jus est cuique baptizare tum clerico, tum laico quamvis haeretico aut pagano (1), viro, aut mulieri, servato, ubi plures adsint, ordine conditionis, et sexus vel habito ad pudorem, peritiamque respectu (b). Nec licite tamen, nec valide quisque potest

---

(a) Puta si non adessent Sacerdotes, vel multitudo baptizandorum sit, aut Parochus graviter infirmatus, aut excommunicatus, aut aliis occupatus puta, confessionibus excipiendis, praedicatione etc. Ipsae namque scripturae tradunt Apostolos Diaconos constituisse dicentes: *Viros constituimus super hoc opus; nos autem orationi, et ministerio verbi instantes erimus.* Et Divus Thomas alloquens diaconos ait: « Non pertinet aliquod Sacramentum principa- » liter, et quasi ex officio praebere, sed adhibere ministerium » aliis majoribus in Sacramentorum exhibitione ».

(b) Licite etiam legitimus pater, et mater puerum periclitantem tamen, et in necessitate baptizant, nec tum cognationem spiritualem contrahunt, quam Trid. statuit *(Sess. 24. cap. 2. in Decr. de reform. matrim.)* Ita DD. *(ex c. ad limina 7. c. 8. q. 1. ubi dicitur.)* Inculpabile judicandum, quod necessitas intulit. Item si ex ignorantia baptizent *(c. si vir 2. de cognat. spirit.)* cum ignorantia sit facti; quod si juris sit, probabilius nec contrahunt juxta DD. Tandem si solius poenae sit ignorantia, nimirum impedimenti actui annexi probabilius, et communius ipsi DD. negant contrahi. *(Sanchez de matrim. libr. 9. disp. 26.)* Adhaec de parentibus praeter necessitatem, et ex industria baptizantibus filium non convenit inter DD. Alii enim D. Thom. sequentes *(suppl. q. 56. num. 1.)* contrahi dicunt impedimentum. Alii communius negant, quod S. Ligorius satis probabile dicit. *(lib. VI. Tract. 2. de Sacram. Bapts. art. 2. Et ex sacris canonibus colligi potest cap.* si vir *2. de cognat. spirit. ibi enim dicitur hujusmodi conjuges non sint separandi)*, et addit, ut alter alteri jus suum non posse denegare. Nec demum subdunt DD. valere quod quidquid dirimit matrimonium contrahendum, impedit contractum, nulla enim poena incurritur, nisi in jure sit expressa. Monendum ultimo ducimus,

(1) *Ex Decr. Eugenii IV. ad Armenos.*

baptizare seipsum; diversa enim sit oportet persona baptizantis a baptizando. Ita omnes DD. (a).

CONCLUSIO QUARTA

Effectus Baptismi recensentur.

Effectus principalis Baptismi est regeneratio, de qua dictum fuit, et quam comprehendere intelligitur. 1.° Remissio peccati Originalis, et omnium actualium ante baptismum commissorum ex Trid. (1). 2.° Remissio omnis poenae peccato debitae absque ulla satisfactione, et hinc adultis baptizandis nulla imponitur poenitentia saltem laboriosa, et satisfactoria ex Conc. Florent. (2). Si tamen adultus ante baptismum delicta commisisset infesta societati a Magistrato puniri posset. Ita advertit Divus Thomas (3). 3.° Ablutio omnium irregularitatum ex delictis, etiam homicidio. 4.° Infusio gratiae sanctificantis, quae infantibus aequaliter confertur, adultis inaequaliter pro ratione dispositionis, nisi ponatur obex, in quo casu non recipitur gratia illa; neque alii habitus infusi; exceptis

---

filium concubinae urgente etiam necessitate, qui baptizaverit prohibetur inde in uxorem eam ducere. Legitimis enim parentibus solum necessitas favet.

(a) Ex dictis recte domi infantes baptizare vetitum fuit exceptis liberis Regum, et Principum. Ita Clem. V (*in concil. Vien. Clementina unica de baptis.*) et ex Bened. XIV (*const.* Magno *Tom. 5. Bullar.*) S. Ligorius, et Magnatum filios ex consuetudine baptizari domi licitum censet contra aliquos. Illicitus ergo baptismus, qui nimirum domi confertur extra necessitatem, nisi quando speciatim Episcopus annuat.

(1) *Sess. 5. c. 3.*

(2) *Relat. in Const. Eugenii* Exultate Deo. *Tom. 1. Bullar. Cherubini fol. 286.*

(3) *3. p. q. 69. art. 10. d. 3.*

charactere, fide, et spe; sublato tamen obice revivi-scit saltem in ordine ad producendam gratiam habitualem, et alias gratias eidem adnexas. De his tamen Theologi disputant. 5.º Infusio gratiae sacramentalis, quae confert jus ad auxilia baptismo proportionata ad sancte, et Christiane vivendum, ut decet filios Dei.

Alter effectus est character, quem innuens Apostolus ait (1): *Signati estis Spiritu promissionis Sancto*. Hoc signum quasi certa consecratione illustratur, et ab infidelibus distinguitur baptizatus, et dignus efficitur, ut suscipere valeat reliqua Sacramenta. Hinc ex virtute ejusdem baptismus iterari non potest (2). Semel mortuus Christus semel baptizatur. Semel baptismo regeneratur, haec significante mysteria (3). Hinc rebaptizans aliquem saltem absolute; imo et ministrans rebaptizanti, praeter peccatum incurrit irregularitatem, sicut et rebaptizatus (4).

Tertius effectus est cognatio spiritualis, quam interpretari congruentius ducimus, cum de ea redibit sermo de matrimonii impedimentis agentes.

CONCLUSIO QUINTA

De caeremoniis baptismi; et de patrinis nonnulla adferuntur.

Tum ad obtinendas gratias uberiores, tum ad significandos effectus baptismi coerimoniae aliae antecedentes, concomitantes aliae, aliae consequentes prae-

(1) *Ad Eph. c. 1. v. 13.*
(2) *Ex Conc. Florent. et Trid. sess. 7. de baptis. cap. 11.*
(3) *S. Thom. 3. p. q. 63. art. 3.*
(4) *Ex Can. Qui in quolibet 1. c. 1. q. 7.*

scriptae in Rituali Rom. sunt adhibendae; tum ad ornatum, et splendorem hujus Sacramenti. De his tractant Ritualia. Ast universim circa easdem, praeter dicta, observandum. 1.° Mortale esse negligere aliquam ex eis notabilem juxta omnes DD. 2.° Cum in necessitate, vel ob aliam causam puta justum timorem infamiae Baptismus sine coerimoniis est collatus, ea cessante, illae solemniter in templis sunt supplendae. Ita Divus Thomas (1), et communis (2). 3.° Nomina baptizatorum ex martyrologio desumi debita Parocho, rejectis falsarum religionum, idolorumque nominibus (a) insuper et parentum, patrinorumque nomina, ac diem nativitatis, datique baptismi, exponendo si sub conditione vel si cum caerimoniis administratus sit, item locum ubi infans sit expositus; munus est ejusdem Parochi describere in libro ad id composito, uti dictum fuit (3), cui fides habetur plene probans baptizati aetatem (4), non item *filiationem*, ut ajunt; etenim ex conscriptis ibidem parentibus aliquando nativitatem coram judice aliunde ostendendam (b).

(a) Ita Bened. XIV (*const. 107. tom. 1. Bullar.*). Sed notat Croix. (*libr. 6. part. 1.*) non peccare, qui nomen non Sancti imponit, quia imponere Sancti nomen non est praeceptum, sed monitum Sancti Pii V, et Pauli V. Idem dicit posse nomen Veteris Testamenti imponi, ex. gr. Adam, Tobia etc. Verum hoc passim etiam utatur. Et insuper posse nomen in baptismo impositum privata auctoritate mutari cum hoc nullo jure prohibetur. Procul dubio autem potest in Confirmatione mutari.

(b) Natos ex occultis matrimoniis conscientiae filios, fore quamprimum baptizandos: ita ex Benedicto XIV (*const. satis vobis 35.*

(1) *3. p. q. 7. art. 3. ad 3.*

(2) *Ex Can. 1. de Sacr. non iter.*

(3) *Tom. II. concl. et patet ex Rit. Rom. ac Synod. Neap. Pro an. 1699.*

(4) *Can. parvulos 110. de cons. D. 4. et Bened. XIV. de S. D. l. 7. cap. 6. num. 4.*

Dum datur baptismus *Sponsores* vulgo *Patrini* offerunt baptizandos ministris ex antiquo. In antiquis monumentis saepe dicuntur *Susceptores*, quod ex aqua prodeuntes susciperent, et *Sponsores*, ac *Fidejussores*, quod pro iis, quos offerebat, sponderent, ac fidejuberent. 1.° Hinc intendat Patrinus oportet munus, quod assumit, inscius namque, et invitus nemo est patrinus. 2.° Offerre opus habet baptizandos ministris, eosque de sacro fonte levare et quia S. Canones utuntur his verbis, *tenent*, *levant*, *suscipiunt*, juxta plures debent phisice infantem suscipere, et tenere. Ast quia per procuratorem hoc officium ex omnium consensu gerere quis potest, ita ut contrahat cognationem, hinc ex adverso plures contendunt illud non requiri. 3.° Pro infantibus baptistae in interrogationibus respondent. 4.° Adultos baptizandos ejus est docere, quae necessaria sunt, baptizatos in Christo erudire, ac eorum curam habere: ideo parentibus negligentibus eam, peccaret patrinus si nullum auxilium filiis eorum praeberet. 5.° Inter patrinum, matrinamque ex una parte et baptizatum, ejusque patrem, et matrem ex altera, oritur cognatio spiritualis, quae obstat, ne matrimonium inter eas personas contrahatur. Inter patrinum, et matrinam nulla erit cognatio. Sed de hac cognatione redibit sermo deinceps (a). Unus sive vir, sive mulier,

---

diei 17. Nov. 1741. tom. 1. Bull.) poena evulgandi connubia conjugum, si post mensem transcuret. Adhaec legitimam ipsorum nativitatem alteruter parentum denunciare Parocho debet, ut in secretum baptizatorum codicem, quem Episcopus clausum obsignatumque apud se, aut aliquem ex ministris suis habebit, baptismus ejusmodi prolis legitimae expressis nominibus parentum referatur. Testis unus, dum integrum sit collatum baptisma, fere probat. *(cap. non plures 101. de cons. D. 4.)*

(a) Si forte adhiberetur patrinus in privato, juxta communiorem sententiam non adesset impedimentum cognationis, de quo

aut ad summum unus, et una baptizatum de baptismo suscipiunt, ut post alios canones definivit Trid.

Ab hoc denique officio excluduntur. 1.° non baptizati. 2.° haeretici publici, praesertim qui ad sectas pertinent separatas. 3.° Peccatores publici, quorum scelus nulla possunt tergiversatione celare. 4.° Pueri rationis usum non habentes, neque per procurationem, ad quam incapaces sunt, possunt esse Patrini; sicut nec ebrius, et insanus. 5.° De religiosis in jure haec habentur (1). *Non licet abati, vel monaco de baptismo suscipere filios, nec habere commatres.*

CAPUT VI.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CONCLUSIO PRIMA

Natura et effectus Sacramenti Confirmationis explicantur.

Regenerati baptismo, Confirmatione indigent, ut pie vivant in Christo, nec mortis metu a christianae fidei professione deterreantur. Sacramentum inde fuit a Christo institutum (a) quo regenerati per manus im-

---

mox. Qui vero dum supplentur coerimoniae in Ecclesia patrini personam gereret, num contrahat cognationem inter DD. non convenit.

(a) Confirmationis Sacramentum a Christo institutum, de fide statutum esse in Trid. *(Sess. 7. c. 1.)* DD. advertunt; sed de tempore discrepant. Nobis arridet opinio Angelici, qui ait *(3. p. q. LXX. art. I. in corp.)*: « dicendum esse quod Christus ante passionem insti- » tuit hoc Sacramentum non exhibendo, sed promittendo secun- » dum illud Joann. *(Cap. XVI. 7.) Si non abiero Paraclitus non*

(1) *C. 103. de consecr. D. 4.*

positionem, et sacri Chrismatis in fronte inunctionem, Spiritum Sanctum ad robur fidei, et auxilia spiritualia consequantur, ut Christi perfecti milites evadant; dictum proin Sacramentum *Confirmationis* ab ejus effectu; sicut ex antiquis monumentis *manuum impositio* a modo quo confertur. *Tunc imponebant*, docet Scriptura, *manus super illos et accipiebant Spiritum Sanctum*: item *Chrisma* ab ejus materia (1), et *Unctio* a S. Dionisio (2), et a S. August. (3) (a).

» *veniet ad vos: si autem abiero mittam eum ad vos.* Ratio est » quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quae » non erat danda ante Christi resurrectionem et ascensionem, se» cundum illud Joann. *(VII. 39.) Nondum erat Spiritus Sanctus » datus, quia Deus nondum fuerat glorificatus* ». Ex his aliqui Doctores sentiunt Christum in nocte coenae docuisse Apostolos Chrisma conficere; ac propterea die coenae Ecclesia conficit Chrisma in singulos annos, ut ex Apostolica traditione refert S. Fabianus Pontifex *(in can. Christianis diss. 4. de consecr.)* Haec decretalis supposititia tamen videtur DD. qui ex Concil. Tolet. *(q. c. 20.)* omni tempore fieri Chrisma profecto ajunt, deinde inductum initio saeculi VII, ut quotannis fieret.

(a) Chrismatis nomine venit unguentum, quod Latini ex oleo, et balsamo, Graeci vero ex triginta quinque aliis aromatum speciebus conficiunt, addita non exigua vini quantitate. Ex Tertull. ab initio ex solo oleo confici videtur. Ceterum commixtio ista balsami cum oleo non esse de Sacramenti necessitate, probatur 1.° ex c. 1. de Sacramentis non iterandis ubi Innoc. III consultus num debeat in eo iterari Sacramentum Confirmationis, qui solo oleo fuit delinitus: respondit, non esse iterandum, sed caute supplendum, quod incaute fuerat omissum. 2.° Ex usu tantum Ecclesiae requiri videtur balsamum, cujus ante Gregorii M. tempora, nullum certe illius erat monumentum. 3.° Pius V *(const. digna ann. 1571.)* Episcopis Indiarum pro balsamo, quod ibi non reperitur, succum quemdam miri odoris, qui pro balsamo communiter habetur adhibendum concessit. 4.° Xistus V *(const. an.*

(1) *In Concil. Laodic. c. 7. et 8.*
(2) *De Eccl. Hierarch. c. 4.*
(3) *Contra litt. Petilian. c. 104.*

De materia essentiali hujus Sacramenti disputant Theologi (a). Placet, tamen *Chrisma* ab Episcopo consacratum, simul et *impositio manuum* idoneam huic Sacramento materiam dicere. Utramque enim materiam consuevisse ab Apostolicis usque temporibus adhiberi ostendunt Scripturarum testimonia et PP. atque per manus tradunt Rituales libri, praesertim S.

1590.) Episcopis Portugalliae et Algarbiorum permisit, ut pro balsamo vallis Hierico quo R. Ecclesia semper consuevit Chrisma conficere; balsamo Orientali uterentur.

(a) Silente Ecclesia putarunt aliqui solam impositionem manuum, de qua Scripturae memorant materiam esse hujus Sacramenti. Sed contrarium adstrui videtur ex Trid. (*Sess. VII. c. 2.*) ubi ipsi tantum Chrismati virtutem Sacramenti attribuitur. Idem ex PP. et Conc. quae passim uti Trid. ipsum docuerunt infertur. Alii vero unctionem solam pro materia essentiali constituerunt, eo quod in locum successerit impositionis manuum quod credunt in integram abiisse coeremoniam. Sed falsum id constat, quum in substantia Sacramentorum, quae a Christo sunt instituta Ecclesia commutare nequit. Distinguunt ideo plerique duplicem impositionem manuum, unam, quae praecedit quum scilicet Episcopus extendens manus versus confirmandos orationem *Omnipotens* fundit, ad invocandum Spiritum S.; alteram vero ipsi ungendi actioni conjunctam, quamque propterea impositionem etiam dicunt, eo quod nonnisi manu, unctio ipsa perficiatur. Atque de hac impositione manuum, quae ab ipsa impositione haud distinguitur intelligandas esse scripturas volunt. Verum sub nomine manuum impositionis specialem quamdam ac plane distinctam ab unctione actionem Veteres significarunt. Unde *capitis obumbrationem*, illam dixerunt, *manus extensionem*, *expansionem*, *sive elevationem*. Deniqne plures essentia'em Confirmationis materiam manus impositionem, partem esse *integrantem* neminem esse existimarunt. Sed nec isti e medio tollunt difficultates; nam quomodo pars *integralis* dici potest unctio, et non *essentialis*, si actioni Chrismatis Trid. ac PP. collationem tribuunt Spiritus Sancti? Diligenter igitur ex dictis caveant Episcopi ad tutius agendum ne dubium existat Sacramentum ex defectu rituum istorum quantum ad essentiam possint pertinere, et neminem ungant nisi adfuerit orationi, quae antea in manus impositione recitatur.

Greg. M. Sacramentarium, et Ordo Romanus atque Pontificale R. (a). Nec absurdum quod duplici constet materia Sacramentum hoc; quum Eucharistia omnibus fide tenetur ex equo duplici materia pane et vino confici. Adeundi tamen Theologi sunt in hoc articulo et praesertim Juvenius (1), et Drouvenius (2) atque Tourneli (3) et Berti (4).

De forma item disputant Theologi, quibus remittimus lectorem. Nos vero cum duplici materia duplicem tenemus congruentem formam. Verba orationis cum manus imponuntur invocantia *Spiritum Sanctum Omnipotentem etc.* et alia dum Unctio apud Latinos *Signo te signo crucis et confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*: apud Graecos *Signaculum doni Sp. Sancti in nomine Patris, et Filii, et Sp. S. etc.* quae essentia non discordant ab illis Latinae Ecclesiae verbis.

Effectus sunt I.° gratia sanctificans non quidem *prima* saltem per se loquendo, sed *secunda*, quae ad differentiam gratiae *regenerativae* collata per baptismum, appellatur *proficiens*, *roborans*, *confortans* ad fidem intrepide confitendam, et superandos omnes quae contra insurgunt Daemonis, ac mundi tentatio-

---

(a) Quod Apostoli orantes imponentesque manus hoc Sacramentum dedissent Spiritum S. praesertim Petrus et Joannes Samaritanis, Ephesiisque Paulus, acta eorumdem Apostolorum ferunt, (*c. 8. v. 14. et seqq. c. 19. v. 5. et seqq.*) De Chrismate inter alios D. Thomas (*part. 3. q. 72. a. 2.*) ait: *Apostoli communiter Chrismate utebantur in exibitione Sacramenti* (*art. 4.*) dein condocet: *Multa servabant Apostoli in Sacramentorum collatione, quae in Scripturis communiter praepositis non sunt tradita.*

(1) *De Sacr. diss. 3. de confirmat. q. 3.*

(2) *De re Sacr. 1. 3. q. 3.*

(3) *In praelud. Theol. de Sacram. confirm. q. 1. a 3.*

(4) *De Theol. discipl. l. 32. c. 4.*

nes. *In baptismo*, ait Eusebius Emissenus (1), *regeneramur ad vitam, post baptismum confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur. post baptismum roboramur.* II.° Gratia sacramentalis, quae est gratia ipsa habitualis roborativa, adnexum jus habens ad gratias actuales necessarias, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur ex Concilio Florent. Vide etiam Divum Thom. (2). III.° Character indelebilis quo baptizatus adscribitur miles Christi quemque Paulus designat his dictis (3): *unxit nos Deus, qui et signavit nos et dedit pignus spiritus in cordibus nostris*; unde in eadem persona iterari non potest ex Trid. (4). Quod si quis sciens iterato susciperet hoc Sacramentum, graviter peccaret, nullam tamen incurreret irregularitatem.

CONCLUSIO SECUNDA

Minister distinguitur confirmationis, et coeremoniae adhibendae in administratione ejus expenduntur.

Minister ordinarius hujus Sacramenti est solus Episcopus ex Florentino, quamvis haeretici quidam attribuerint eandem potestatem presbyteris, qui merito damnati fuerunt a Concil. Trid. (5). Inde Nicolaus I jussit confirmatos a Photianis presbyteris iterum confirmari. Ex his patet teneri Episcopum illud administrare, et diu differens peccare (a).

(a) Ergo potestas plena et completa confirmandi adnexa melius
(1) *Hom. de pentec.*
(2) *D. q. 72. a. 1. et 7.*
(3) *1. ad Corinth. 4. 22.*
(4) *Sess. 7. de Sacr. in gen. c. 9.*
(5) *Sess. XI. c. 3.*

Extraordinarius et ex delegatione Summi Pontificis, justa et rationabili de causa potest esse simplex Sacerdos. Ita tamen, ut Confirmatio censeatur irrita, si Sacerdos absque delegatione hoc munus usurpet (1). Quod praxis Ecclesiae comprobat; confirmatos namque a Graecis presbyteris, atque ad ipsius communionem revertentes, numquam iterum confirmari permisit. Ipse Greg. M. Calaritanis presbyteris, quibus antea negaverat, permisit. Et fratribus minoribus in regiones Orientis et Septentrionis, atque presbyteris Societatis Jesu in Brasilium ad fidem propagandam missis, confirmare indulsit Sedes Apostolica; tum nonnullis Abbatibus et Regularium Superioribus.

Adde Eugenium IV in Decr. Armenorum, immo

---

videtur Ordini Episcopali, ita tamen ut eodem jure divino eadem potestas radicalis inchoata et completa sit adnexa ordini Sacramentali vi cujus simplex sacerdos fit capax, ut ei delegari possit facultas confirmandi, qua delegatione facta perficitur, et completur potestas illa radicalis. Quamvis Reiffenstuel (*lib. 3. Decr. tit. 402. 24.*) tenet quod potestas confirmandi non sit de jure divino annexa ordini Episcopali, sed solum dispositione et lege Ecclesiastica. Verum ex Bened. XIV (Synod. *D. 1. 7. c. 7. n. 2.*) nequit sive valide, sive licite, administrari a simplici Sacerdote ex delegatione solius Episcopi; quia sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. Item ex eodem Pontifice (*ibidem c. 9.*) in Ecclesia Graeca valide ac licite administratur Confirmatio a Sacerdotibus in illis locis, in quibus id a sede Apostolica non est prohibitum; secus vero in illis, in quibus certo constat talem facultatem Graecis ademptám esse, uti Sacerdotibus in Bulgaria, et regno Cypri, Italo-Graecis etc. Ex quo apparet consuetudinem in Ecclesia Orientali qua presbyteri quique confirmant, tacito saltem consensu a Romana sede probatam; quod etiam patet *ex const.* Etsi pastoralis *ann. 1142.* laud. Pont. qui baptizatos per Episcopum latinum, si non adsit Graecus, ab Italo-Graecis presbyteris confirmari praecepit.

(1) *Bened. XIV. const.* Etsi pastoralis.

ipsum Tridentinum (1); nam PP. inibi accepimus fere tum omnes in S. Thomae sententiam inclinasse, qui (2) adfirmaverat Gregorium Papam ex *plenitudine potestatis* privilegium hoc novis Sacerdotibus concedere potuisse. Ceterum in administrando simplices Sacerdotes hoc Sacramento debent uti Chrismate ab Episcopo confecto et consecrato. Diserte ideo ait Eugenius IV (3). *Chrismate per Episcopum confecto ex rationabili et urgente causa simplicem Sacerdotem per Apostolicae Sedis dispensationem hoc administrasse Sacramentum legitur.* Hinc D. Thom. (4) censei de necessitate esse hujus Sacramenti Chrisma per Episcopum consecratum (a).

In administratione ejusdem, coerimonias plures adjunxit Ecclesia, ut videre est in Ritualibus, ibique observandas. De *patrinis*, quos proprios Confirmationis adhibet Ecclesia, cum seorsim a baptismo dare hoc Sacramentum coepit, sat erit monere ut sint 1.° Baptizati et Confirmati (5) secus non haberent rationem patrini, nec juxta plures cognationem contraherent. 2.° Unus tantum (6) debet esse, nunquam unus et una ut concessum ex Tridentino in baptismo fuit:

(a) Quoad tempus olim nonnisi duplex distinguebatur. In Sabbato S. et pervigilio Pentecostes. Quoad factum potest conferri arbitrio Episcopi etiam horis vespertinis et extra Ecclesiam; unde nec ab Episcopo jejuno ut olim conferebatur, aut fidelibus jejunis; perincommodum hoc namque videtur; et a saeculo duodecimo in desuetudinem abiit, uti ex D. Thoma (*3. p. q. 75. art. 12. ad 1.*)

(1) *Sess. loc. cit.*
(2) *3. p. q. LXX. art. 11. ad 1.*
(3) *Cit. Decr. Arm.*
(4) *Cit. loc. art. 3.*
(5) *Can. in baptismate 102. de consecr. D. 4.*
(6) *Ex c. quamvis 3. de Cognat. Spir. in 6.*

si tamen plures adhiberentur, omnes contraherent cognationem spiritualem (1). 3.° Masculus ex Pontificali Rom. non deberet esse patrinus foeminae, et e contra, licet ex textu *Quamvis* cit. stet in libertate eligendi Patrinum masculum, aut foeminam (a). Jure Synod. Neap. Provincial. (2) *mares a solis maribus, foeminae a foeminis solis suscipiantur, statutum est, neque ulli liceat plures quam duos eodem die in Confirmatione tenere sine Ordinarii facultate.* Insuper distinctus ab eo sit oportet, qui fuit in baptismo, saltem extra casum necessitatis (3). Debet attingere saltem decimumquartum aetatis annum, cum antea non videatur aptus ad imbuendum alios in Christiana militia. Adhaec baptizatum praesentare Episcopo, ipsum in actu Confirmationis tenere humeris, vel juxta receptissimam consuetudinem a S. Congregatione adprobatam (4) manuum dexteram super confirmandorum humerum imponere. Nequit demum esse ullus ex Parentibus ipsius confirmandi propter cognationem Spiritualem, quam ex Tridentino essent alias contracturi; si tamen fieret, non privarentur jure reddendi, sive exigendi debitum juxta probabiliorem sententiam fundatam in Glossa (5).

(a) Ex bullis, quas memorat Cardinalis Pallavicinus *l. 9. Hist.* Concil. Trid. et Arcadius *lib. 2.* Concord. Orient. et Occident. Ecclesiae *c. 25.* enarrat, et Bened. XIV. *Con. 10. et 17. Tom. 11. Bull.*

(1) *Ex textu allato.*

(2) *Ann. 1699. tit. 3. c. 2. de Sacr. Confirm.*

(3) *Can. in Cathechismo 10. de consecr. D. 4.*

(4) *Die 20. Sept. 1749.*

(5) *In c.* Si vir *2. de Cogn. Spir. ad verbum Debit.*

CONCLUSIO TERTIA

Pauca de subjecto, et necessitate hujus Sacramenti subnotantur.

Nonnisi baptizatus subjectum esse potest confirmationis; regeneratus enim ad gratiam, in ea corroborari potest. Prioribus XII saeculis Ecclesiae una cum Confirmatione Eucharistia ipsis etiam infantibus ministrari mos fuit, qui in Ecclesia Graeca perseverat adhuc: Latina vero ab hac discessit disciplina, tum quia sollemni baptismo obsoleto, hic a Presbytero, Confirmatio vero ab Episcopo diverso tempore ac ritu coepit conferri; tum quia satius visum fuit ad tempus rationis illud differre Sacramentum; quia ad hoc peragendum robur necesse est; tum ne iterandi illud periculum sit, denique, ut majori reverentia susciperetur. Adde quod Benedictus XIV ait ad rem (1), *Consultissimis decretis cautum est. . . . ut conferretur in ea solum aetate, in qua fideles evacuatis, quae erant parvuli, intelligerent tantum inter se differre baptismum et Confirmationem, quantum in naturali vita differt generatio ab incremento, seque per baptismum fuisse quidem ad militiam receptos, per Confirmationem vero ad pugnam.* Hinc ex Catechismo Romano Pii V praescripto edito, et ex S. Caroli Synodo provinciali, subjectum debet esse rationis capax, nec ante septennium conferendum infantibus. In adulta aetate praeter intentionem saltem habitualem, uti dictum fuit de Sacramentis in genere, quam in infantibus supplet Ecclesia, curandum sicut et in pueris usu rationis fruentibus, ut sese disponant, cum

(1) *In const.* Quamvis *ann. 1745.*

per cognitionem doctrinae christianae, tum per Sacramentum poenitentiae, maxime si sint adulti. Hi vero etiam habituali intentione recipiendi Sacramentum opus habent, quia in infantibus supplet Ecclesia (a). Huic tamen disciplinae adhuc vigenti non pugnat ex Divo Thoma (1) et ex Benedicto XIV (2) quod parvulis ante septennium in extremo vitae periculo constitutis Confirmatio ministretur; imo etiam extra illud periculum mortis, cum urgeat necessitas, vel causa puta, si praevideatur futura diuturna absentia Episcopi; vel ob distantiam a residentia ipsius, difficilis redderetur accessus etc.

De necessitate absoluta nullus dicit Confirmationem; sufficit namque aqua, ut in regnum coelorum ingrediamur, et sine ea absolute homo potest aliis gratiis superare tentationes contra fidem. Utrum vero de praecepto adultis sit necessaria saltem graviter obligans plures negant Doctores, quibus favet D. Thom.; ex quorum opinione sequitur, quod praeciso contemptu, qui ex negligentia et socordia non reciperet hoc Sacramentum habita etiam occasione non peccaret graviter. Alii nihilominus tenent omnes omnino adultos obligari. Benedictus XIV asserit (3) tunc adesse praeceptum Ecclesiae, quando nulla legitima caussa ab illo suscipiendo impediatur, si Episcopus praesto

(a) Benedictus XIV in Encyclica ad omnes Episcopos missa. *Etsi minime (ann. 1742.)* sic mandat. « Moneat Episcopus Parochos; eisque distincte praecipiat, *ne quis eorum Sacramen-* » *tum SS. Eucharistiae administret, et schedulam, ut ajunt Con-* » *firmationis iis tradat, qui graviora fidei, et doctrinae capita,* » *et Sacramenti vim ignorent.*

(1) *3. p. q. 72. art. 8. in corp. ad obiectionem secundam.*

(2) *De S. D. l. 7. c. 10. n. 2.*

(3) *Concil. Illiberit. c. 77.*

sit ad illud administrandum. Juxta ipsum ferme universi DD. sentiunt eos graviter peccare, qui ob contemptum vel socordiam seipsos munire hujus Sacramenti gratia negligunt, eandemque culpam parochis, parentibus, dominis, ac tutoribus inesse, qui sibi subjectos non exstimulant, ut cum fiat occasio, confirmentur. In constitutione proin *Etsi Pastoralis*, laudatus Pontifex vult de hac gravi obligatione moneri fideles.

CAPUT VII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

In secundo vespere Lunae XIV mensis *Nisan* h. e. Martii, pridie mortis, Paschali coena celebrata, Christus Eucharistiam instituit. Ita Trid. (1) ex Sacris Scripturis quae ita docent (2). *Coenantibus autem eis accepit Jesus panem, et benedixit, et fregit, deditque discipulis suis et ait, accipite, et comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Ergo dedit Christus corpus suum sub speciebus panis, de quo apud Joannem dicitur (3): *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum.* Sub speciebus vero vini suum sanguinem tradidit *in remissionem peccatorum.* Proinde dedit signum externum gratiae invisibilis. Adde quod in Lucae Evangelio legitur

(1) *Trid. Sess. XXII. c. 1. de inst. Miss. Sacrif.*
(2) *Matth. c. XXVI. Luc. XXII. vers. 19.*
(3) *C. VI. vers. 52.*

ab ipso Christo discipulis dictum (1): *Hoc facite in meam commemorationem*, nempe utendo istis sensibilibus signis potestatem fecit Eucharistiae mysterium in Ecclesia renovandi. Quod clare innuit divinam institutionem ejusdem Eucharistiae. Nihil inde restat, ut fide Eucharistia credatur verum Sacramentum, scilicet Sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini, ad spiritualem refectionem institutum. Ita Trid. docuit (2) (a). Verum in illa solemni Paschate legali à Christo primum celebrata agnus non solum Sacramentum erat, quo Christus praefigurabatur, sed et sacrificium, quod immolabatur. Hinc Christus ipse tunc novum instituens Pascha sub speciebus iisdem panis, et vini, corpus, et sanguinem suum tribuens et Sacramentum dedit, et sacrificium, quatenus Deo offeratur. Unde dixit Lucae loco citato *vobis tradetur*, *vobis fundetur*, vobis scilicet non ad manducandum, et bibendum simpliciter, sed et ad sacrificium offerendum. Quod clarius docens subdit citato Matthaei loco *et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, nimirum non pro vobis tantum, sed pro multis, qui non aderant, corpus, et sanguinem suum offerri in sacrificium propitiatorium, seu in remissionem peccatorum. Consonat agmen Sy-

---

(a) *Eucharistia* graece, latine gratiarum actio. Hoc donatum nomine Sacramentum corporis, et sanguinis Domini, quod Christus dum illud instituit, Deo gratias egit. Vocatur item in scripturis, et Patribus diversis aliis nominibus a causis, vel effectibus ejus ductis; aut a loco, materia, et dispositionibus. Hinc *corporis*, *carnis*, *sanguinis Christi*. *Panis substantialis*, *et vitae Angelorum*. *Coena*, *mensa coelestis*, *Mysterium*, *Viaticum*, *Synaxis* idest congregatio, aut Communio, cum per id Christo, tanquam Capiti conjunguntur fideles in unum corpus mysticum.

(1) *Luc. cit. loc.*

(2) *Sess. XIII. c. 1. et 2. ac alibi.*

nodorum, et Patrum, qui passim Eucharistiam *oblationem*, *hostiam*, *victimam*, *et sacrificium* vocant; ministros *Sacerdotes*, et altaria ad celebrationem requirunt. Inde anathema Tridentinum inflixit in eos qui contra sentierunt (1). Merito inde de Eucharistia disserentes, et prout Sacramentum in hoc capite, et prout Sacrificium in capite sequenti interpretari nostrum erit, sed intra cancellos tamen sanctorum canonum: quaestiones enim de natura, validitate, et effectibus eorumdem, Theologis relinquimus.

CONCLUSIO PRIMA

Materia, forma, et effectus Sacramenti Eucharistiae breviter discutiuntur.

Panis triticeus, simpliciter et usualis, ex pura et naturali aqua proinde confectus, et coctus ad ignem in quacumque qualitate, et figura, sive dein ille sit azymus, sive fermentatus, apta, et valida est materia. Ceterum Florentinum edixit (2). « Definimus . . . . » item in azymo, sive fermentato pane triticeo corpus » Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altare » ipsum Domini corpus conficere debere, unumque » scilicet juxta suae Ecclesiae sive Occidentalis, sive » Orientalis consuetudinem ». Idem sentierunt Pius V (3) et Benedictus XIV (4). Honorius III (5) vero in Ecclesia latina vult Sacerdotem officio, et beneficio deponi, qui cum non haberet hostiam, in pane fer-

(1) *Sess. XXII. cap. 9. c. 1. et seqq.*
(2) *Ann. 1455.*
(3) *In litteris s. unionis.*
(4) *Const. Providentia ann. 1566.*
(5) *Const. Etsi Pastoralis ann. 1755.*

mentato celebraret. Unde ne ad procurandam quidem missam populo die dominico liceret uti pane fermentato, nec ad viaticum aegro conferendum. Quoad vinum autem respectu calicis de vite usuali sit oportet, sive album, sive nigrum, sive asperum, sive calidum, sive frigidum, aut vetus, aut novum etiam de novo expressum ex uvis, seu muxtum, quo nonnisi in necessitate utendum ex Divo Thoma (1) (a). Haec enim uti in communi erant usu apud Judaeos, Christus usurpavit, et constans Ecclesiae praxis retinuit (b).

(a) Aqua misceri debet vino consecrando ex definit. Trid. (*sess. 22. c. 1. et c. 9.*) quanquam discutiant Theologi utrum ex divino, an Ecclesiae praecepto. Quare nec urgente necessitate, ne ad viaticum quidem praebendum morituro, hunc licet ritum omittere. De quantitate aquae Eugenius IV in Decreto ad Armenos dicit *aqua modicissima* admisceri debet. Num denique aqua ante consecrationem vino commixta vertatur in sanguinem, affirmantem opinionem probabiliorem cum Inn. III in c. *cum Marthae* 6. tenent plures DD. nam et lympham sanguis participat. Num vero aqua prius in vinum convertatur, quod Thomistae tenent, Philosophorum est videre; atque haec Theologi pertractant.

(b) Licet varia fuerit disciplina de pane azymo, vel fermentato; arbitratur enim Sirmondus *in disquisit. de azymo*, octo prioribus saeculis, et amplius latinam Ecclesiam fermentatum adhibuisse, et nonnisi post Photianum Schisma azyma observasse. Contra Mabillonius Decr. *de pane eucharistico* perpetuum fuisse azymorum usum in ea, et ab Apostolis profectum fuisse tenet. Ipseque Benedictus XIV idem sentivit (*const. quae incipit* Inter multa *tom. 2. Bullarum*) atque probabilior, et fere certa sententia est, quod Christus in azymo consecravit. Re quidem vera exeunte luna XIV mensis *Nisan* seu Martii, non *Phase* solum, seu Pascha, sed solemnitas etiam azymorum incipiebat, in qua fermentatis uti panibus Hebraei prohibebantur. Nec praevenisse, bene putant Graeci, Christum tempus Paschale ob textum Joannis *23 ante diem festum Paschae*. Esto tamen praevenit, comedit sane cum lactucis agnum, ideoque panibus etiam azymis Christum usum fuisse

(1) *3. p. q. 14. a. 5.*

Inepta inde materia panis est ex spleta, hordeo, millio, et probabilius ex siligine contra aliquos, quibus favere videtur D. Thomas (1) quosque tamen in praxi sequi nefas in hac materia Sacramentorum. Sic et panis confectus ex oleo butyro, vel aqua rosacea; cum taliter nec verus, nec panis esset communis, sed placenta. Vinum similiter ineptum ex uvis acerbis, et nondum maturis expressum, seu agrestem, aut acetum factum, secus si solum acescat. Demum vinum congelatum, cum non sit potui idoneum, seu usuale, quamvis Suarez aliter senserit (a).

Forma sunt verba, quibus elementa panis, et vini consecrantur, quibusque Christus usus est, uti communis est sententia ex Chatechismo Romano, et Tridentino (2): licet certitudinem fidei non attingat ex Bened. XIV (3): nimirum *Hoc est corpus meum*; *Hic est sanguis meus*. Quae quidem non historice contra Ambrosium Catherinum plurium Graecorum sententiam sequentem dicuntur, sed *adsertive* in Christi persona, utpote ad elementum accedunt, et fit Sacramentum (b).

---

constat. Denique primis saeculis consecrabatur panis forma communi: ab XI saeculo redacta est materia ad formam orbicularem.

(a) Materia consecranda sit praesens, et determinata oportet, et ut afferatur tempore congruo. De his tamen vide Bened. XIV de Sacrificio Missae *(p. 3. c. 17. et 18.)*

(b) Tenent aliqui DD. etiam benedictionem *qui pridie etc.* et sequentia *novi et aeterni testamenti* ad vim consecrationis esse necessaria, adferentes Christum praecepisse, ut, quod ipse fecit, ministri faciant. Addunt liturgias omnes, et Occidentales, et Orientales, quae vel ante, vel post Christi verba preces jubent recitari: hae autem non sunt, nisi benedictio. Demum provocant

(1) *3. p. q. 74. art. 3. ad 2.*

(2) *Tom. 1. c. litteras 14. de celeb. Miss.*

(3) *Sess. XIII. c. 1.*

Effectus sunt Sacramenti Eucharistiae 1.° gratiam habitualem, seu sanctificantem per se quidem secundam conferre, per accidens quandoque primam; 2.° nutrire spiritualiter animam, quod consistit tum in augmento gratiae sanctificantis, tum in jure ad gratias actuales necessarias ad caritatem conservandam; 3.° liberare a peccatis venialibus ex Trid., et quidem per se, et immediate, dummodo de iis, non sibi suscipiens illam complaceat; 4.° praeservare a mortalibus ex Trid. quatenus mediis auxiliis a Deo ob hujus Sacramenti debitam susceptionem concessis excitatur, et movetur ad opera virtutis, et roboratur ad hostes vincendos, et Diaboli insidias spernendas; 5.° remittere poenam temporalem peccatis debitam, indirecte tamen, et mediate, ratione scilicet caritatis. 6.° Quod operatur cibus materialis in corpore, idem spiritualiter efficit Eucharistia in anima: cibus autem, et potus vitam conservant corporalem, inquit Eugenius IV (1) *sustentando*, *augendo*, *reparando*, *et delectando*, hinc eosdem Eucharistia producit effectus. Producit

---

ad veteres Patres, qui magno numero precibus tribuunt Eucharistiae consecrationem. His tamen opponitur Ss. PP. communis sententia, Tertulliani in Marcionem *lib. 4. c. 4.* S. Ambrosii *lib. 4. de Sacr. c. 4.* Damasceni sermone de Coena Domini etc.; sed omnium maxime Florentinum, quod definivit. *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris*, *quibus hoc conficit Sacramentum.* Sacerdos enim in persona Christi hoc conficit Sacramentum Vide Juven. *(c. 2. a. 1.)* Inde colligi potest verbis supra expositis formam Sacramenti comprehendi; quia per se tantum transubstantiationem panis, et vini significant, et Christus iisdem verbis consecravit. Illa vero: *Qui pridie. . . . novi*, *et aeterni testamenti*, non sunt Christi, qui consecravit, sed ex novo testamento ferme omnia sumpta, uti Chatechismus Romanus advertit aliqua Traditione accepta. Pronunciari tamen debent ex praecepto Ecclesiae graviter obligante.

(1) *Decr. seu instruction. Armen.*

tamen ipsos Eucharistia ad instar cibi, et potus, ac proinde nonnisi manducetur, et bibatur (1). Manducare autem, et bibere homines censentur, si cibum, et potum ore excepta in stomachum traijciant. Nec sumpta sub una specie panis juxta expressam Divi Thomae (2) sententiam, minorem producit effectum, ac sub utraque specie panis, et vini; Laicis namque, quibus prohibitus fuit usus calicis, facta fuisset injuria, quod nefas est dicere.

CONCLUSIO SECUNDA

De Ministro Eucharistiae dissertatur.

Hoc ministerium duabus absolvitur partibus, elementorum consecratione, et eorum distributione. Ex Luca (3) constat, Christum dixisse Apostolis, et in Sacerdotio eorum successoribus; *hoc facite in meam commemorationem*. Hinc merito a Nicaeno Concil. (4) dein in Tridentino (5) contra Rigaltium, Grotium, et Boehmerum aliosque definitum, tantum Sacerdotes habere conficiendae Eucharistiae potestatem, nec eo munere Diaconos, multo minus laicos fungi posse. Revera celebratio Eucharistiae continet verum sacrificium, uti dictum antea fuit, atque ideo sine Sacerdotio consecrari non potest. Verum *sicut*, inquit Divus Thomas (6) *ad Sacerdotem pertinet consecratio corporis Christi, ita ad eum pertinet dispensatio*. Un-

(1) *Joann. cap. VI. v. 55.*
(2) *3. p. qu. 79. a. 7. ad 3.*
(3) *XXII. 19.*
(4) *Can. XVIII.*
(5) *Sess. XIII. in decr. de Euch. Sacr.*
(6) *3. p. q. XXXII. a. 3.*

de Trid. (1). *In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a Sacerdotibus communionem acciperent.* Hi quidem ex officio dispensant, ordinariam habentes jurisdictionem, vel delegatam, aut saltem rationabiliter praesumptam, aut ex privilegio. Inter Sacerdotes igitur canones, Ordinarium distinguunt ab extra ordinem ministro: Ordinarius est Pastor quisque animarum; ipsorum enim est pascere fideles, et tenentur proin administrare Eucharistiam subditis, non solum quando praeceptum urget communionis, sed quoties subditi rationabiliter postulant ex Bened. XIV (2). Jure ergo proprio dispensatio ejus pertinet ad Parochum, quamvis communiter licitum sit fidelibus, quo licuerit etiam extra parochiales Ecclesias communionem accipere (a). Non ita tamen in triplici casu. 1.° Si agatur de communione Paschali. 2.° De communione ad infirmos deferenda. 3.° De prima communione, quod pluribus in dioecesibus desuetudine non observatur. Equidem liberum esse fidelibus adire annua confessione quemlibet Sacerdotem approbatum, etsi saepe Pontifices declararunt, addiderunt tamen semper, dummodo ii secu-

---

(a) *Ex consuetudine* ait Palaus punt. 18. n. 7. *communiter praesumi consensum Parochi, quoties communio non fit ex obligatione:* et Roncaglia *(c. 4. q. 2.)* recte ait cum communi: *cui conceditur facultas celebrandi, intelligitur etiam concessa facultas Eucharistiam ministrandi.* Quod usu ubique confirmatur. At subdit idem Palaus hanc praesumptionem tantum locum habere, cum communio fit ex devotione, non obligatione. Illam vero DD. in communione, et obligatione non esse de facili habendam putant. Posse demum Sacerdotem seipsum non solum in extrema, sed et gravi necessitate propriis manibus communicare, deficiente alio Sacerdote tenent DD.

(1) *Cit. loc.*

(2) *Synod. Dioec.*

lares Christi fideles Sacramentum Eucharistiae die festo Paschalis resurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho sumant. Ita Clemens VIII ann. 1592, Clemens X etc. Benedictus XIV vero (1) refert plura Pontificum responsa, quae decernunt neutiquam satisfacere praecepto, qui etiam in Ecclesia metropolitana, aut cathedrali communionem percipiunt, dummodo Episcopus expresse vel tacite non consensiat; vel communis usus praesumere illum faciat consensum: uti in hac Archidioecesi servatur. Utraque denique communio infirmorum per modum scilicet *Viatici*, et *Devotionis* commune est juxta praesentem disciplinam, ut a solo Parocho deferatur sit, nec alius, sive secularis, sive regularis ad domum infirmorum deferre valeat, sine ejus delegatione (a).

Extraordinarius minister potest esse Diaconus, cui a Papa, Episcopo, vel a Parocho potest facultas haec delegari; et quidem urgente necessitate, quamvis Sylv. v. Diaconus, satis esse sentiat praeceptum Episcopi, vel Parochi etiam si nulla subsit causa; et Quintanad. (2) teneat, quod absente Sacerdote etiam sine commissione et nulla urgente necessitate possit diaconus ministrare. Num vero urgeat, necesse sit, extrema, vel gravis necessitas, dubitant DD. Nobis sufficere gravis videtur necessitas cum ipso Concina

---

(a) Advertit Barbosa, *de officio Parochi c. 20.* quod plures Doctores alium Sacerdotem sentiunt posse dare viaticum aegroto postulanti, si Parochus injuste denegaret. At in praxi fere impossibile id est: et si recursus ad superiorem non pateat, melius esset, quam ut in re tam gravi Sacerdos viaticum administret, aegrotum spiritualiter se communicare.

(1) *Inst. XVIII.*

(2) *Apud Rensi c. 5. q. 2.*

puta, si nullus adsit Sacerdos, qui commodo possit ministrare (a).

In extrema necessitate possunt non solum Clerici Diacono inferiores, sed et laici extra ordinem administrare Eucharistiam juxta Bened. XIV (1) (extra illam Clerici iidem abusu ordinis sacri, quem non habent, irregularitatem incurrerent). Hoc probabile dicit S. Ligorius ex.gr. in articulo mortis, si non esset alius, seclusio scandalo ex pluribus DD. In praxi vero solum faciendum hoc tenet cum de Lugo ob contrariam consuetudinem, cum moriturus peccati mortalis conscius, aliud non posset suscipere Sacramentum (b). Regulares

---

(a) Convivia Agaparum, idest dilectionis causa Apostolorum tempore instituta, ad quae post participatam Eucharistiam, impensis divitum fideles pauperes conveniebant. His autem ab Apostolis ipsi Diaconi praefecti fuere. Act. VI. 3. Ipseque finis Diaconatus ordinis instituti comprobat; qui fuit non solum curam pauperum habere, sed et altari ministrare. Quod et denotat Apostolus (*1. ad Corinth. c. XI. v. 21.*) qui inter communes mensas Eucharistiam distribui initio Ecclesiae docet his verbis. *Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum. . . . . Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indigne reus erit corporis, et sanguinis Domini.* Deinde disciplina Ecclesiae quoad hoc fuit varia in Oriente, ac in Occidente. Apud Graecos publicis in officiis Diaconi ministrabant Eucharistiam fidelibus, Latini private tantum. Tertullian. *de corona militis.* Latini Sacerdotibus absentibus, et impeditis; Graeci etiam praesentibus, qui et sine delegatione, et necessitate; illi hac solum urgente, et licentia Pastoris. Abs re tandem non erit disciplinam ejusdem ministerii Diaconorum colligere ex D. Thoma, qui saeculo XIII vixit, et cujus haec sunt verba (*3. p. q. 82. a. 3.*) *Ad primum ergo dicendum, quod Diaconus quasi propinquus Ordini Sacerdotali aliquid participat de ejus officio, ut scilicet dispenset Sanguinem, non autem corpus, nisi in necessitate, jubente Episcopo, vel Presbytero.*

(b) Exemplo sit, Maria Scotiae Regina, quae cum esset a carnifice ferienda jussu Elisabethae Reginae Angliae ann. 1587 in

(1) *De Sacr. Miss. sect. 2. et S. D. 13. c. 13. n. 27.*

etiam extraordinarii ministri sunt ex privilegio, hujus Sacramenti teste Benedicto XIV (1). Excepto die Paschatis, in quo die sine licentia saltem rationabiliter praesumpta Parochi, ne in suis quidem Ecclesiis administrare Eucharistiam secularibus, sive clericis, sive laicis possunt: bene tamen Religiosis alterius Ordinis, imo et laicis suis commensalibus, sive peregrinis, viatoribus, et vagis. Vide Benedictum XIV (2) et declarationem S. Congr. (3): aliter incurrunt excommunicationem latam in Clementina. At gratia devotionis petentibus possunt administrare inter tempus paschale ex diversis declarationibus Sanctae Congr. — Mortis periculum, vel articulum utpote exceptum in privilegiis eorum, nec sufficit, ut administrent infirmis Eucharistiam, praeterquam casu, quo urgeat necessitas, puta periculum decedendi sine viatico, vel casu, quo infirmus jam de manu Parochi accepisset viaticum, dummodo id non fiat sive deferendo Eucharistiam per vicos, et plateas, utpote id proprium Parochorum, sive communicando in Oratorio privato, utpote prohibitum. Bened. XIV in cit. const.

Castro Fradingajae ipsa sibi Eucharistiam ministravit. Habuerat enim a S. Papa Pio V potestatem secum asservandi Eucharistiam, quam sumpsit, ne sacram hostiam contemptui haereticorum, inter quos versabatur exponeret. Vide Lugo *disp. 28. sect. 1. n. 45.* Quinimo multa sunt PP. testimonia, inter quos Tertullianus lib. 2. *ad uxorem* cap. 5. S. Basilius *ad Caesarium*, et Hieronymus *adversus Jovin.* quibus patet Clericis inferioribus, et laicis Eucharistiam datam a Sacerdotibus, et Diaconis, quae ab illis domi servabatur, ut quotidie furentibus persecutionibus ea servare se possent.

(1) *Const. Magn.*
(2) *Cit. loc. et S. D. l. 1. c. 16.*
(3) *11. Julii 1651.*

sive casu quo periculum mortis alia ex causa, quam ex morbo proveniat, ex. gr. ex ingressu ad conflictum, in assumenda navigatione periculosa, ex primo partu etc.

CONCLUSIO TERTIA

De subjecto Eucharistiae, obligatione eam suscipiendi, ac dispositione quaedam attinguntur.

Omnis et solus homo viator Christianus subjectum capax est Eucharistiae: cibus enim est spiritualis, quo vita ejus spiritualis nutritur, et fovetur. Hinc Christiani ab ipso baptismo ad Eucharistiam jus consequuntur. Et Ecclesia reapse statim a Baptismo, et Confirmatione, quae ferme baptismum sequebatur, dedit Eucharistiam. Ipsosque infantes ante usum rationis non fuisse exclusos ab illa, ex monumentis sacris constat, quae administratam illis fuisse Eucharistiam per multa saecula testantur, praesertim sub specie vini, tum in Ecclesia latina ubi sensim a saeculo XII desuevit; tum in graeca ubi adhuc hodie viget ex mandato Benedicti XIV, sicut et in aliquibus regionibus Orientalibus (1) exceptis Italo-graecis, quibus ab eodem laudato Pontifice vetitum fuit (a). Ex receptis latino-

---

(a) Infantes Eucharistiam suscepisse jam ipse S. Cyprianus testatur. (*lib.* de lapsis.) Quod et S. Greg. M. in Sacramentario tit. *de Sabato S.* comprobat; imo servatum colligitur ad saeculum XII usque ex D. Thom. qui (*3. p. q. 70. art. 9.*) ait: *Ad tertium dicendum quod eadem ratio est de pueris recenter natis, et de amentibus qui nunquam habuerunt usum rationis: unde talibus non sunt sacra mysteria danda, quamvis quidam Graeci contrarium faciunt.* Igitur tempore D. Thomae jam pueris Eucharistiam administrari nefas erat.

(1) *S. D. lib. 7. c. 2. n. 1. et in const.* Allatae *t. 4. Bull.*

rum moribus pueri tunc admittuntur ad Eucharistiam, quum ea mente, et aetate sunt, qua Christi corpus possunt discernere: quod Episcoporum, et Parochorum judicio existimandum est (1). Limitatur autem haec disciplina ex circumstantiis, vel inutilem sacram communionem reddentibus, vel bonum ipsius Ecclesiae promoventibus. Hinc 1.° amentibus, qui ab infantia fuerunt tales, praebenda non est Eucharistia. Illis autem, qui post adeptum semel usum rationis in amentiam inciderunt, in mortis articulo omnino administranda est Eucharistia, si periculum irriverentiae absit. 2.° Semifatui admitti possunt, sed raro juxta Confessarii prudentis judicium: ad minimum in Paschate, et mortis articulo, dummodo discernere panem hunc sacrum valeant a profano. 3.° Muti, et surdi a nativitate, qui tamen si judicio Confessarii prudentis habeant maturam, et perfectam discretionem, in solemnibus festis possunt admitti ad communionem. 4.° A Daemone obsessi, seu Energumeni habentes quaedam lucida intervalla possunt admitti ex Conc. Arausicano, et Divo Thoma (a).

Sancta sanctis, advertit Chrisostomus, in primaeva Ecclesia magna voce, et terribili, tanquam praeco manum tollens in altum Diaconus clamabat. Hoc jam Apostolus docuit dicens: *Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat* (b). Ergo fideles

---

(a) Extremo supplicio damnatis in aliquibus Regnis communio negatur. In Hispaniarum regno nec illis conceditur, qui in foro interno absoluti sunt. Synodus Mosontina *ann. 841. c. 27.* In Italia adest contraria consuetudo.

(b) Supra expendimus quoad forum externum, quinam sunt a Sacramentis repellendi. Hic de admittendis quantum ad forum internum dicimus.

(1) *Vide Bened. XIV S. D. cit. loc.*

ut sancte Eucharistiam accipiant, disponantur oportet ex parte animae spiritualiter, habentes omnium maximum statum gratiae, qui debet procurari per sacramentalem confessionem; ex Tridentino enim non sufficit contritio perfecta (a). Ex parte vero corporis requiritur ex consuetudine Apostolica jejunium, quod naturale, sive Eucharisticum dicitur, idest ut a media nocte nihil communicans sumpserit per modum cibi, et potus, aut medicinae (1), etiam si res ad stomacum trajecta nutritiva non sit ex. gr. charta etc. Verum sicut necessitas sumendi viaticum excusat ab illo, ita et sacrificium perficiendi. Sed de his pertractant Theologi, a quibus et aliae colligi possunt dispositiones requisitae (2).

Eucharistiam non esse hominibus necessariam necessitate medii ad salutem consequendam aeternam, explorati juris est. Hinc parvulis, qui eam non suscipiunt, solo salvantur baptismo ex Trid. (3): Est autem necessaria de necessitate praecepti, tum divini quoad adultos, juxta illud Joannis (4). *Nisi manducaveritis carnem filii hominis . . . non habebitis vitam in vobis*. Quod praeceptum urget saepius in vita et in mortis periculo ex communi, et ex Benedicto XIV; sive mortis periculum oriatur ex infirmitate, sive ex alia causa ex. gr. ingressu in conflictum etc. (b); tum necessitate praecepti Ecclesiastici,

---

(a) Excipe, si desit copia Confessarii, et necessitas urgeat. Ast si Sacerdos esset celebrans, teneretur, cum primum, id est saltem intra triduum confiteri ex praecepto Tridentini.

(b) Hoc praeceptum, quod divinum de viatico probant Theo-

(1) *Concil. Costant. sess. XXI.*

(2) *Vedi Juvenin. de Sacr. dissert. 14. q. 7. c. 1. a. 2.*

(3) *Sess. XXI. c. 4. contra Calvinum.*

(4) *Cap. 6.*

quod in primitiva Ecclesia ad quotidianam obligabat sumptionem (1) et observabatur adhuc tempore S. Cypriani; postea ad tria anni tempora, Paschae scilicet, Pentecostes, et Natalis Domini (2) quod observatum fuit usque ad initium saeculi XIV. Tandem ab anno 1214 obligat saltem in Paschate ex Concilio Lateran. IV (3). Quam regulam inde Trid. confirmavit (4). Et non adimplentes tempore paschali (quod ex Eugenio IV durat a Dominica Palmarum usque ad illam, quae dicitur in Albis (5), imo juxta consuetudinem in aliquibus locis magis extenditur) viventes arcentur ab Ecclesiae ingressu, et mortui privantur Ecclesiastica sepultura ex citato Lateranensis canone; nisi id faciant de consilio proprii Sacerdotis, quo nomine venit Parochus, vel proprius Confessarius ex Bened. XIV. Verum ea censura non est nisi comminatoria, nec propria auctoritate Parochus eam infligit (a).

---

logi, repetitur a Concilio Nicaeno 1 quodque refertur (*c. de his 9. c. 22. qu. 6.*)

(a) Primis Ecclesiae saeculis, uti dictum fuit quotidie Eucharistiam Christiani sumebant, quotquot sacris intererant, et porro eam in domum referebant, ut, quibus diebus sacra non fiebat *synaxis*, domi ipsi possent Christi corpus manducare. Ita Cardinalis Bona (rerum liturg. *lib. 11. c. 17.*) Vigebat initio V saeculi Romae, et in Hispania quotidiana communio. Quod Hieronimus *epist. ad Pammach.* testatur. Ceterum ubi pax Ecclesiae data fuit, caritas paullatim deferbuit, atque sensim ita frequens Eucharistiae sumptio desuevit: qui mos saeculo VI in plerisque,

(1) *C.* Peracta *10. de consecrat. D. 2.*

(2) *C.* Etsi non : *de consecrat.*

(3) *C. 12.* omnis utriusque sexus *de poenitentiis et remissionibus.*

(4) *Sess. XIII. c. 9. de Euch.*

(5) *Bulla* Fide digna *ann. 1449.*

CONCLUSIO QUARTA

De usu, cultu, et expositione Eucharistiae pauca adijciuntur.

Sub sola specie panis laicos obligari ad communionem constat: sufficit enim ad salutem, uti probant Scripturae: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. . . . Panis, quem ego dabo caro mea est pro mundi vita. . . . Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Haec enim sunt verba ipsius Christi, qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* His abutuntur tamen Armeni, et reformatores contendentes, sub utraque specie communicandos esse fideles; etsi parvulis, aut periculosius decumbentibus denegant communionem sub specie vini. Abstemios, atque omnes, qui aegre ferunt eidem calici post alios labia admovere, a gustatione calicis liberant. Quam vero ex allatis Scripturae locis homines ad fallendum compositi fallacem inferant errorem patet solum, si sensus attendatur illorum Christi verborum; nimirum si *neque* manducaveritis, *neque* biberitis etc. In Scripturis enim non raro particula *et* etiam disjunctiva est. Sed hoc videre est apud Theologos. Nostra refert tantum monere, sub utraque specie communionem respectu laicorum ordinarie ex consuetudine viguisse prioribus saeculis ad XII usque; quamvis non raro constet sub una tantum plerisque in occasionibus, illis Eucharistiam ministratam fuis-

---

Ecclesiis obtinebat, nec nisi rara oppido facta communione, locum habuit ecclesiasticum praeceptum, quo jus divinum restituebatur.

se (a). Hinc Trid. (1) non esse de jure divino praeceptatam sub utraque specie communionem definivit, damnans contrarium asserentes; et hinc potuit ab Ecclesia prohiberi laicis usus calicis, uti primo factum fuit saeculo XII a quibusdam privatis episcopis; saeculo vero XV generali lege statutum a Concilio Constantiensi justis de causis constat (b). Ipsumque Trid. postquam hanc disciplinam comprobavit, subdit. *Unde nequidem in eo casu, in quo infirmus panis speciem deglutire non posset, non esset praebenda sub specie vini* (c).

In usu solum sacram consistere Eucharistiam Cal-

(a) De facto vinum consecratum dumtaxat datum infantibus testatur Cyprianus cit. lib. de lapsis. solum Eucharisticum panem servatum fuisse domi ad domesticam communionem adfirmat Tertullianus lib. 2 *ad uxorem de matrim. cum gentilibus* c. 5. Et unam panis speciem ad infirmos delata monumenta Veterum probant, quae de pane, non de vino, de vasis, non de calicibus meminerunt ad Domini corpus servandum pro infirmis.

(b) Justae causae fuerunt. 1.° Periculum proximum effusionis. 2.° Difficultas diu servandi speciem vini pro infirmorum communione. 3.° Repugnantia, et horror, qui in multis reperitur ad vinum bibendum, et praesertim ex eodem calice. 4.° Penuria vini in multis regionibus. 5.° Pertinacia haereticorum contendentium utriusque speciei necessitatem jure divino esse.

(c) Verum usitatam fere semper in Graecorum Ecclesiis communionem sub utraque specie cunctis etiam pueris, servandam censuit Florentinum. Item Leo X litteris die 18 Maj 1521, et Clemens VII die 26 Martii 1526. Italo Graecis in iis tantum locis, ubi viget, permittitur a Benedicto XIV secus ubi obsolverit (*in const.* Etsi pastoralis 57. *tom. 1. Bull.*) Alumnis autem R. Collegii Graecis Gregorius XIII, et Urbanus VIII sub utraque specie communionem in solemnioribus tantum festivitatibus Nativitatis Domini, Paschatis, et Pentecostes jusserunt; (Bened. XIV *const.* Allatae sunt *tom. 4.*) Verum Abyssinos, Æthiopes, Maronitas Holstenius fert una solum specie communionem accipere; uti ex laudato Bened. XIV etiam patet.

(1) *Sess. XX. de comm. c. 2.*

vinistae, et Lutherani blasphemarunt, qui illam ante, et post usum Sacrificii, et immediatae communionis autumabant eo modo esse, ac baptismi aquam ante, vel post lavacrum. Permanentem credit Ecclesia Catholica sub speciebus eucharisticis esse, quoad ipsae durant incorruptae, praesentiam Christi Jesu. Quod et Trid. docuit (1), et mox anathema indixit in oppositum blasphemantes (2). Revera tradidit August. (3) propterea in coena antequam de manu Domini Apostoli susceperunt Eucharistiam, *Christus ferebatur manibus suis; nemo illam carnem manducat, antequam adoraverit.* Sicut et a primitivis Ecclesiae temporibus adorata semper fuit ab accepturis illam. Adhaec prisca consuetudo deferendi Eucharistiam ad absentes, infirmos, detrusosque in carceres, atque martyres, servandique eam in templis, missamque praesanctificatorum celebrandi, etc. errorem Lutheranorum plane evertit et Calvinistarum. Ergo Eucharistia cultu, qui Deo debetur, est adoranda. *Adorate scabellum pedum ejus* dixerat Psalmista. Per scabellum, ait S. Ambrosius, *intelligitur terra, per terram caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus.* Inde Ecclesia jure meritoque censuit circumferri publice, festoque solemni memoriam Eucharistiae per octiduum concelebrari; quamvis ut advertit Van-Espenius, primis decem saeculis processio Eucharistiae omnino ignota, ut abscondita servaretur Judaeis, et Gentibus; nec adhuc apud Graecos mos ejus est, nisi in festo die Parasceve, cum ab uno altare circumferant praesanctificatam hostiam. Verum ut publicae in

(1) *Sess. XIII. c. 3.*
(2) *Cit. sess. c. 4.*
(3) *In can.* accesserunt *32. de consecr. D. 7.*

Ecclesiis adorationi exponi possit, Dioecesanis Episcopis sacri canones potestatem faciunt, et ubi, et quoties exponenda sit, ejus etiam est definire (1) (a).

CAPUT VIII.

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIUM.

Esse verum novae legis sacrificium Eucharistiam, jam capite antecedenti dictum: ei enim non desunt, quae ad substantiam sacrificii pertinent. Ex utriusque Testamenti oraculis, et perpetua fide Ecclesiae patet: nimirum divinam institutionem, sacramentale ministerium, immolationem hostiae, ritus immutabiles ad Deum revera colendum, ac propitiandum (b). Unum

---

(a) Synodus Provincialis Neap. Card. Cantelm. (*ann. 1639. 4. tom. n. 16.*) vetitum dicit in Ecclesia etiam Regularium, et Confraternitatum sine Dioecesani licentia exponere SS. Sacramentum, simul et sepulchrum feria quinta Majoris Haebdomadae, in qua adorandum reponitur. Bened. XIV observat autem (*in Inst. 30. n. 16.*) quod nullis Ecclesiae legibus Episcopi facultas requiritur, ut privatim Eucharistia exponatur pro aliqua non publica causa, sed privata necessitate; puta pro aegrotante: quod solet fieri aperiendo tantum tabernaculum, ita ut sacra Pixis suo obtecta velamine non extrahatur. Ast pro consuetudine locorum de hac re observanda disciplina.

(b) Ipse Deus ante legem scriptam insita ratione mentibus humanis praedocuit ritus sacrificii, quando patribus cujusque familiae, et primogenitis eorum, hoc officium sacrificandi congruens erat. Mosaica lex praefiguravit victimis, et holocaustis ab his, qui Aaronis erant discendentes oblatis, novae legis sacrificium. Quod Christus Dominus incruentum in ultima coena instituit sub panis, et vini speciebus Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ut jugiter in Ecclesia peragerent Sacerdotes vicem ejus gerentes in memoriam cruenti sacrificii in ara crucis semel oblati.

(1) *Ex decr. S. Cong. Concil. in Neapolit. 17. 1630. et Rit. in Neap. 24. Julii 1639.*

novae legis sacrificium est Eucharistia, quia ait Augustinus (1). *Unum sit pro omni victima sacrificium, sicut unum de omni gente sit regnum.* Hoc verum et unum idemque Christi sacrificium Eucharistiam quotidie immolant novi testamenti Sacerdotes, quod nullam sacrificio Crucis injuriam irrogat. At haec docere, atque vindicare Theologorum interest; nobis sat erit Tridentini canonibus eadem enucleare. Et 1.° « Si quis » dixerit in Missa non offerri Deo verum, et proprium » Sacrificium, aut quod offerri non sit aliud, quam » nobis Christum manducandum dari, anathema sit. » 2.° Si quis dixerit illis verbis: *hoc facite in meam* » *commemorationem*: Christum non instituisse Apo» stolos Sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique » Sacerdotes offerrent corpus, et sanguinem suum, » anathema sit. 3.° Si quis dixerit blasphemiam irro» gari Sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto » per Missae sacrificium, aut illi per hoc derogari, » anathema sit (a) ».

Sacrificium jure veteris testamenti ratione materiae aliud solidum, liquidum erat aliud. Juvencus, aut aliud animal ob partam victoriam sacrificium dicebatur, hostia ab hostibus; aut victima a victoria. Sacrificium panis frumenti spicarum combustarum *immolatio*; olei, aquae, vini, aut sanguinis *libamen*. Ratione formae sacrificium erat *Holocaustum*, in quo victima tota cremebatur, vel *hostia pro peccato*, cujus pars erat Sacerdotis; vel *hostia pacifica*, et in eo partem unam habebat Sacerdos, alteram offerentes, tertia igne consumebatur. Ratione finis distinguebatur in *Latreuticum* quod unice Deo refertur; *Eucharisticum* ad gratias agendas Deo, *impetratorium*, quo nova beneficia implorantur, et *propitiatorium*, ut Deus placari possit, et largiri misericordiam suam.

(a) Hoc sacrificium varie, variis temporibus tam Graecis, quam Latinis dictum fuit Graecis *liturgia*, idest publicum ministerium, utpote Ethnicis absconditum servari oportebat. *Mystagogia* sive arcanum etiam dicebatur. Insuper Synaxis, sive unio po-

(1) *C. 2. n. 2. q. 85.*

Consistit hoc sacrificium essentialiter in sola consecratione, quia eam solam actionem exercet Sacerdos in persona Christi, et vi ejus actionis habetur immolatio, et destructio victimae, non quidem physice peracta solum in Sacrificio cruento, sed mystica, et moralis, imo et aliquo modo realis proportionata sacrificio incruento Missae (a). Hujus effectus est 1.° remissio peccatorum non immediate quidem, sed mediate, seu quatenus impetrat a Deo, ut per debita media, scilicet poenitentiam peccator pro quo offertur, ad salutem perducatur; ut communiter Theologi docent cum Divo Thoma, qui ait (1), quod Missa peccata mortalia delet non sicut causa proxima, sed in quan-

---

puli fidelis cum Christo. *Collecta* sive conventum, *Officium solemne divinum Mysterium.* Ast quatuor saeculis elapsis nomen *liturgiae* Graeci retinuerunt, et *litandi* quod idem sonat, ac sacris Deum propitiare. Latini *Missae* vocabulum latinum juxta Card. Bona *lib. 1. Rer. liturg. c. 1.* quod a *mitto* originem trahit: nimirum dum sacri conventus celebrantur variae fiebant dimissiones, quibus vel quotquot morari amplius non poterant, dimittebantur, unde, ante oblationem Diaconus exclamabat: *Exite Chatecumeni poenitentes indigni*: fideles vero omnes in fine Missae solitis verbis *Ite Missa est.* Posteriori aevo istud Missae nomen denotat integram Eucharistici sacrificii celebrationem.

(a) Vi consecrationis Victima ut semel immolata in cruce, praesens sistitur in altari; vi verborum sub utraque specie sanguinis et corporis mystice separatur, signis mortis cooperitur. Species inde sacramentales non partes dicas, sed conditiones hujus sacrificii: non species enim, sed Christus in Cruce ipse repraesentatus, immolatus, oblatus fuit. Conditio vero sunt species, aliter nec externum sacrificium, nec visibile esset, nec secundum ordinem Melchisedech, quod in panis, et vini oblatione erat. *Gen. 14.* De necessitate non solum praecepti divini, sed et necessitate sacrificii est consecratio. Adhaec tam fractio, quam sumptio ex dictis ad integritatem pertinere ejusdem patet. Sed haec apud Theologos fuse pertractantur.

(1) *4. d. 12. q. 2. a. 2.*

tum gratiam contritionis impetrat (a). Et probatur ex Trid. (1). *Hujus sacrificii oblatione placatus Dominus gratiam, et donum poenitentiae concedens crimina, et peccata etiam ingentia dimittit.* Et re quidem vera cum Christus adhuc viator non sit, nec mereri possit, ut satisfaciat, tantum ipse 1.° impetrat nobis gratias interpellans pro nobis, uti scripturae docent (2); 2.° per se, et immediate remittit poenas peccatorum hominibus justis, pro quibus offertur, quatenus in remissionem peccatorum institutum dicitur *propitiatorium.* Revera ait Divus Thomas (3): *In quantum est sacrificium habet vim satisfactivam.* Et patet ex Trid. *Animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis potissimum acceptabili altaris sacrificio juvari*: nec enim, nisi remissione immediata juvare posset defunctis. 3.° Augmentum gratiae, quatenus ex probabiliori sententia impetret auxilia ad perficiendos actus, quibus gratia accrescit; 4.° virtutem, et efficaciam merendi, impetrandi bona spiritualia, ac temporalia ex Trid. (4), satisfaciendi prae omnibus aliis operibus in gratia factis.

Verum ex *opere operato* praestat hos effectus; dependet enim ejus efficacia ex sola dignitate hujus Sacrificii. Hinc Divus Thomas cum omnibus Patribus communi calculo docent tantum valere sacrificium mali, et pessimi Sacerdotis per respectum ad hunc fructum, nempe ex opere operato, quam optimi, et san-

---

(a) Qui et de venialibus idem dicit contra Canum; propria namque voluntate contractae non tolluntur sine pia animae ejusdem affectione, quae illis repugnet.

(1) *Sess. cit.*

(2) *Joan. epist. 1. c. 2. et 4.*

(3) *P. 5. q. 79. a. 5.*

(4) *Sess. 25. c. 1.*

cti. Praeterea etiam quoad orationes, quae in eo dicuntur pro vivis, et defunctis a Sacerdote sive bono, sive malo prosunt aeque in quantum gerit personam Ecclesiae, secus in quantum a persona privata procedunt (1). Demum infallibiliter suum habet effectum saltem tempore a Deo judicato opportuno, si impedimentum non ponatur, quia ex se nactum, et aptum est impetrare, ut fructus Passionis, et mortis Christi illis, pro quibus offertur, applicetur. — Valor hujus Sacrificii ex parte rei oblatae, et quoad sufficientiam ex *opere operato* est infinitus, seu infinitam habet dignitatem; secus si spectetur ex opere operantis, seu ex merito celebrantis, vel ex fervore adstantium fidelium (a).

CONCLUSIO PRIMA

Quibus obligatio sit celebrandi Missam declaratur (b).

Sacerdotes ministri sunt sacrificandi, quia et ii sunt ministri consecrandi; non enim aliud sacrificare,

---

(a) Valor distinguitur a fructu Missae. Ille est efficacia, quam habet Missa ex dignitate offerentis, et rei oblatae ad conferenda bona offerenti, et iis, pro quibus offertur. Fructus sunt bona ipsa, quae intuitu Sacrificii Deus confert, de quibus deinceps. Unde valorem a fructu recte distingues, velut causam ab effectu.

(b) Non omni die sacra fiebant mysteria primis Ecclesiae temporibus. Ex Paulo *1. ad Cor. XVI.* Solius diei Dominicae, PP. sicut et Justinus Martyr *apol. 11.* meminerunt. Inde data Ecclesiae pace etiam aliis diebus per hebdomadam Missa celebrata fuit, quamvis non eadem ubique disciplina. Jamdiu apud Latinos obtinet, ut omnibus diebus praeter feriam sextam, et Sabatum majoris hebdomadae sacra fierent mysteria. Graeci non celebrant per quadragesimam, exceptis sabatis, Dominicis, et festo Annuntiatio-

(1) *D. Thom. 3. p. q. 81. a. 6.*

quam consecrare, idest victimam divinam sub signis mortis praesentem constituere, sive mystice dividere

---

nis. Quibus vero diebus ipsi non celebrant, adhibent missam praesanctificatorum, hoc est corpus Christi antea consecratum, sicut Latini feria sexta majoris hebdomadae. Plures Missas celebrabat idem Sacerdos, vel quia erant fideles, qui missae non interfuerunt, vel quia idem presbyter duas regebat Ecclesias, vel quia plura occurrebant eodem die officia, vel festa. Vide Card. Bona *rer. liturg. lib. 1. c. 19.* Immo etiam pro arbitrio olim plures licitum erat missas celebrare, uti testatur Walfridus Strabo *c. 21.* At a saeculo XII prohibitum sub gravi plures missas eodem die celebrare, ut avaritiae quaestibus, et obloquentium suspicionibus obviam iretur, ait Bened. XIV (*const.* Declarasti nobis *t. 2. Bullar.*) Si excipias 1.° diem Nativitatis Domini, in qua tres Missae celebrari possunt ex can. *sancta* 48 *de consecr.* Dist. 1. et ex consuetudine ab anno 139 perseverante in Ecclesia ritus latini. Graecis tamen sive in Orientalibus existentibus, et commorantibus, sive in Occidentalibus nunquam fuit trina celebratio permissa ex Bened. XIV. (*const.* in superiori *tom. 4. Bullar.*) 2.° Diem Commemorationis omnium Defunctorum pro Sacerdotibus regnorum Aragoniae, Valentiae, et Comitatus Catalauniae in Hispania, quibus licitum est celebrare: ex privilegio Julii Pauli III. Imo Sacerdotibus in tota Hispania, et Lusitania commorantibus licitum est illa die tres missas celebrare; ex privilegio Bened. XIV (*const.* expensis *tom. 2.*) pro secunda tamen, et tertia non possunt stipendium accipere. 3.° Casum necessitatis, qui nostris hisce temporibus unicus esse potest, nimirum si Parochus duas habet Parochias, vel plures providendas, dummodo non adsit alius Sacerdos, si sit jejunus, si habetur licentia, vel saltem facta sit Episcopo insinuatio, ut discernat, an sit vera necessitas ex Bened. XIV. (*Tract. de Sacrif. Miss. p. 4. sect. 2.*) Extra hunc casum sive ratione supravenientis concursus populi, sive pro administrando Viatico, sive propter adventum Episcopi, aut Regis, sive pro sollemni benedictione matrimoniali danda etc. nequit eodem die bis, aut pluries Sacerdos celebrare: ex Bened. XIV. (*const.* Quod expensis *l. 1. Bull.*) Ita nec Episcopus duas habens sedes inter se vicinas potest eodem die iterato celebrare, neque feria V in Coena Domini ad conficiendum tam in una, quam in altera sacrum chrisma. Ex laud. Pontif. (*Constit.* declarasti *lib. 2. Bullar.*)

corpus a sanguine (a). Hi tamen, quamvis laudabile, et valde utile esset, non tenentur quotidie celebrare. Attamen obligatio celebrandi oriri potest vel ex ipso Sacerdote, vel ex officio, aut beneficio hanc oblationem annexam habente, vel ex stipendio accepto aliave promissione. Simplex Sacerdos saltem aliquando intra annum celebret oportet ex Divo Thoma (1). Id supponunt sacri canones (2). « Dolentes conferimus » quod sunt qui missarum solemnia vix celebrant quater in anno, et quod deterius est interesse contemnunt. Haec et similia sub suspensionis poena penitus inhibemus ». Et Trid. (3). « Curet Episcopus ut » Sacerdotes saltem diebus solemnibus et dominicis celebrent ». Haec quamvis non stricte interpretantur DD. asserunt tamen non posse eos absolvi qui statuerent nunquam per totum annum celebrare ex Benedicto XIV (4).

Curam animarum habentes vel aliunde ex officio ad id obstricti ex. gr. Parochus tenentur sub gravi culpa celebrare missam quoties munus ipsorum exigit, vel per se, vel per alium ex Trid. (5) atque adeo illis diebus quibus populus ex praecepto Ecclesiae, tenetur Sacrum audire, sicut dum nuptialis benedictio danda erit, vel dum aliquis sepeliendus ex consilio Ritualis Rom. dummodo ex consuetudine contrarium non ser-

---

(a) Innocentius III de mysteriis *lib. 3. c. 6.* recte ait: « Non solum offerunt Sacerdotes, sed et universi fideles: nam quod specialiter adimpletur mynisterio Sacerdotum, hoc universaliter agitur voto fidelium ».

(1) *3. p. q. 82. a. 10.*

(2) *C. Dolentes 9. de celebr. Miss.*

(3) *Sess. 23. c. 14. de reform.*

(4) *De Sacrif. Miss. p. 4. sect. 2. D. 9.*

(5) *Sess. 3. de reform. c. 1. 4.*

vetur; vel si viaticum sit infirmo ministrandum. Canonici sive Cathedralis, sive Collegiatae spectati, ut unum corpus constituentes, tenentur quotidie ad Missam conventualem (1) (a). Cappellani, aut beneficia-

---

(a) Missa publica, et sollemnis a privata distinguitur. Publica missa apud veteres ea praesertim erat, ad quam populus cum suo Pastore conveniebat, et in precibus, et in oblatione communicabat; clerici autem adstabant concelebrantes, et suorum ordinum officia exercentes. (*Vide Morinum* de sacris ordinationibus *p. 3. exercit. 8. c. 1.*) Concelebrantes Presbyteri etiam consecrationis verba proferebant. Apud Graecos adhuc concelebratio viget; apud Latinos vestigia tantum supersunt in Missa, qua ordinantur Episcopi, et Presbyteri. Hinc Missa haec *collecta*, *synaxis* veteribus ipsis dicebatur, quod fideles colligerentur ad offerendum, et in precibus ad Eucharistiam communicandam. Labentibus annis quum populus plane desiisset frequenter Eucharistiam sumere, *Conventualis*, et *Canonica* dicta est, quae in Cathedralibus, Collegiatis, et Conventualibus Ecclesiis est quotidie celebranda pro benefactoribus universis: quamvis nemo, aut pauci ex fidelibus ad sacram mensam accedant. Haec et sollemnis dicitur, ubi et cantus chori, ac ministrorum adsistentia simul adjicitur. Vide Bened. XIV *const.* Cum semper *103. tom. Bull.* Cui consonat Synod. Neap. Provinc. Card. Cantelmi. Parochialis quoque Missa dicitur, quam singuli curam animarum habentes omnino debent pro populo suo festis saltem diebus offerre, quae publica etiam dicitur; ut a privatis sacrificiis, quae pro quovis benefactore fiunt, distinguatur. De hac, cum de Parochis egimus, dictum fuit.

Privata strictim missa ea est, quae sine cantu, et caerimoniarum apparatu solo Sacerdote celebratur, uno dumtaxat ministrante, sive pauci alii sint, sive nulli intersint; sive solus Sacerdos, sive alii etiam Eucharistiam sumant. Cujus Missae usus in utraque Ecclesia fuit. Quod ex antiquis monumentis PP. compertum est, ut proinde haeretici recentiores non recte veluti novam, et contra Missae oeconomiam traducant. Propterea Synodus Trid. (*sess. 22.* de Sacrif. Missae *c. 6.*) Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas, et illicitas non damnat, sed probat, atque adeo commendat. Siquidem illae quoque Missae vere communes censeri debent, partim quod populus in eis spiritualiter communicet, partim vero, quod

(1) *De Sacr. Miss. lib. 3. c. 3.*

rii, quibus incumbit celebrare quotidie, tenentur etiamsi impediti per seipsos, per alium missam celebrare; si non declaret fundatio, quod *per se ipsos* teneantur celebrare, secus juxta de causa interdum posse sacrum omittere responderunt Sacrae Congr.; utrum autem teneantur supplere per alium, quaestio est sub judice Bened. XIV (1). Tandem quicumque stipendium recipit occasione missae offerendae censetur se obstrinxisse ad celebrandum sive per se, sive per alium.

CONCLUSIO SECUNDA

De applicatione Missae disseritur.

Missae sacrificium soli Deo offertur, per hoc enim suprema significatur Dei excellentia, et *latreuticum* dicitur. Haec excellentia vero in Sanctis suis splendens non impedit, quominus offerri possit in honorem, et memoriam eorum; offertur autem quatenus etiam pro nobis apud Deum intercedant, ut Trid. Synodus definivit (2). Quoniam vero idem est, ac illud crucis sacrificium; nec per se ab illo differat, nisi ex Tridentino sola offerendi ratione, applicari quoad fructus ejus potest, ob id enim unum implet omnia, quae sacrificiis multis an-

---

a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur. Non abs re demum hic de *missa solitaria* dicere aliquid erit, quam scilicet nemine ministrante, et praesente, Sacerdos unus, idemque celebrat. Sane adversari eam missae oeconomiae adversam, et hinc a sacris canonibus prorsus eliminatam esse statim inventam octavo, saeculo a Monachis, ut suae devotioni, seu simplicitati consulerent, quos alii Sacerdotes, nescio utrum ignorantia, an avaritia sequebantur.

(1) *Cap.* Cum Creatura *9. de celebr. Miss.*

(2) *Sess. 22. c. 5.*

tiqui foederis figurabantur; *Propitiatorium* hinc etiam pro culpis offertur; *Satisfactorium* pro poenis; *Impetratorium* divinorum bonorum *Eucharisticum* ad gratias agendas. Fructus vero ejus alius *Generalis* a DD. distinguitur, *specialis* alius, alius *specialissimus*, quos aliter aliis applicari fas erit. (a). Re quidem vera quoad generalem fructum: *Meritorium* gratiae, et gloriae solum offerenti prosit. *Impetratorium*, *et Satisfactorium* quoad partem generalem omnibus prodest omnino fidelibus tam vivis, quam defunctis, non excommunicatis tamen, nec ponentibus obicem; provenit enim ex Sacrificio Missae, quatenus nomine Christi offertur a Sacerdote. Hinc Missas privatas vere communes docet Trid. (1). Fructus ex opere operato juxta communem DD. infinitus secundum extensionem aeque prodest singulis, quando offertur pro pluribus, ac quando pro paucioribus offertur, item aeque prodest singulis sive plures adsint, sive pauciores, quia hoc exigit Divina Bonitas, ut fidelium multitudo sibi non officiat; sed alliciantur potius ad illud, devotione conjuncta, et majore, celebrandum. Secundum intentionem vero respectu cujusque fidelis finitus, et determinatus, quod et ex dictis patet.

Pars specialis fructus, sive *ministerialis*, aut *media* proveniens ex sacrificio quatenus offertur a Sacerdote ut ministro Christi, prodest illi, pro quo offer-

---

(a) Ut applicatio valida sit, requiritur 1.° ut sit determinata ad certam personam. Clemens VIII ann. 1605 prohibuit severe, ne per anticipationem quis applicet missam iis, qui postea oblaturi sunt eleemosynam: alioquin offertur sacrificium pro causis nondum existentibus 2.° ut fiat tempore congruo, nempe ante consecrationem, ut communius DD. tenent. Caeterum sufficit intentio virtualis, quae scilicet in affectu perseveret, donec revocetur.

(1) *Sess. 22. c. 5.*

tur, sive intendit nominatim immolare, Deumque suis orare precibus. Ita S. Thom. (1). Hic fructus, quia juxta communem sententiam est finitus, minus prosit singulis, si offeratur pro multis. Singuli etiam adstantes, communicantesque eumdem fructum percipiunt. Diverso tamen statu cum possint esse fideles, pro quibus offertur, propterea notandum quod 1.° Omnibus fidelibus justis, et vivis seu in statu gratiae viventibus quoad utrumque fructum impetratorium, et satisfactorium prodesse potest Sacrificium. 2.° Peccatoribus etiam juxta plures DD. excommunicatis tolleratis tamen, et quatenus offertur in persona Christi (ex Constantiensi namque datur fidelibus communicari in Divinis cum illis (2)) prodesse potest quoad impetratorium fructum gratiae scilicet resipiscendi a culpa, vel etiam evertendi aliquod malum (a). Defunctis existentibus in Purgatorio, quibus saltem quoad fructum satisfactorium prodest, et quidem infallibiliter juxta aliquos; quoniam alii per modum solum impetrationis volunt prodesse eis, in quantum, et prout Deo placuerit (b). Specialissimus denique fructus sacrificii quatenus a

(a) Ex epistola 1 ad Timoth. c. 2. exhortamur orare pro Regibus, et omnibus hominibus; hinc ex Chrysost. etiam pro infidelibus maxime cum sint in lethali culpa existentes. Non erit proinde illicitum sacrificium offerre, et pro paganis judaeis etc. non tamen particulariter memoratis. Pro haereticis, et infidelibus defunctis offerri non potest, ut ex Conc. Later. III. c. 27., sicut et pro certe damnatis fidelibus utpote redemptionis incapaces. Item voluntarii suicidae, ex Nicol. I ad consult. Bulgarorum *c. 98. q. 5. c. Placuit.* fructibus hisce expertes sunt.

(b) *Pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis rite juxta Apostolorum traditionem offertur.* Ita Trid. (*cit. sess. 22. cap. 1. et 2.*)

(1) *Cit. 4. dist. 45. a. 4. q. 1. et 2.*

(2) *Vide Ferraris Bibliot. tom. 5. par. 70. a. 7. n. 13. c. 4.*

Sacerdote, *persona privata* offertur, soli celebranti prodest. Huc etiam revocatur illorum fructus, qui sacrificio adstant praesentes, et cum Sacerdote censentur offerre. Et est major, vel minor prout dispositio actualis, tum Sacerdotis, tum aliorum, quasi consacrificantium, cui dispositioni specialissimus hic fructus commensuratur.

CONCLUSIO TERTIA

Quae stipendium spectant, extricantur.

Quemadmodum pro missis publicis, et conventualibus, qui altari serviunt de communi fidelium oblationibus, vel Ecclesiae redditibus participant; ita pro missa qualibet privata peculiarem eleemosynam vel beneficii, et capellaniae fructus ad sui sustentationem celebrans probe accipit. Igitur potest quivis Sacerdos etiam dives per se accipere stipendium, non quidem per modum conditionis consecrationis Eucharistiae, quod esset simoniacum, sed ex titulo sustentationis juxta Apostolum (1). Dein etiam aliquid ratione circumstantiarum loci, temporis, titulo eleemosynae, doni liberaliter oblati etc. bene accipi contra Vicleffitas, et Lutheranos docet cum aliis Divus Thomas (2), ipsa probante Ecclesia. Vide etiam Gersonem (3). Varios hac in re abusus, erroresque hominum improbitate, ac avaritia invectos non negamus; sed quod vitio hominum est, confiteantur oportet Lutherani, eorumque asseclae, nocere non posse stipendio, quod jure natu-

(1) *I. ad Corinth. cap. 9.*
(2) *2. 2. q. 100. a. 2. ad 2. et in 4. dist. 25. q. 5. q. 4.*
(3) *In opusc. de solicitud. ecclesiast. tom. 2. p. 5.*

rali, et positivo divino debetur, ac Ecclesiastico, quod insuper illos abusus, et errores correxit et eliminandos fore cavit (1). Hinc delegata fuit Episcopis a Sede Apostolica, pro recta celebratione Missarum, potestas praescribendi quae oportet, ac Regulares etiam exemptos ad ea cogere (2) (a). Nostra inde refert delibare solum, quid pro stipendio dandum sit Sacerdotibus, vel ab ipsis accipiendum (b).

(a) Generalis mos in Ecclesiam obtinuit, ut fideles finita missa cathecumenorum ad altare panem, et vinum offerrent, idest cum oblatio inciperet, sive *offertorium*: ita dictum ab hac panis, et vini oblatione, quae a tempore Divi Augustini coepit cum cantu exequi alicujus hymni a Psalmis deducti, facta tamen ab illis qui poterant, et divites erant, ut monet Cyprianus *de operibus, et eleemosyna*, rejectaque illa poenitentium, qui erant confitentes, quique in precibus sine oblatione communicabant. Receptis oblationibus nomina offerentium per Diaconos ad altare solebant recitari. Ex hoc pane, et vino Christi corpus, et sanguis conficiebatur, quodque reliquum erat alendis Clericis, et pauperibus inserviebat. (*Vide Card. Bona* rerum liturg. *lib. 1. c. 25.*) Labentibus annis loco panis, et vini pecunia offerri coepit, et quamvis in templis Christianorum fuisse arcam constat ex Tertull. Apolog. c. 39., aliisque; quo primo tempore tamen ad ipsum altare offerri consueverit; certo non constat; nisi cum Honorio Augustodonensi, qui saec. XII. floruit in *Gemma animae* lib. 1. c. 66. in Biblioth. PP. designari velit illud, quo fideles, qui sacrificio intererant, sacrorum mysteriorum participes esse desierunt. Vel panem interim, vel denarium offerre consueverunt fideles, semper clericis omnibus, atque Ecclesiae oblatum testatur Thomasinus V. et N. E. D. p. 3. lib. 1. c. 7. Ex hac pecunia originem habuit hodiernum missae honorarium, sive stipendium, quod tantum saeculo forsan VIII inductum, ac saeculo XII passim ubique receptum fuit. Certe saeculo XI tam late patebat, ut pueris notum esset: quod colligitur ex facto D. Petri Damiani, quem tradidisse nummum Presbytero, narrat Joannes Monachus in ejus vita, qui sacrificium pro Patre offerret.

(b) Stipendium ex titulo sustentationis illud censetur *justum*;

(1) *Sess. 22.*

(2) *Apud Bened. XIV. de S. D. 1. 5. c. 8.*

Et primum tenentes id, quod Tridentinum injunxit Episcopis (1) nimirum *ut importunas, atque illiberales eleemosynarum exationes potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae simoniaca labe, vel certo a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant* (a). Pro comperto tamen est 1.° posse Sacerdotem accipere tantum, quantum a dante liberaliter offertur: nequaquam tanquam debitum, nonnisi justum. 2.° Per alium satisfacere potest obligatus ad plures missas, ob perceptum multiplex stipendium: excepto casu, quo dantes stipem expresse, vel tacite vellent, ut per ipsum Sacerdotem offerrentur, utpote in extimatione, bonum, pium etc. Distribuens tamen Missas eligere debet Sacerdotes accuratos, bonos etc., quatenus prosint petentibus etiam quoad fructus ex *opere operantis*, qui produnt ex pio accessu, recitatione Introitus, Hymni Angelici etc. consecratione, et communione excepta. — Non posse autem 1.° Unica Missa satisfacere pluribus petentibus, et stipendium contribuentibus ex Urbano

---

quod lege, vel consuetudine taxatum est, vel ubi nulla est taxa, quod prudenti judicio sufficit ad mediam, vel tertiam partem sustentationis honestae unius diei.

(a) Huic hinc praecepto Episcopi obtemperant missarum stipendia taxando; et si ultra determinatum ab eo Sacerdos exigat celebraturus, delinquit contra legem Ecclesiae, et tenetur ad restitutionem utpote peccans contra justitiam commutativam, ut post Sanchez docet Bened. XIV. (*de S. D. lib. V. c. 9.* Adhaec missas a testatore legatas nulla determinata eleemosyna, ab Episcopo est praescribenda respondens mori consueto locorum. Minore autem eleemosyna quamvis Sacerdos jure communi possit se ad missam celebrandam obligare, potest tamen Episcopus praecipere, si velit, ut servetur taxa communis a presbyteris, ne alii Sacerdotes in odium, et suspicionem veniant. Ita teste Bened. XIV cit. loc. Congregationes Rom. responderunt.

(1) *Sess. 22. de observandis in Missis.*

VIII. Contrarium facientes peccant contra justitiam; ex Alexandri VII damnata propositione n. 9. ; nec uni fructum satisfactorium, alteri impetratorium applicare, vel huic portionem specialem, alteri specialissimam ex eadem damnata propositione laudati Pontificis. 2.° Item missas saltem adventitias, seu pro majori stipendio manuali celebrandas eodem diminuto, aliis Sacerdotibus distribuere ex Urbano VIII, et Alexandro VII damnata propositione n. 9. Secus faciens incurrit poenam suspensionis *ipso facto* Summo Pontifici reservatam. Si vero sic faciens sit laicus incurrit excommunicationem. Quod intelligitur etiam pro casu, quo sic distribuens missas, indicasset acceptanti majus stipendium esse taxatum, hicque minoris esset contentus: ex Bened. XIV (a). — Missae tamen perpetuae, seu celebrandae titulo beneficii possunt a beneficiario distribui aliis pro ordinario stipendio. Ex rescriptis S. Congr. apud laudatum Pontificem (1) (b). — 3.° Si-

---

(a) Administratores Ecclesiarum pauperum distribuendo Sacerdotibus stipendia causa celebrandi affluentibus, possunt aliquid detrahere tum ex missis perpetuis, tum ex adventitiis pro subministratis vino, cera, hostiis, et aliis utensilibus ex rescripto S. Congr. ann. 1726. Vide Bened. XIV. Inst. LVI.

(b) Missa ratione stipendii aliae dicuntur perpetuae, quando ex fundatione, vel ex instituto beneficii certis diebus sunt celebrandae. Aliae dicuntur adventitiae, pro quibus fideles eleemosynam manualem offerunt. Quantum ad fundationes praesertim, quae ante perturbationes occupatione militari expertas existebant in nostro Regno curandum, ut executioni mandentur, nisi ab auctoritate competente fuerint reductae, aut nisi penitus reditus, unde illi oneri providebatur, ad nihilum redacti sint. Constat namque juxta plures auctores in materia fundationum, aut piorum onerum, quae inde fabricis, piis domibus, aut Ecclesiis incumbunt, non currere praescriptionem etiam longissimi temporis; sunt namque ipsis ea onera *impraescriptibilia*. Hinc ut melius provideatur fundationibus

(1) *Const. Quanta 25. Bull.*

ne justa, et rationabili causa alia missa non potest, vel alio in loco, aut Altari celebrari, quam intendit stipendium praebens; ita tamen ut secus faciens non teneatur aliam celebrare Missam, nam fidelitas sic, non justitia violatur. 4.° Differre diu non licere celebrationem Missarum ex justitia debitarum ratione percepti stipendii, nec alias missas in se suscipere, nisi prius susceptis satisfecerit, vel intra modicum tempus (quod juxta quandam declarationem S. Cong. 17 Julii ann. 1635 (1) non majus sit mense, vel juxta alios intra bimestrem) satisfacere posset pro antea susceptis (a): nec pro Missa eo, quo vacare die licebit celebrans

---

pontifices, et Concilia pluries commendarunt, ut in unaquaque Ecclesia tabella sit in sacrario palam exposita, quae indicet missarum numerus, dies etc. (*Bened. XIV de S. D. lib. 13. c. ult.*) Ita etiam Synod. Mediolan. I. *de officio Sacristiae*, et Synod. Neap. Provinc. Card. Cantelm. lib. 2. c. 7. Praeterea ex decr. S. Cong. sub Innoc. XII, et cit. Synod. Neap. num. 12 et 13 in sacrario sunt libri retinendi duo, quorum in altero perpetuae, in altero manuales, seu adventitiae Missae adnotantur singulatim, in eisque Sacerdotes adimpletam celebrationem quotidie conscribant, de ea quotannis rationem reddituri Ordinariis locorum. Tandem pluribus iisdem decretis, ne Ecclesiae plus aequo graventur missis perpetuo celebrandis vetitum est nova missarum ejusmodi legata ecclesiasticis cleri saecularis, et Ecclesiarum administratoribus acceptare sine praevio Episcopi Dioecesani consensu; Regularibus sine Generalis, aut Provincialis sui consensu, nonnisi cognita re impertiendo: alias illi interdictum *ipso facto* ab ingressu Ecclesiae, hi privationem vocis activae, et passivae, omniumque officiorum incurrant.

(a) Differens celebrare missam pro infirma persona, vel aliqua instante necessitate, teneretur etiam ad restitutionem stipendii percepti, nec satisfaceret, si infirma jam defuncta celebraret pro anima illius juxta aliquos: aliis tamen ex adverso id negantibus. Si vero petita sit pro instante aliqua necessitate, ex. gr. pro felici partu, et dilata fuisset, sublata necessitate obligandus esset

(1) *De S. D. 1. 5. c. 9.*

ipse aliud potest stipendium accipere, aut eandem pro alio speciatim benefactore offerre (a). At Capellanus vel Beneficiarius qui per alium, potest missam quotidianam ex fundatoris vel expressa, vel tacita voluntate satisfacere, ei nullo die fas est sacrificium omittere, pro quo immolando impeditus cogitur manualem substituto Sacerdoti eleemosynam exsolvere (1).

CONCLUSIO QUARTA

De reductione Missarum nonnulla adnotantur.

Concilium Tridentinum (2) ad rem sic mandat: » Sancta Synodus cupiens haec (onera missarum) ad » pios usus relicta, quo plenius, et utilius possint im-

---

ad restitutionem ex Bened. XIV *de Sacrif. Missae* p. 4. sect. 2. Facile autem ad illud tempus jam dictum extendi debet, si agatur de Missa pro Defunctis. Tutius ergo erit monere offerentem, quod ante certum tempus non celebrabitur missa, nisi ipse ex circumstantiis clare in hoc sponte consentire noscatur. Hinc cum saepe contingat aliquibus Ecclesiis tantam congeri pecuniam in dies, ut infra praescriptum tempus absolvi nequeant in illa Ecclesia, vel altare, ubi postulant fideles; per Congr. R. praecipi solet, ut palam in templo exponatur tabella, quae declaret in ea Ecclesia sacris factis, quae fieri possunt, quae superaverint intra certum tempus alibi esse celebranda. Vide Bened. XIV Inst. 56.

(a) Obstrictus missam quotidie per semetipsum pro sua praebenda, vel beneficio, vel cappellania perpetua celebrare, potest non modo infirmus, sed aliquando sanus etiam licite se abstinere, c. *significatum est 11. de praebendis.* Emmanuel Gonzalez hoc in textu n. 4. plurium Theologorum innixus sententia putat *ob honestatem*, *et majoris devotionis gratiam* omitti licite unam, vel aliam in hebdomada missam.

(1) *Ex decr. S. Congr. die 18. Sept. 1683.*

(2) *De Synod. D. l. XIII. c. et ultimo.*

» pleri, facultatem dat Episcopis (a), ut in Synodo » dioecesana, itemque Abbatibus, et Generalibus or» dinum, ut in suis capitulis generalibus re diligenter » perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis » Ecclesiis, quae hac provisione indigere cognove» rint, statuere quidquid magis viderint expedire, » ita tamen ut eorum semper defunctorum comme» moratio fiat ». Haec de missis perpetuis, non enim consuetudo est, ut missae adventitiae a superioribus ad minorem reducantur numerum. Causa propter quam hujusmodi reductio fieri aliquando potest, est defectus proportionis inter reditus, et onera missarum. Ast ex Bened. XIV faciendam non esse censetur reductionem, quando aliqua Ecclesia, collegium, Seminarium, hospitium, sodalitium tempore, quo funda-

(a) Onera Missarum perpetua, vel redundantia in Ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium, vel incongruis adnexa redditibus consueverant olim Episcopi, Praelatique Regulares ad taxam dioecesanam reducere, ac moderari. Id ne amplius inconsulta Sede Apostolica fieret, cautum quoque est Urbani VIII decretis, ut videre est apud Fagnanum in cap. *Fraternitatem 3. de sepulturis* n. 66., et Monacell. *tom. 1. in appen. form*. Eaque servanda fore in legatis piis etiam futuris, et tenuibus, antequam acceptentur, declaravit S. Congr. Concil. ut ex notis ad Const. 45. Urbani ejusdem tom. 5. Bull. colligitur, et a Bened. XIV *de Synod. D. l. 5. c. 10. n. 2.* rejectis adversis opinionibus Pasqualigi, et Passarini. Revera tradit Bened. XIV. *de S. D. lib. 5. c. 10. n. 3.* plurimas reductiones missarum auctoritate Apostolica factas, alias audito speciatim pro singulis Ordinario loci, alias, generatim, ubi opus fuit pro cunctis vel alicujus dioecesis Ecclesiis, et beneficiis, vel Ordinis Regularium monasteriis ab Alexandro VII, Clemente X Innocent. VIII, et Benedicto XIII. Qui ampliori privilegio Praelatis omnibus in Synod. R. *ann. 1725. tom. 15. cap. 8.* praesentibus, largitus fuit ad triennium, ut perpetuas missas in sua dioecesi reducerent ad rationem eleemosynae pro qualibet Missa quotidiana, quae respondet circiter duobus in singulas Missas carolenis monetae hujus regni.

ta fuere, sese obstrinxerunt ad certum missarum numerum. Vide apud eundem Pontificem quae observanda hoc in argumento sunt, et maximi quidem momenti (1). Hac praesenti disciplina ex adnotatis recurrere debet ad S. Sedem quisquis pro obtinenda reductione missarum ad numerum minorem: quam quidem facere possunt etiam Episcopi, qui per se, vel justo impedimento detenti per suos procuratores interfuerunt Concilio Provinciali Romae celebrato anno 1725 ex indulto Bened. XIII ad normam jam concessi die 15 Julii ann. 1724 Monachis Cassinensibus. Vide laudatum Pontificem Benedictum XIV (a).

A reductione distinguitur compositio, seu condonatio, quae respicit tempus praeteritum, in quo omissa fuerit fundationum executio. Igitur gravatus numero missarum, cui sive per se, sive per alios non posset satisfacere ex Benedicto XIV debet recurrere ad sanctam Poenitentiariam pro obtinenda condonatione, vel compositione: reservata enim manet haec Summo Pontifici, qui examinatis prius causis omissionis opportune providet, supplendo ex thesauris Ecclesiae quidquid in oneribus implendis peccatum est; Ipseque congruum mandat quotidie celebrari numerum missarum ab aliquibus Cappellanis huic

---

(a) Reductioni per Episcopum faciendae non subsunt onera Missarum, quae per contractum acceptata sunt; atque adeo non potest Episcopus traducere Missas, quae ex fundatione Beneficii, vel Cappellaniae instituto, veniunt celebrandae, sed solum quae vel in Testamento, vel facta inter vivos bonorum assignatione praescriptae sunt, uti anniversariae, de quibus solum intelligenda venit facultas Episcopis ipsis concessa: ex Benedicto XIV citat. loc. de S. D. Actum reductionis verosimilius est pertinere ad jurisdictionem contentiosam. Datur inde ab eo appellatio ad Metropolitanum, quae per formam Decreti prodire debet.

(1) *Cit. loc. lib. 5. c. 10. et lib. 15. c. 26.*

muneri addictis in Vaticana Ecclesia, in suffragium, et expiationem animarum, pro quibus sacrificia offerri debuerant. Caeterum non admittitur compositio, si malitiose egerunt petentes condonationem.

CONCLUSIO QUINTA

Requisita ad celebrandum summatim, ac breviter discutiuntur.

I.° Ritus, ac Coeremoniae in Missa adhibeantur oportet ex Trid. (1) quae sint ab Ecclesia probatae, atque frequenti, ac laudabili usu receptae. Harum ordo vocatur *Liturgia* graece, latine redditur publicum ministerium. Sed earundem non omnium Ecclesiarum eadem disciplina (a). Hinc variae pro variis temporum circumstantiis exortae sunt liturgiae (b). Pius V sub

(a) A D. Petro primum Missae sacrificium cum reliquis concelebratum fecisse Apostolis ex Asterii Amaseni hom. in Princip. Ap. sentire non abs re erit, atque in coenaculo Hierosolymitano die Pentecostes ubi erant omnes *perseverantes unanimiter in oratione* Act. cap. 13. v. 2. Exinde Apostoli sacrum hujusmodi facere non sine pompa solemni consueverant. Scriptum est enim ibid. c. 2. vers. 42. fuisse illos *perseverantes in communicatione fractionis panis, et orationibus*; Et Paulus 1. ad Timoth. c. 11. vult fieri *obsecrationes, orationes, interpellationes, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus pro Regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt*; postquam ad Corinth. scribit de convenientibus in unum ad dominicam coenam. Hinc Augustinus docet Apostolum innuisse adjunctos ritus Missae epist. 59. ad Paulinum q. 5. Liturgiam vero tempore Apostolorum, et primorum saeculorum, videre est apud Natal Alexandr. *Hist. Eccl. sect. 1. c. 12.* Card. Bona *Rerum liturg. lib. 1. c. 8. et seqq.* et Lebrun, aliosque.

(b) In Oriente celebriores fuerunt Basilii, ac S. Joann. Chrysost. In Occidente Romana, Ambrosiana, Gallicana, Hispala, quae et Mozarabica dicitur, quia Christiani occupata Hispania

(1) *C. proposuit 6. de filiis presb.*

praecepto mandavit obedientiae, coeremonias in Missali descriptas esse servandas. Tamburinus cum aliis distinguit inter liturgias praeceptivas, et directivas, docetque illas per se obligare sub gravi, directivas esse de consilio (a).

II.° Requiritur Minister, qui et necessaria administret sub gravi, et respondeat celebranti, sine quo nonnisi urgente rationabili causa celebrari debet. Ita sacri canones. *Non solus presbyter missarum solemnia vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare.* Nunquam item permittendum ut id praestetur a foemina (1). *Inhibendum est, ut nulla foemina ad Altare praesumat accedere, aut presbytero ministrare, aut intra cancellos stare, vel sedere.* Unde quamvis in Missa solemni Moniales ex choro respondeant, nunquam possunt ad altare accedere.

III.° Locus: *Nec patiantur* definivit Trid. (2) *privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, sed ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, et visitanda, san-*

---

ab Arabibus, his commixti, *Mix arabes* corrupta voce *Mozarabes* dicti sunt. Ritus Mozarabicus opera Cardinalis Ximenii in sacello in Majori Ecclesia Toletana aedificato celebratur; quique in aliqua Parochiis Toleti adhuc viget. Graeci autem Syri, Illirici, Cophti suo cujusque nationis rituali utuntur.

(a) Praeceptivae juxta citatum Auctorem sunt, quae continent aliqua, quae convenienter praecipiuntur ex. gr. jejunium, integritas sacrificii, locus, altare, vasa, vestes etc. quas apud DD. liturgicos est videre. Directivae dicuntur reliquae, de quibus non constat apud Doctores, quod sic percipiantur ex. gr. orationes ante, et post Missam etc.

(1) *C. l.*

(2) *Sess. 22. de observandis in Missa.*

ctum hoc sacrificium peragi (a). Bened. XIV (1) juxta sacros canones (2) docet, tunc licere sacrum of-

---

(a) Oratorium *privatum* dicitur locus privata solum auctoritate, et in domo hominis privati deputatus divino cultui : si ingressum habet ex publica via, *publicum* nominatur, multoque magis, si etiam privatum consecratur ab Episcopo ; tunc enim non privata, sed publica auctoritate ac perpetua dedicatur divino cultui ; ut adeo ipse consecrationis actus repugnat privato oratorio ; quod per se tantum refertur ad *loca pia* (uti aediculae passim in viis publicis pro transeuntium devotione constructae), quae sunt in dominio privatorum, ac in commercio humano ; et privata auctoritate etiam ad usus profanos reduci possunt. Verum Oratoria in palatiis episcoporum, et in claustris regularium, perpetuo destinata divino cultui, inter privata non computantur. Antiquitus permissum erat in iis privatis oratoriis celebrare, quod duravit ad Concilium Triburiense usque celebratum ann. 895. Episcopi ea loca probant. Ad coercendam tamen facilitatem, qua hi licentiam illam dabant, per Trid. sublata fuit ipsis talis potestas : ideoque sine speciali indulto Sedis Apostolicae in oratoriis privatis celebrari nequit. (*Vide Bened. XIV const.* Magno *48. t. 3. Bullar.*) Ast Episcopi tamen aliquo casu ex justa, et rationabili causa praesertim pro solatio infirmi possunt illud praebere, ut in domo vel camera privata infirmi super altari portatili missa celebrari valeat. Sic Suarez Barbosa aliique contra Navar. et Azor. Praeterea licitum est in Oratoriis Religiosorum privatis et cappellis domesticis a Superioribus ad Divinum dumtaxat cultum deputatis, (non tamen in *Grangiis* seu domibus ruralibus in quibus quidam solum conversi pro cultura agrorum vel contra manere solent) missam celebrari, in quo etiam praesentes satisfaciant praecepto de audiendo sacro, quia censentur uti dictum fuit loca sacra et monasteria veniunt nomine Ecclesiae. cap. 24. de sent. excom. in 6. et ibi. gl. Quin et in cameris et cellis ex. gr. ubi decumbit infirmus, ut legantur Missae Superiores Regulares facultatem dare possunt, non tamen ita, ut laici eis assistentes satisfaciant praecepto. Dixi nisi in casu necessitatis ex. gr. in bello pro exercitu in longingua peregrinatione per loca infidelium in loco ubi nulla est Ecclesia etc. licebit super Altari portatili sub dio missas celebrare non requisita licentia episcopi per can. 1. et 30. de consecr.

(1) *De Sacrif. lib. 3. c. 6.*

(2) *C. concedimus 30. et c. Sicut 11. de consecr. dist. 1.*

ferre in loco decenti quocumque, quando missa, quae omnino celebranda sit, alio in loco non possit (a) nimirum tempore pestis, belli, persecutionum, pro casu quo Ecclesiae essent dirutae, aut in concursu populi, quem sacer locus non capit etc.

IV.° Altare: Sive fixum, et stabile, quod basi suae adhaeret, ut immobiliter perseveret, sive mobile, et portatile, quod solet collocari in alia mensa, quae vulgo ex ligno, aut alterius materiae compage construitur (sine quo in nullo casu, excipe metum mortis, et praeciso Religionis contemptu incussum) lapideum saltem necessarium est. Altare fixum consecrari non debet, nisi in Ecclesiis solemniter consecratis (1). Sive vero mobile, sive fixum consecratum ab Episcopo sit oportet (2), vel ab alio habente a Sede Apostolica facultatem: nec per ipsum usum, seu celebrationem censetur consecratum juxta probabiliorem sententiam. Hinc si altare fixum a basi sua moveatur, vel portatile ita minuatur, ut nulla pars apta remaneat, ut non possit capere hostiam, et majorem partem Calicis, jam non licet super eo celebrare. Quibus vero ornari debet, liturgici declarant.

V.° Tempus: *Poenis propositis caveant Episcopi, ne Sacerdotes aliis, quam debitis horis celebrent.*

(a) In castris militum solitum est missam celebrare coram exercitu in campo patenti, vel sub papilione. Navigantibus quoque concedebatur, ut in littora maris possent sacra fieri. Sed ex Bened. XIV *de sacrif. miss.* lib. 3. et 6. id absque privilegio S. Sedis non est licitum, neque concedi solitum, nisi sub conditione, quod tutum sit navigium, tranquillum mare, et celebranti adsit etiam alter vel Sacerdos, vel Diaconus, qui si oriatur motus, possit omne periculum effusionis praecavere.

(1) *Vide Barbosum Jus univers. lib. 11. a. 5.*

(2) *Can. Nullus 25. de consecr.*

Ita Trid. (1). Inde nocturno tempore nequit celebrari, excepta nocte Natalis Domini, pro prima tantum missa: S. Congr. ann. 1641 et 1702. Aliis diebus non licet ante Auroram, et post meridiem sine speciali indulto et rationabili causa ex Rubricis Missalis (a). Hoc tamen spatium non metaphysice sumendum, sed moraliter, communius DD. tenent (b). Aliqua Epicheja igitur ex rationabili causa uti potest Sacerdos. Et quidem uti ex illis DD. aliqui monent, haec prohibitio in ratione vetiti non differt a ceteris legibus Ecclesiae; proptereaque si licet in reliquis uti Epicheja; non est, quod negetur in hac, eo vel maxime quod urget Ecclesia, praesertim Bedae sententiis, ut omnes Sacerdotes legitime non impeditos Missam celebrent (c). Excipe tamen a supradicta lege. 1.° Si adsit

---

(a) Aurorae nomine intelligitur illa prima lucis introductio, quae solis ortum praecedit, juxta temporum varietates aliquando spatio duarum horarum, unius horae aliquando praecedit tantum aurora ortum solis. Hinc in Januario, et Decembri circa sextam horologii ultramontani; in Februario, et Novembre circa quintam; in Martio, et Octobre circa mediam quintam; in Aprili, Augusto, Septembre circa quartam; in Majo, Julio, et Junio circa tertiam.

(b) Justa, et rationabilis causa ab aliquo non infimi subsellii Doctore probatur urgens necessitas itinerandi ex. gr. pedibus ad loca valde dissita, quae ut ad vesperam contingantur, antelucanum exigunt discessum, et Ecclesiae intermediae non sunt, vel extra viam multum temporis absumpturae. Item causa iterandi curru cum prudens ingruit periculum nec celebrandi, nec missam audiendi: cum ob pericula grassatorum aliis curribus mature discedere volentibus sociari oportet, nam leges, propter homines, non vicissim.

(c) Ideo Bened. XIV de Sacrif. lib. 3. c. 7. asserit Romae tolerari, quod missa incipiatur triente horae (20 minut.) ante auroram. Sic et si missae initium parum distet a meridie, communis DD. est sententia.

(1) *Cit. sess. 22. decr. de observand. in Miss.*

necessitas, ut si moribundus non possit aliter viatico refici, vel populus peregrinationem instituens sit missa privandus. 2.° Legitima consuetudo ex. gr. ut possint operarii audire missam. Demum in hac materia Episcopi dispensare non possunt, nisi in casibus particularibus, et justa ex causa, ex. gr. ad audiendas confessiones, ad iter faciendum. Ita DD. contendunt. Quae caetera hoc argumentum spectant, nostri instituti ratio non patitur declarare. Ea Theologi Morales, et Liturgici maxime exponunt.

CAPUT IX.

DE POENITENTIAE SACRAMENTO (a).

CONCLUSIO PRIMA

Natura, necessitas, et effectus hujus Sacramenti exponuntur.

Virtute poenitentiae necessariae semper ad salutem Christus certius, ac melius nobis consulturus externum quemdam ritum, sive efficax gratiae signum praescripsit, quo ad dignitatem Sacramenti illam evexit,

---

(a) Poenitentiae Sacramentum vel ab una ex ejus partibus, vel a ritu, vel ab effectu, pluribus nominibus appellatur. Ita dicitur Sacramentum *Confessionis*, *manuum impositio*, vel ut ab aliis manuum impositionibus distinguatur saepe additur *Conciliatoria*, *Absolutio*, *Reconciliatio*, *Communio*, *Pax*, *Secunda post naufragium tabula*, *Baptismus laboriosus*, Graecis *Metanea* nuncupatur idest resipiscentia, *et Exomolegesis* confessio criminum poenitentium. Poenitentia tripliciter considerari potest 1.° prout est virtus specialis, quae a Divo Thoma (*3. p. q. 85. a. 2. et 5.*) definitur: detestatio, seu animi dolor de peccato, prout est offensa Dei cum proposito non amplius peccandi, et pro peccato satisfa-

ut remissio peccatorum poenitentia obtineretur, si initialem tantum Dei amorem saltem contineat. Est autem: Sacramentum quo corde dolentibus, et confessis, ac satisfacere proponentibus peccata post baptismum admissa per sacerdotalem absolutionem remittuntur. Institutum quidem a Christo fuit inchoative ante passionem, dum dixit: *Quaecumque alligaveritis super terram etc.* (1). Completive post resurrectionem, dum dixit (2): *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* In forma judicii proinde adhibendus ritus hujusmodi ad absolvendum, quo includitur ratio Sacramenti: scilicet ex parte poenitentis confessio, et dolor; ex parte ministri forma absolutionis; collatio demum gratiae, qua remissio praemittitur peccatorum a Christo, qui inde institutor cognoscitur illius. Merito propterea ut Sacramentum definitum a Trid. (3), quod materiam hujus innuens (4)

---

ciendi. 2.° ut est Sacramentum, si nimirum interno dolori accedat confessio peccatorum facta Sacerdoti, et hujus absolutio. 3.° Prout est satisfactio, seu opus poenale, vel sponte susceptum, vel a Confessario injunctum, ad delendam poenam temporalem, quae ordinarie post dimissa quoad culpam peccata remanet, ut aliqualiter Divinae justitiae satisfiat. Haec autem duplex est, privata, et publica, quae et solemnis dicitur, si cum certis sollemnitatibus, et circumstantiis imposita sit. Cui successerunt indulgentiae, cum in desuetudinem illa abiit. Nos, quae ad actus poenitentis spectant Theologis tum speculativis, tum practicis, utpote ad jus divinum pertinentia, simul et regulas ad absolvendum discutiendas relinquimus, qui ex professo, et fuse haec pertractant. Quae vero spartam spectant nostram, nostrum erit enucleare.

(1) *Luc. XIII. c. 3. et Trid. sess. XIV.*

(2) *Joann. XX. 23.*

(3) *Sess. XXIV. de poenit. Sacr. c. 3.*

(4) *Cit. loc.*

inquit: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio* (a).

(a) Cath. Rom. de Sacr. Poenit. num. 131. ita exponit verba allata « neque vero hi actus quasi materia a S. Synodo appellan» tur, quia verae materiae rationem non habeant, sed quia ejus » generis materia non sit, quae extrinsecus adhibentur, ut aqua » in baptismo, chrisma in confirmatione ». Actus nimirum poenitentis, qui ut materia proxima distinguuntur a remota juxta Theologos: et hanc dicunt peccata post baptismum commissa necessariam, scilicet mortalia nondum confessa, et remissa; sufficientem vero venialia, aut mortalia jam remissa; dubia tandem mortalia necessariam, et non sufficientem. *Contritio* juxta Trid. cit. est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, contra Novatores, qui poenitentiam jactabant, propositum novae vitae, non odii veteris continere. Ea semper, ac caritate perfecta sit ex cit. test. et votum includat poenitentiae, certum est peccatorem justificare antequam Sacramentum suscipiat. Hoc et ex prop. 30 damnata ab Urbano VIII const. in *eminenti* ann. 1691 patet. Imperfecta vero est, si concepta sit ex motivo caritatis Dei super omnia, sed in gradu tenui, et remisso et vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex Gehennae ac poenarum metu communiter concipitur: eaque si voluntatem peccandi excludat cum spe veniae peccatorum, ad rei gratiam in Sacramento poenitentiae impetrandam disponit. Concil. Trid. ibid. sess. 6. in decr. *de justif.* c. 6. ubi inchoatam tantum caritatem Dei super omnia requirit in contritione ad Baptismum necessaria.

Confessio integra sit oportet tum quoad numerum, tum quoad speciem omnium scilicet lethalium peccatorum. Ita Trid. ibid. c. 5. Immo circumstantiae etiam *aggravantes*, quae nimirum intra eandem speciem malitiam augent delicti, vel mutant speciem aperiendae sunt, quod ex eod. Trid. colligi potest secundum plurimos Theologos.

Satisfactio quae passim dicitur poenitentia, et quae debet acceptari a poenitente si sit rationabilis; posset enim aliter, si se sentiret nimis gravatum, rogare confessarium ut sibi magis convenientem injungat, cui ex Trid. ipso annuendum cit. sess. 14. c. 8. Ast cum magna circumspectione, et discretione in hoc ab ipso Confessario procedendum. In poenitentia enim ad discrimen Baptismi ordinarie remanet, remissa culpa et poenis in inferis

Formam vero efficiunt verba, quae Sacerdos profert, ut idem cit. Trid. definit.: *non nudum prae-*

---

constitutis, quid satisfaciendum temporalis poenae. Trid. *cit. sess. cap. 12. 13. 14. 15.* Hinc semper Ecclesia dignam pro gravitate delicti satisfactionem commendavit: et prioribus sex saeculis pro occultis peccatis Idololatriae praesertim Moechiae, et omicidii, publica imponebatur satisfactio per canones statuta tertio potissimum saeculo. Unde redigi inceperunt libri poenitentiales inter quos majorem celebritatem obtinuere illi Theodori Cantuariensis circa annum 690. Bedae circa annum 735. Rabani anno 863: et praecipue ille Romanus circa annum 855: qui legi potest apud Morinum de Poenit. Cetera delicta arbitrio Episcopi castigabantur. Posteriora per saecula nemini fere absolutio dabatur (excipe ob periculum imminens persecutionis, mortis, aut schismatis ob longam absolutionis moram) nisi prius poenitentiam peregissent. Mutata dein disciplina sive ob indulgentias, quae saeculo praesertim XII, passim concedebantur; sive quod satisfactionis opera gratiora sint Deo, cum a reconciliato sibi homine praestantur, et ex opere operato effectum producant; sive etiam ob canonum relaxationem licite, ac valide satisfactio injungitur post absolutionem implendam; praecedit enim sic formam hujus Sacramenti, et essentiam perficit ejus materiae, cum proposito poenitentis illam adimplendi. Hinc merito damnatae sunt duriores, et asperiores sententiae illorum, qui Christi lege institutum ferunt hoc Sacramentum ut poenitentia absolutioni praeeat: uti saeculo XV dixerat Petrus Oxomensis a Xisto V damnatus, atque alii similiter damnati saec. XVII ab Alexandro VIII in bullar. et Clemente XI in constit. *Unigenitus*. His summatim expositis Juvenin adire potest quis, comment. de Sacr. dissert. VI de poenit. quaest. 4. cap. 4. art. 1. idem de satisfact. c. 8. a. 1. et seqq. et c. 4. a. 3. ubi praesertim quatuor illae poenitentium classes saepe in Ecclesiasticis monumentis repetitae *Flentium* scilicet *Audientium*, *Substratorum*, et *Consistentium* exponuntur; quaeque solemnes poenitentiae gradus constituebant: et in Ecclesia Orientali videtur post IV saeculum paulatim desiisse, quando Nectarius poenitentiarium sustulit. In Occidentali vero paulatim postea desiere.

Plura alia dein in usum venere, quae primis saeculis erant injuncta poenitentibus: vestis nempe illis propria; jejuniorum certae feriae, et quadragesimae; certae *Carenae*, seu *Carinae* in quibus

stans ministerium pronunciandi, remissa esse peccata, sed actum judicialem exercens: Ego te absolvo etc. quibus quae de Ecclesiae more preces quaedam laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formae essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariae (a). Proferri tamen debet 1.° vocaliter ex volun-

---

praeter panem, salem et aquam omni victu carebant poenitentes; vitae Monachalis assumptio, exilia, peregrinationes, flagellationes etc. hinc celebres evenere *redemptiones* seu *commutationes*, quibus postea successere indulgentiae, seu remissiones. Verum postquam redemptionum facta est existimatio quod ex. gr. unus annus tot percussionibus, aut flagellis, aut psalteriis redimeretur, jam coeperunt paenitentiae centum imo mille annorum exsolvi. Pontifices vero in suis privilegiis manifeste alludent ad poenas illas injunctas in libris poenitentialibus ad annos, ad *Carenas*; seu quadragenas injunctas. Medio XIII saeculo demum videtur in desuetudinem abiisse, cum ab eo tempore DD. passim supponunt pro arbitrio Sacerdotis moderandas esse satisfactiones; Vide Morinum. At nova hac disciplina poenitentiae etiam congruae ac salutares esse debent. Ex. Trid. *sess. 14. cap. 8.*

(a) Forma hujus sacramenti dupliciter concipi potest modo nimirum indicativo *ego te absolvo* etc. quem adhibet Ecclesia latina; et modo deprecativo, *Domine Jesu Christe fili Dei vivi, relaxa remitte, condona peccata* etc. cujusmodi in usu est apud Graecos. Utraque tamen quoad substantiam eadem; ita ut quidquid sit de variis sententiis quibus DD. alii cum Morino defendunt primam sacramenti hujus formam fuisse deprecativam, qua Latini ad saeculum XVI. usque usi sunt; etsi fateantur nunc tantum indicativam esse formam a Florenti., et Trid. propositam. Alii latinorum formam dicunt semper fuisse et nunc esse indicativam. Ipsamque Graecorum formam alii non deprecativam sed indicativam arbitrantur contra Morinum Juvenin aliosque. Quod si forma indicativa valida in Occidente teneatur, et deprecativa disceptetur ab aliquibus Theologis, conciliari utraque sententia posset tenendo sententiam qua statuitur formas Sacramentorum non stricte fuisse a Christo determinatas sicut et materias: unde sicut vetitum non est Ecclesiae conditiones apponere eas ex quarum determinatione valor sacramenti penderet ex. gr. in matrimonio, et in poenitentia;

tate Christi nobis per concilia, et proxim Ecclesiae intimata, et hinc nulla est per litteras data, uti definivit Clemens VIII. 2.° In poenitentem moraliter praesentem, 3.° absolute si poenitens certe, aut probabiliter judicetur dispositus; secus sub conditione de praeterito vel de praesenti saltem ex plurimorum DD. sententia, 4.° cum precibus antecedentibus, et consequentibus, quae in necessitate, et magno populi concursu omitti possunt ex Ritual. Rom.

Necessarium jure divino est hoc Sacramentum lapsis in lethale peccatum post Baptismum; non enim post illud institutum a Christo, remissio peccatorum aliter obtinetur ex Trid. (1). Jus ecclesiasticum similiter ad idem Sacramentum obligat, ita tamen ut hujus praecepti in Lateranen. (2) et Trid. omnes utriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint, ad illud teneantur (a). In lethale peccatum lapsum obligat tantum praeceptum divinum, et per se, non solum in periculo probabili mortis ex. gr. gravi infirmitate, partu difficili, itinere periculis obnoxio, imminenti conflictu etc. sed etiam saepe in vita; est enim Sacramentum, non ad remittenda solum commissa peccata institutum, sed et ad praecavenda futura (3). Obligat per accidens vero cum Sacramenta vel ministrari debeant, vel a fidelibus recipi. Extra hos casus peccator probabiliori sententia sta-

---

eodem pacto Ecclesia Occidentalis potuit saltem a saeculo XIII inclinante, ita indicativam usurpare ut nullum sit sacramentum poenitentiae nisi eo modo conferatur.

(a) Ex D. Thom. *suppl. q. 6. a. 2. ad 3.* Fideles gravi non obnoxii culpae tenentur se solum Sacerdoti praesentare, minime vero ad sacramentalem confessionem.

(1) *Sess. cit. c. 5.*

(2) *Cit. c. 5.*

(3) *Vide Antoan. t. 3. edit Venet. q. 2. de Poenit.*

tim non tenetur ad Sacramentalem confessionem (a); sed intra annum juxta praescriptum Ecclesiae legitimae interpretis praecepti divini quod ad tempus Paschale juxta Theologos reduci potest (b).

Effectus ejusdem Sacramenti, sunt 1.° remissio omnium peccatorum; et quidem post Baptismum commissorum nullo excepto; potestas enim Ecclesiae, quae per illud peccata dimittit, generalis est, uti Catholica doctrina docet ex Christi verbis (1), *quorum remiseritis etc.* nec absolutio est sententia mere declaratoria peccati quod prius remissum sit, ex Trid. Hoc et declarat uti dictum fuit, Sacramenta ex opere operato producere gratiam in recipientibus. *Quaecumque solveritis, erunt soluta.* Et reapse etiam gravissimis sceleribus Apostoli veniam impertiti sunt (c). 2.° Reviviscentia bonorum operum, et meritorum; recordaretur aliter Deus peccatorum post ea dimissa contra

---

(a) Sequuntur hi DD. D. Thomam contra alios post sanctum Bonaventuram (*in 4. dist. 17. qu. 2.*) docentes hoc praeceptum obligare quamprimum opportune potest, moraliter loquendo.

(b) « Differre confessionem usque ad hoc tempus paschale per » se loquendo licitum est; sed per accidens uti dictum fuit potest » fieri illicitum, puta si immineat aliquis articulus, in quo Con- » fessio requiratur. » Ita S. Thom. (*Tom. I. art. 2.*) et Sylvi.

Ex damnata prop. ab Alex. 6. *qui facit confessionem nullam voluntarie satisfacit praecepto Ecclesiae.* Patet non satisfieri illi praecepto, nisi per rectam, et validam confessionem.

(c) Errarunt itaque Montanistae, et Novatiani contrarium tenentes. Et quamvis admittatur, quod plures Theologi negant, nimirum Ecclesiás Occidentis in aliquibus peccatis pacem, et absolutionem etiam in fine denegasse; quia negabat non defectu potestatis, sed severitate disciplinae, ideo a Novatianis distabant. Quod lapso tempore nec unquam admissum fuit, et a veteri severitate discessum est.

(1) *Joann. XX. 23.*

Scripturas, inquit Estius, si mortua non reviviscerent. Hoc et ex Trid. (1): colligitur. 3.° Remissio poenae aeternae; non tamen semper omnis poenae temporalis ex Trid. (2).

CONCLUSIO SECUNDA

De Ministro absolutionis Sacramentalis dissertatur.

Praesbyteri jurisdictione praediti ministri sunt Sacramenti poenitentiae. Apostolis enim eorumque in sacerdotio successoribus dictum fuit: *quaecumque solveritis etc.* quaemadmodum traditio tenuit, et Trid. decrevit (3) (a). Nec Diaconis unquam fuit haec potestas; Cypriani enim textus, quem allegant adversarii, et quo urgente necessitate, ex praxi antiquarum Ecclesiarum Diaconi absolutionem impenderunt, explicari debet vel de precibus, quas Ecclesia pro morientibus fundere solebat, vel de absolutione ab excommunicatione minori, qua innodati poenitentes ex-

---

(a) Nonnisi effrons Volterius laicis jus esse confessiones excipiendi jactavit imo mendax in numerato blateravit, mulieres, et praesertim Abatissas confessiones excepisse. Ignorans ipse, testimonio D. Thomae utitur qui revera non de sacramentali, sed de humili confessione loquitur in Addition: ad 3. part. admonente Jacobo ver. 17. *confitemini alterutrum peccata vestra et orate pro invicem, ut salvemini.* Quare ipse S. Doctor in cit. loc. subdit *et ideo oportet, quod iterum confiteatur Sacerdoti* etc. Impius ergo ille fuit magis, ac Lutherus; hic enim nunquam asseruit revera a confessionibus mulieres fuisse, quamvis hoc jus ad illas etiam traxerit.

(1) *Sess. 6. c. 5.*
(2) *Cit. sess. c. 3.*
(3) *Ibid. c. 10.*

clusi erant a sacrificio Missae ; vel dicendum intelligi de Eucharistia , quam Diaconi iis dispensarunt , qui per exomologesim absente presbytero ipsis Diaconis factam humilitatem et contritionem probassent.

Ad valide tamen absolvendum , potestas in iis etiam requiritur jurisdictionis ; radicative enim sive habitu tantum in sacra ordinatione haec data est Sacerdotibus. Tridentinum comprobat (1). — « Quo» niam igitur natura et ratio judicii illud exposcit , » ut sententia in subditos dumtaxat feratur , persua» sum in Ecclesia Dei fuit , et verissimum esse Syno» dus haec confirmat, nullius momenti absolutionem » esse debere , quam Sacerdos in eum profert , in » quem ordinariam , aut subdelegatam jurisdictio» nem non habet (a) ». A jure inde vel ab homine obtinetur jurisdictio haec (b). A jure et est ordinaria quae reperitur in Summo Pontifice, Episcopis, Parochis , et aliis , quibus officio incumbit cura animarum , et confertur per collationem Pastoralis beneficii , supposito quod obtentum hoc sit modo per canones praescripto : quo modo approbatus censetur pro ea dumtaxat civitate, vel oppido ubi est curata Ecclesia , non autem passim pro tota dioecesi ex Benedicto

---

(a) Nec inde frustra dictum Presbyteris in eorum inauguratione *accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis* etc. Joann. 20. et 22. : his enim verbis apostolis potestas Ordinis data fuit , cum aliis verbis ibid. vers. 21. data jam fuerat potestas jurisdictionis. *Sicut misit me Pater , et ego mitto vos.*

(b) Confertur etiam ab Ecclesia accedente errore communi conjuncto cum titulo colorato ex. gr. illi qui ab Episcopo beneficium Parrochiale obtinuit, sed invalide, quia Simoniace provisum; quod cum sit occultum , ab omnibus ut Parochus habetur. Non autem solum cum errore communi.

(1) *Ibid.*

XIV referente declarationem S. Congr. (1): etsi (2) laudatus Pontifex declaret posse Parochum excipere confessiones sui parochiani etiam in aliena dioecesi; cum leges indulgeant voluntariam jurisdictionem in alieno territorio exercere (a). Ab homine quae est delegata, et ab eo tribuitur, cui jurisdictio ordinaria convenit, quae confertur per facultatem confessiones excipiendi ab Ecclesia conferri solitam seu post Concilium Trid. scilicet per approbationem Episcopi, et quidem illius loci et dioecesis in qua quis vult excipere confessiones (b): hinc approbatus ab uno Episcopo nequit extra dioecesim excipere confessiones ne poenitentis quidem subditi dioecesi, pro qua fuit approbatus, ex eodem Bened. XIV (3) (c).

(a) Errantque proin qui asserunt jurisdictionem requisitam non esse aliud a potestate, quam in ordinatione accipiunt, et consequenter in omnibus reperiri; supponunt ergo nullum omnino consecrari Sacerdotem, qui ad animarum curam et populi fidelis regimen non destinetur; quo nihil magis falsum. Unde Concil. Trid. expresse docet Sacerdotes non posse fidelibus validam absolutionem impendere nisi ab ordinariis approbati fuerant.

(b) Approbatio ante Trid. erat distincta a jurisdictione: illa namque erat sita in authentico testimonio idoneitatis subjecti ad excipiendas confessiones, et conferebatur ab Episcopo, relicta cura Parochis jurisdictionem cui voluissent ex approbatis conferre.

(c) Vide in cit. loc. *ne pro dilatione* ult. de poenitentia et remiss. In locis etiam exemptis intra Dioecesim, ubi Praelatus inferior jurisdictionem et spiritualem et temporalem in Parochos et in Parochianos non habet, Dioecesano Episcopo jus est adprobandi confessarios. Vide Fagan. in *4. omnis* cit. loc. num. 26. et seq.

Suarez docet Episcopum regulares (ac proinde saeculares magis) jam semel examinatos iterum et saepius posse ad aliud examen vocare: nullo enim, ait, jure hoc illi prohibitum: neque in hoc facit injuriam sacerdotibus examinatis, quia illi per approbationem non fue-

(1) *In suis inst. n. 86. §. quae de facult.*

(2) *Ibid.*

(3) *Const. Apostolicum ministerium tom. 4. Bull.*

De regularibus in sequenti concl. ex professo videbitur, quod erit dicendum.

Si semel simpliciter concessa fuit approbatio, non obstante quod pro prima vice de jure examinari possit ab Episcopo etiam Regularis quomodolibet exemptus et literatus ex decr. Clemen. X (a), non potest secundum aliquos denuo vocari ad examen ab eodem Episcopo: excipe si talis fuit probatus a suo Vicario, vel ab Antecessore ex eodem Clem. X. Adhaec nova superveniente causa potest ab Episcopo suspendi, etiam simpliciter approbatus quamvis regularis ex Clement. X (1) et aperte ex Urbano VIII (2) ex. gr. si cum scandalo aut inhoneste sacrum exerceant ministerium; ita tamen ut causam non ipsi confessario suspenso aperire, sed poscenti tantum R. Pontifici rationem reddere teneatur ille.

Quem Episcopus aliusve Praelatus sibi elegerit Confessarium ex privilegio juris, extra suum territorium quoque ratam accipit absolutionem, dummodo electus extra eligentis dioecesim ab Ordinario suo sit approbatus, vel curam ubivis habeat animarum (3). Tandem data generaliter facultas ad audiendas pro-

---

runt consequuti novum aliud jus, nec Episcopus semel examinando, et approbando aliquo titulo se obligavit illud examen semper firmum habere ut nunquam in dubium illud revocet, neque aliud intentet; praesertim, cum moraliter loquendo, possint occasiones occurere ob quas prudenter hoc fiat: saepe enim per alios fit, et recte non fit, et aliquando constat moraliter plures indignos, vel malitia vel negligentia, vel casu inter dignos esse approbatos et ad vitandam infamiam vel scandalum expedit iterum omnes ad examen vocare.

(a) Vide Fagn. in 4. omnis cit. loc. n. 26 et seqq.

(1) *Const. Suprem.* §. *caeterum.*

(2) *Brevi ann. 1639 in gratiam Cardinalis Santovilli Giennensis Episcopi.*

(3) *Fagnan loc. cit. num. 6. et 20.*

miscue saecularium confessiones, nequaquam extenditur ad illam monialium, seu subjectarum Sedi Apostolicae et Regularibus, seu Episcopis; pro his enim specialis Episcopi approbatio requiritur ex Gregorio XV (1) et ex Clemente X (2) ac Bened. XIV (3). Hinc Praelatus Regularis Monialibus sibi subjectis debet costituere Confessarium tam Ordinarium, quam Extraordinarium ab Episcopo pro monialibus approbatum ex Bened. XIV.

CONCLUSIO TERTIA

Quae spectant Regulares in hoc ministerio summatim exponuntur, atque distinguuntur.

Plurima privilegia concessa Regularibus fuerunt a Pontificibus plurimis, et praesertim a Bened. XI. Clemente V Nicolao V; at prae ceteris omnibus a Xisto IV bulla *Regiminis*, quae *Mare magnum* communiter dicitur. Verum quidquid de his sit, certum est Regularibus necessariam esse approbationem Episcopi ad audiendas fidelium confessiones ex Tridentino (4): *Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decrevit tamen Synodus nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias*

---

(1) *Const. Inscrutabili ann. 1621. apud Bonagratin verb. Confessarius.*
(2) *Cit. const. Suprem.*
(3) *Const. Pastoralis curae tom. 11. Bull.*
(4) *Sess. 25 de Reform.*

idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.

Nos non praeterit, ex regula juris in Sexto: *Per constitutionem posteriorem non derogari priori, nisi prioris in posterioribus fiat expressa mentio* aliquos DD. inferre, Trid. decretum ex eo quod non recensuit privilegia Regularibus concessa a Clemente V in Concil. Viennensi, Clementina *Dudum* illis non derogasse; hinc ea etiam post Trid. ipsum integra remansisse. Sed aberrare illos patet non levibus momentis; nam allata juris regula valet in constitutionibus Pontificum; nullius vero roboris est decretis Conciliorum oecumenicorum; nam in illis Pontificum valet ob id, *quod* (ita ibidem dicitur) *Summi Pontifices locorum specialium, et personarum singularium constitutiones: et statuta possint probabiliter ignorare.* At hoc de Concilio generali, cui adsunt Episcopi, et Doctores ex omnibus orbis Christiani partibus non exclusis Regularibus, non potest dici. Esto tamen quod recenseri debuissent privilegia Regularium, nonne Trid. allatis verbis expresse meminit personarum quibus data fuerunt privilegia, quae abrogat? Denique axioma quod afferunt, non valet pro privilegiis; cujusmodi sunt concessiones mendicantibus factae sine approbatione speciali, advertit Juvenin, sed tantum in consuetudinibus, quae cum sint communes, antiquae, et probatae tenent locum juris communis.

Nescio autem, quid respondeant adversarii, si decreta Pontificum expendere parumper velint, quoad hoc argumentum: etenim Pius IV non solum decreta Trid. confirmavit, sed in constitutione *In Principis Apostolorum*, ipso jure revocata habet, cessata, et reducta ad terminos Trid. *omnia, et singula*

privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoria indulta, Mare magnum, et aliae gratiae in his omnibus, et singulis, in quibus illa statutis, et decretis Trid. contrariantur etc.

Ita et Urbanus VIII de Societatis Jesu Regularibus et alii PP. quibus et Patres Gallicani in Concilis generalibus ann. 1625, et 35, et 45 consonat.

Ex his collige 1.° Regulares examen Episcopi subire tenentur, et expresse Trid. ipsum (1) definivit. 2.° Regulares jam semel examinatos, uti dictum fuit cum Suarez, iterum, et saepius ab Episcopo posse ad aliud vocari examen. 3.° Nec approbati in una Dioecesi censeri approbatos in aliis etiam: ex prop. damnata ab Alexand. VII *falsam salutis* etc. 4.° etiam ad tempus dari approbationes ab Episcopis possunt Regularibus; quod evincitur etiam ex definitionibus Conciliorum, ex quibus cum constet facultatem limitibus circumscriptam celebrandi missam privatis in Ecclesiis, et Oratoriis, recte Regularibus datam Episcopis; a fortiori pro administratione Sacramenti poenitentiae eodem jure illos uti fas est. Hoc et probatur ex decretis Pontificum praesertim Alexandri VIII (2), qui praescripsit hanc propositionem Mendicantium Andegavensium « Ubi concilium Trid. receptum non est, » non possunt Episcopi restringere, vel limitare ap» probationes, quas Regularibus concedunt ad audien» das confessiones, neque illas ulla ex causa revoca» re ». Ipsa Gallicana comitia antea prodita haec comprobant.

Hoc unum juvat heic advertere, quoad casus reser-

(1) *Cit. Sess. cap. 15.*
(2) *Brev. ann. 1639.*

vatos, de quibus seq. concl. nimirum Regulares etiam mendicantes indigere speciali licentia Ordinariorum, ut absolvant a casibus his specialiter reservatis. Hoc et ex Conciliis Viennensi colligitur, et ex Trid. (1); atque statutum jam fuit ab Urbano VIII, Clemente X, et Alexand. VIII, qui damnavit hanc prop. *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopo reservatis non obtenta ad id Episcoporum facultate*. A casibus vero S. S. reservatis possunt absolvere quoscumque poenitentes sive saeculares, sive regulares, et quidem sine ullo onere ex diversis privilegiis, et const. Pauli III *Inter Cunctas*. Excipe 1.° Casus clare, vel dubie in Bulla coenae, ubi viget contentos a qua tamen possunt ii qui peculiarem habuerunt facultatem absolvere. 2.° Falso denunciantes Confessarios de sollicitatione ad turpia ex Bened. XIV. 3.° Casum, quo ipsemet Confessarius esset complex criminis contra VI praeceptum commissi cum suo poenitente; utpote quem nequit absolvere a peccato secum commisso. 4.° Sex sequ: casus 1.° violationem immunitatis Ecclesiasticae, 2.° violationem clausurae monialium ad finem malum, 3.° injectionem manus violentae in clericum, 4.° provocationem, et pugnam in duello, 5.° simoniam realem scienter contractam, 6.° simoniam confidentialem, a quibus Mendicantes intra Italiam et extra urbem nequeunt absolvere saeculares ex decreto Clementis VIII (2).

Quid ergo de his Doctoribus, qui tenent adhuc ex privilegiis illis Regulares jurisdictionem habere ad audiendas confessiones; nec nisi ut conditio sine qua, requiri Episcoporum approbationem? facile colligit quis

---

(1) *Cit. Sess. 14. cap. 7.*
(2) *Tom. 6. Bullar. Capuc.*

ex dictis antea. Hoc nobis tantum movet, quod hanc tenens sententiam nuperus Auctor inferre ausit ex ea, Regularem ad confessiones ab Episcopo approbatum suo superiore tamen contradicente nulliter et invalide administrare Sacramentum poenitentiae.

CONCLUSIO QUARTA

De potestate reservandi peccata, disseritur.

Reservatio casuum est limitatio quaedam, seu restrictio jurisdictionis circa quaedam peccata, quae sibi legitimus superior absolvenda reservat. Huic enim ex antea dictis competit coercere finibus angustioribus; vel latioribus explicare jurisdictionem, quam largitur. Competit ergo Summo Pontifici, Episcopis quodammodo, et Praelatis inferioribus. Hoc exigit ipsum bonum regimen, et merito graviora quaedam crimina illis reservantur, ut difficultate absolutionis cohiberentur, et gravioribus peritiores medici remedium adhiberent (a). Revera dari potestatem hanc in Ecclesia definitum est a Trid. (1) (b). Et quoad

---

(a) In articulo mortis cuivis Sacerdoti etiam degradato, haeretico, non approbato etc. ex Trid. sess. cit. 19. cap. 7. permissum est absolvere sine ullo onere a reservatis, quia cessat eo in casu omnis reservationis ratio.

(b) Eybelius in libro *Quid est Papa* virus suos in S. Sedem etiam quod ad casuum reservationem evomit. Quasi non posset Pontifex supremo jure in Ecclesia universa, quod Episcopus in sua Ecclesia. Vide, quae superiori volumine de hoc argumento dictum fuit lib. 2. c. 14. concl. VI. pag. 284. Ceterum praeter Trid. cit. loc. ex quo error illius facile colligitur, Pius VI litteris ann. 1786 editis die 35 novembr. ausum istud Eybelii damnavit. Nec tamen facile dixeris cum Van-Espen Cavallari, aliisque, graviora

(1) *Cit. Sess. 14. c. 6.*

Pontificem usus ipse comprobavit, quo praecipue sibi reservata habentur; item nonnulla in corpore juris clausa; alia recentioribus Bullis, et Extravagantibus indicta. Horum praecipue numeramus scilicet: 1.° Violationem immunitatis ecclesiasticae ex decr. Clement. VIII: neque regulares habentes alias facultates in reservata possunt ab ea absolutionem dare *intra Italiam*. 2.° Violationem clausurae monialium ad malum finem ex decr. Clem. VIII. 3.° Simoniam realem, et confidentialem ex Extravag. Pauli II, et constit. S. Pii V (a). 4.° Provocationem ad duellum secuta pugna ex Tridentino et Benedicto XIV (b). 5.° Percussionem gravem clerici suadente Diabolo facta (1). 6.° Subornationem in electionibus ex S. Pio V, et Clemen-

---

crimina Sedi Apostolicae tantum reservari coepisse post saeculum X, si perpenderis Rom. Pontifices jam VI saeculo quosdam sibi casus suo sibi jure reservare solitos fuisse, uti Greg. Magn. Epist. 7. lib. 3. col. 63. Tom. 2. opp. edit. Paris. Item S. Leo epist. 2. ad Anastat. Thessalonicen: c. 5. et ult. Adhaec homicidas ante ann. nongentos circiter, observat Martenius de antiq. Eccl. rit. libr. 1. cap. 6. art. 6. veniae impetrandae causa ad Summum Pontificem missos fuisse. Demum ex antiqua Ecclesiae disciplina de publica poenitentia, qua reconciliatio ad Episcopum pertinebat, quod ea obsolescente Summi Pontifices, et Episcopi potestatem absolvendi a gravioribus criminibus quibusdam extra mortis periculum sibi reservarunt, sicut etiam majores sedes aliae, jam inde a saec. V ostendit Synesius Epist. 67.

(a) Absolvere simoniacum occultum a censuris potest Episcopus: dispensare in poena nullitatis, et inhabilitatis potest solus Papa: excipe simoniacum ex ignorantia invincibili, in quo casu potest recurri ad Episcopum. Ex Gloss. in c. *si alicujus* 59 de electione etc. ad verba *illa vice*.

(b) Patrini subsidium, vel favorem iisdem praebentes, spectatores ex proposito, et industria, tum Reges, duces, Princeps ceterique Domini temporales locum ad Monomachiam in suis locis concedentes eandem subeunt poenam.

(1) *Ex can. Si quis 2. cap. 17. qu. 4. 6.*

te VIII. 7.° Administrationem Eucharistiae per modum Viatici, vel in Paschate absque licentia, saltem interpretativa Parochorum. 8.° Haeresim formalem externam, sive occultam, sive publicam ex Trid. 9.° Lectionem librorum prohibitorum et detentionem haeresim continentium, vel de Religione ex professo tractantium, vi Bullae *Coenae* ubi haec viget. 10.° Absolutionem complicis a peccato contra VI praeceptum impertitam ab ipso Confessario complice, etiam sub praetextu cujuslibet privilegii extra mortis periculum, in quo alius, saltem simplex sacerdos non esset, aut alius vocari non posset sine periculo scipsum infamandi, aliisque malam suspicionem inserendi ex Bened. XIV. 11.° Calumniam impositam innocentibus confessariis de sollicitatione ad turpia, eos ad judices Ecclesiasticos falso deferentes ex Bened. XIV.

Quoad Episcopum jure communi, vel consuetudine reservantur 1.° levis percussio clerici respective ad gravem, et enormem (1). 2.° Procuratio abortus foetus animati, a Greg. XIV (a). 3.° Omnes casus Papales occulti, exceptis ad summum Bullae coenae ubi viget ex Trid. (2). 4.° Omnes casus Papales licet notorii per respectum ad laborantes impedimento aliquo canonico adeundi personaliter Sedem Apostolicam (3).

In jure speciali communiter reservata habentur 1.° incestus in primo, et secundo gradu consanguineitatis

---

(a) Quoad excommunicationem reservata est Episcopo, et alii specialem habenti facultatem ab eodem in reservata; sed in foro conscientiae tantum; super irregularitate et inhabilitate autem ex procuratione abortus foetus animati dispensare directe est solius Papae: indirecte est etiam Episcopi.

(1) *Ex cap. Pervenit 17. de sent. excom. 2.*

(2) *Sess. 24. de Reform. cap. 6.*

(3) *Ex cap. de caetero 11. de sent.*

et affinitatis 2.° homicidium volontarium actu externo perpatratum 3.° blasphemia haereticalis, Bestialitas, Sodomia, quae si reservetur simpliciter, intelligi debet de perfecta sodomia 4.° injectio manuum violenta in Parentes, vel Clericos 5.° Abortus quocumque modo procuratus 6.° sagrilegia, incantationes, divinationes etc. (a).

Praelati inferiores possunt solum sibi reservare peccata, et casus expressos in decr. Clement. VIII omnes vel solum aliquos eorum nimirum 1.° Veneficia 2.° Incantationes 3.° Apostasia a Religione habitu dimisso,

(a) Casus sive Sedi Apostolicae reservatos sive alios promiscue non reservatos, quibus de jure adnexa est excommunicatio major, nequeunt Episcopi sibi reservare ex decr. S. Congr. ann. 1602.

Ast reservatorum autem requisita sunt 1. ut peccatum sit *mortale*, licet enim solum a Papa possint etiam venialia reservari; attamen non reservantur; imo nec reservari possunt ab inferioribus Papae; quod videtur insinuatum a Trid. cit. sess. 14. c. 7. cum exigat, ut atrociora, et difficiliora reserventur; et ista a S. Congr. decisum ann. 1602 refert Ben. XIV. S. D. *l. 5. cap. 5.* unde inadvertentia, indeliberatio, parvitas materiae etc. quae a mortali excusant, etiam a reservatione eximunt. 2. *Externum* secus quamvis licite possit reservari, utile ad gubernationem Ecclesiae non est ex Bened. XIV loc. mox citato. 3. *Certum* excludens omne dubium sive juris, sive facti, quamvis aliqui non ita sentiant de dubio juris. 4. *Consummatum* opere externo, nisi ipsa attentatio expresse reservetur. 5. *Commissum cum advertentia* ad poenam excommunicationis loquendo de reservatis Papae ex Bened. XIV ibid. *l. 9. cap. 4.*

Insuper quae poenalis est reservatio, seu cui annexa est censura, non incurritur ab ignorante; non enim adest contumacia. Ad haec peccatum reservatum aliqua Dioecesi, potest absolvi in alia, ubi non est reservatum; nisi ut DD. advertunt, in illam poenitens transierit in fraudem reservationis.

Denique in reservata habens ordinariam potestatem potest reservationem tollere etiam extra Sacramentum, qui vero tantum delegatam habet, nonnisi in sacro Tribunali, nisi reservatio ratione excommunicationis peccato annexae, quae etiam extra Sacramentum tolli potest, oriretur.

vel retento; 4.° nocturna, et furtiva egressio ex Monasterio etiam animo non apostatandi; 5.° proprietas contra votum paupertatis; 6.° lapsus carnis opere consumatus; 7.° Occisio aut vulneratio; 8.° malitiosum impedimentum, aut retardatio; aperitio litterarum Superioris ad inferiores et vicissim; 9.° juramentum falsum in judicio regulari, seu legitimo; 10.° procuratio auxilium, seu consilium ad abortum post foetum animatum; 11.° falsificatio manus, aut sigilli officialium; 12.° furtum de rebus Monasterii, sive conventus. Aliquibus tamen circumstantiis haec omnia sint obnoxia oportet, quas videre in cit. decr. ut reserventur.

De sigillo confessionis, absolutione complicis, et sollicitatione ne longius quam par sit abire videamur; vide apud Theologos morales, qui fuse pertractant.

CONCLUSIO QUINTA

Subjectum Confessionis Sacramentalis declaratur.

Spectat hoc argumentum baptizatos, qui ut pluribus circumstantiis obnoxii, plura offerunt interpretanda nimirum, si absentes sint, si in ultima vitae periodo verbo aut actu absolutionem petant, vel nec actu nec voce Sacramentum exposcunt etc. Sed haec pertractant Theologi. Nobis sat erit heic aliqua dumtaxat adjicere de obligatione, quae baptizatos stringit ad illam. Re quidem vera ex jure, ac praecepto divino tenentur omnes adulti conscientia gravati peccatis mortalibus ex Trid. (1) ut haereticos anathematizantes

(1) *Sess. cit. cap. 6.*

contrarium asserentes (a). Ex jure Ecclesiastico relato in Concil. tum Latheranensi IV, tum Trid. *Omnes utriusque sexus fideles postquam ad annos discretionis pervenerint*, uti dictum fuit. Quatenus ita, tenentur semel in anno: adeoque liberum est quavis anni parte confiteri, quamvis consueverint fideles in Paschate, occasione Paschalis communionis confiteri. Debet tamen vi decretalis hujus fieri proprio Sacerdoti, nimirum Parocho sine exclusione Papae, aut Episcopi, ut ex damnatis prop. ab Alex. VII ann. 1655, et a Joanne XXII extravag. *Vas electionis* (1). Sed potest fieri delegatis etiam ab illis, atque adeo etiam Regularibus simpliciter, et sine limitatione approbatis ex decr. Clementis X (2). Secus si approbatio facta sit cum restrictione, et exclusione temporis Paschalis. Debet denique denuo confiteri, qui annuam confessionem fecit culpabiliter nullam, ex prop. damnata n. 14. ab Alexandr. VII. Hinc ex decr. cit. *Omnis utriusque etc.* praecepto annuae confessionis culpabiliter non satisfaciens, vivens ab ingressu Ecclesiae arcendus, et moriens christiana sepultura privandus est interveniente Superioris sententia.

(a) Per se tamen non obligat statim sub gravi, aut semper ac recordamur peccatorum; obligat vero saepius in vita praeceptum poenitentiae, et praecipue in articulo seu probabili periculo mortis. Per accidens saepius potest obligare ex. gr. ob Eucharistiam accipiendam, celebrandam missam, ratione juramenti, voti, etc.

(1) *De haeretico.*

(2) *Const. Superna.*

MANTISSA

De Indulgentiis, et Jubilaeo.

Indulgentia est relaxatio, seu remissio poenae temporalis pro peccatis actualibus post baptismum commissis adhuc debitae, extra Sacramentum facta per solutionem ex thesauro Ecclesiae desumptam. Ita inter alios Layman (1) (a). Ex his collige 1.° per indulgentias non remitti reatum culpae, nec venialis quidem, sed poenae temporalis tantum ex opere operato: ex Bened. XIV (2); 2.° distingui illas a Sacramento poenitentiae, et satisfactione. Est autem alia plenaria, seu totalis, per quam tota paena temporalis debita pro peccatis quoad culpam remissis tollitur, cujus generis prima omnium concessa fuit ab Urbano II ann. 1096 iis, qui Religionis causa ad recuperandam terram sanctam militaturi se contulissent ex Bened. XIV (3). Alia non plenaria, seu partialis, quae solum tollit partem poenae. Haec subdividitur in determinatam, et indeterminatam: illa conceditur remissio poenae in quantitate determinata ex. gr. 20, 40 dierum, 10, 100 etc. annorum (b). Indeterminata remittitur tertia, vel quarta pars poenarum debitarum.

(a) Thesaurus Ecclesiae praecipue sunt opera Christi, qua satisfactoria infiniti valoris; dein B. Virginis, et aliorum Sanctorum, quibus ipsi ad satisfaciendum pro suis peccatis non indigerent Extravg. Comm. c. *Unigenitus* 2. de poenitentiis, et remissis.

(b) Si indulgentia sit 40 dierum vocatur *quadragena*, qua deletur poenae tantum, quantum fuisset exsolutum per poenitentiam 40 dierum secundum antiquos canones Poenitentiales continuatum; vel *carena* et deletur tantum quantum per jejunium in solo pane

(1) *L. 5. tract. 7. cap. 1. num. 1.*

(2) *S. D. l. 13. cap. 18.*

(3) *Cit. loc.*

Praeterea indulgentiae vel sunt pro vivis, quae conceduntur per modum absolutionis, in eos enim Papa habet jurisdictionem; vel pro defunctis et conceduntur per modum suffragii, seu solutionis h. e. satisfactiones Christi exibendo Divinae justitiae quasi solutionem pretii, adjunctis precibus, ut eas pro debito poenae a defunctis adhuc sustinendae misericorditer acceptare dignetur (a). Adhaec dividitur in *personalem*, quae per se, et diserte personis conceditur sine determinatione ad locum, vel *localem* quae certo loco est affixa ex. gr. Ecclesiae altari etc. vel *realem* quae certae adhaeret rei puta Rosario etc. Demum in *perpetuam*, et *temporalem* prout vel in perpetuum, vel tantum aliquo tempore etc. Indulgentias ex plenitudine potestatis quascumque etiam pro defunctis Sum-

---

et aqua per 40 dies item continuatum. *Septena* dicitur, per quam remittitur poena, quae deleta fuisset per jejunium septem annorum etiam juxta canones indicta. Siquidem sensus concessionis indulgentiarum determinatarum est, quod per illas tanta poena deleatur, quanta fuisset deleta per opera poenitentiae secundum dictos canones per illud tempus peracta, per quae longe erat amplior poena; ex. gr. per jejunium 7 annos continuatum; consequenter per indulgentias 7 annorum deletur, quod per 7 annos in Purgatorio deberetur, cum operá viatoris in gratia constituti sint Deo longe gratiora, quam in Purgatorio ob defectum libertatis. Erroneam inde dices opinionem asserentium per indulgentias 40 100 dierum 1000 annorum etc. deleri tantum poenae quantum in purgatorio per hujusmodi tempus debetur.

(a) Non omnis indulgentia defunctis prodest ex D. Thom. in Supplem. *qu. 71. art. 10*; sed solum illa, quae conceditur cum potestate applicandi eam Defunctis; quaeque cum primario, ac directe concedatur vivis, si quis sibi applicet, nequit applicare Defunctis. Haéc vero quae defunctis applicatur, etsi juxta aliquos effectum suum habet ex libertate et misericordia Dei, ideoque non infallibiliter; juxta communiorem cum S. Thoma, sive pro vivis, sive pro Defunctis concessa infallibiliter prodest ex illo Evangelii, *Quodcumque ligaveritis super terram* etc.

mus Pontifex largiri potest, et ii quibus Papa concedit ex justa tamen, et rationabili causa (a). Ita loco cit. et ex illo Matthaei (1) *Tibi dabo claves regni coelorum, quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.*

Ex his quia potestas eadem ligandi, et solvendi tradita Apostolis a Christo subordinata fuit Divo Petro (2) recte Rom. Pontifices ipsius exercendae modum constituerunt. Omnibus ergo quibus concessum est, non exclusis ipsis Episcopis modus est, nimirum Cardinalibus in Ecclesiis sui tituli ad 100 dies, et hoc jure potius consuetudinario; Legatis S. Sedis quantum ex litteris suae Legationis: communiter 100 dierum dare possunt indulgentias. Episcopi in sua dioecesi unius anni in die Dedicationis, in Anniversario 40 dierum, sicut et ceteris temporibus: solent praeterea Episcopi cum primam agunt Synodum, plenariam indulgentiam impetrare a S. Sede illis, qui una ex tribus diebus cathedralem Ecclesiam visitaverint; cum sacrae Missiones habentur, et aliis in circumstantiis ex Bened. XIV (3). Presbyteris imo inferioribus clericis jure delegato, et extra ordinem potestas datur a Pontifice, ut largiri possint indulgentias.

Has denique, ut quis lucretur juxta DD. requiritur, ut sit baptizatus, non excommunicatus excom-

---

(a) Solum namque est dispensator Papa Thesauri Ecclesiae, et dispensatori non est concessum gratias sine justa causa elargiri, alias prodigus esset. Invalide ergo sine ea essent. Justa causa debet esse specialis puta, exaltatio S. Ecclesiae, haeresum extirpatio per preces aliave opera pia obtinenda, vitae morumque emendatio, excitatio ad devotionem et virtutem etc.

(1) *Cap. 16.*

(2) *Vide dicta superiore volum. ubi de potest. et juribus Rom. Pontif. egimus.*

(3) *L. S. D. l. 5. cap. 1.*

municatione majori, in gratia sanctificante constitutus tempore consecutionis; nam juxta probabiliorem sufficit, modo ultimum opus in statu gratiae peragatur; praeterea ut omnia praescripta impleantur, alias non servatur forma, nec conditio, sub qua concessae sunt. Denique saltem intentio habitualis juxta probabilem sententiam, aut interpretativa, nisi alia expressa requiratur a concedente.

Jubilaeum praeter plenarias indulgentias hoc habet, quod concedat nimirum facultatem eligendi quemcumque confessarium ex approbatis ab Episcopo, cui Confessario indulgetur insuper potestas absolvendi ab omnibus peccatis, censuris, et casibus alias Episcopo, imo Pontifici reservatis, exceptis illis Bullae coenae, ubi viget; item licentia commutandi vota: licet excipi solent quinque reservata Summo Pontifici, nimirum castitatis perfectae, Religionis, et trium peregrinationum. Solet ex causis gravissimis concedi a S. Sede plerumque ad duas hebdomadas post promulgationem factam (1) (a).

(a) Est et Jubilaeum, quod dicitur annus gratiae, visitantibus limina Apostolorum Petri, et Pauli concessus cum plenissima peccatorum remissione, et poenae pro illis debitae, ac aliis favoribus, olim a Bonifacio VIII Extravag. 1 *de poenitentiis* etc. inter comm. et concedebatur centesimo quoque anno: inde Clem. VI in extravag. 2 eod. concessit singulis 50 annis: demum Paulus II, et postea Sistus IV in extravag. 4. *eod.* reduxit ad brevius tempus, nempe ad 25 annos. Et sic hodie servatur, ita ut recurrente quovis anno 25 a primis vesperis Nativitatis Christi usque ad vesperas ejusdem festi anni sequentis per totum annum Romae celebratur, et interim pro illo eodem anno omnes indulgentiae plenariae manent suspensae per totum orbem; excipitur regulariter Communio Generalis in solatium animarum purgantium; et juxta communem reliquae indulgentiae pro Defunctis. Definiri autem Jubilaeum potest, indulgentia plenaria a Summo Pontifice concessa visitantibus certas Ecclesias, et certa opera peragentibus cum facultate absolvendi etc.

(1) *Vide plura ad hoc spectantia apud Layman lib. 5. t. 7. c. 8.*

CAPUT X.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CONCLUSIO PRIMA

Essentialia hujus Sacramenti extricantur et effectus ejus.

Sacramentum a Christo institutum ad conferendam aegroto de vita periclitanti salutem animae, vel etiam corporis per unctionem olei benedicti et orationem Sacerdotis, definitur *extrema Unctio* (1): sic dictum adaequatis verbis; eo quod inter alias ultima est unctio: in Eucologiis graecorum *oleum sanctum*, *Sacramentum consummativum* seu *complementum poenitentiae* a Trid., quod definivit, verum esse Sacramentum novae legis (2). Institutum inde a Christo Domino; apud S. Marcum insinuatum reperitur (a); per Jacobum autem Apostolum ac Domini fratrem fidelibus promulgatum et commendatum his verbis (3): *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae et orent super eum, ungentes oleo eum in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et alle-*

(a) In Ecclesiae primordiis Apostoli nondum sacerdotes, aegres nec baptizatos nec credentes 'oleo ungebant; quod in symbolum gaudii et spei apud Haebreos adhiberi solebat juxta illud Marci VI. v. 2. *Et exeuntes praedicabant, ut poenitentiam agerent et daemonia multa ejiciebant, et ungebant oleo multos aegros, et sanabant.* Ex his ergo patet adumbrari tantum ab eis Sacramentum hoc.

(1) *S. Thom. in 4. dist. 23. art. 1.*

(2) *Sess. 14. cap. 1.*

(3) *Epist. V. 1.*

viabit eum Dominus : et si in peccatis sit remittentur ei (a).

Materia constat proin *remota*, nimirum oleo sacro ex olivis expresso, quod utpote *lenitivum* Sacramenti virtutem exprimit in lenienda infirmi tristitia. Hanc et Eugenius IV in instruct. pro Armenis definivit: postea Tridentina Synodus comprobavit (1). Jure tamen saltem ecclesiastico benedictum sit oportet (b). Adde quod oleo consecrato inungi oporteat

---

(a) Probabilius post resurrectionem institutum; quo tempore Christus Dominus poenitentiae Sacramentum instituit uti jam diximus cap. priori, et cujus hoc perfectio, ac complementum est.

(b) Apud Graecos a praesbyteris benedicitur dum administrant hoc Sacramentum. Nam quamvis ab Episcopis quotannis feria V in coena Domini sicut in Ecclesia Latina sollemni ritu oleum consecretur; cuncti tamen accessuri ad Sacram synaxim in peccatorum expiationem se ungendos offerunt, et Episcopus ipse primus omnium oeconomi manu unctionem suscipit quam deinde omnes alii sequuntur, et ab Episcopo unguntur ut advertit Goar in Eucologio; consummata inde materia eodem die opus fuit ut saltem tacite a Pontificibus data sit haec facultas Graecis Praesbyteris benedicendi oleum, dum illud administrant. Disputant autem DD. utrum requiratur benedictio ad valorem Sacramenti, et num saltem ut materia dubia, ubi non alio modo possit subveniri infirmo adhiberi possit oleum non benedictum. Nos ut quid teneri probabilius innotescat, tria statui censemus, doctrina innixi omnium maxime Benedicti XIV. nimirum: 1.° quandam requiri consecrationem, ut oleum apta et sufficiens sit materia. 2.° Nunquam in Ecclesia Latina unctos fuisse infirmos oleo ab Episcopo non consecrato. 3.° Ad validitatem materiae sufficere oleum a simplici Sacerdote consecratum. Hac praesenti disciplina indubium est, quod singulis annis debet renovari adeo, ut extra necessitatem oleo prioris anni quis uti non possit, quin peccati gravis obnoxius sit ex Benedicto XIV. Inst. Eccl. 80 §. *Nec quicquam* qui tamen subdit quod deficiente oleo sacro, potest commisceri ei etiam saepius, successive tamen aliud non consecratum, dummodo quantitas residua olei consacrati sit major et supersit quan-

(1) *De Extrem. Unct. Vide etiam Cateh. Rom. et D. Thom. in 4. art. dist. 25. q. 72. a. 3.*

infirmum ex cit. sacra Scriptura; quae unctio materia *proxima* a Theologis dicitur (a). Sed quia nihil de partibus ungendis edicit, hinc varia fuit super ea re Ecclesiae disciplina, quae nec inter Latinos, nec Graecos inter determinavit, ubinam unctio esset facienda (b). Moribus praesentibus Latinorum, unguntur quinque organa sensuum, praeterea renes et pedes; sed renum unctio in foeminis propter honestatem semper omittitur. Omittitur in maribus etiam si prae infirmitate commode moveri non possunt. Eugenius IV saeculo XV, ad revocandam unitatem rituum, in variis Ecclesiis, hunc ungendi modum decrevit. Saeculo XVII fuit in Ecclesia Decretum comprobatum hac eadem praecisione, uti est in Rit. Pauli V.

---

titas olei non consecrati, quod effunditur. Demum oleum sacrum, addit ibidem §. *Cum* etc., accipi debet etiam a Regularibus ab Episcopo Dioecesano.

(a) Post D. Thomam unctionem quinque sensuum graves docent Theologi essentialiter requiri, quamvis Auctor *supp. p. 3. q. 32. a. 6.* sic se exprimit. *Illa unctio ab omnibus observatur, quae fit ad quinque sensus quasi de necessitate Sacramenti.* E contra Suarez *dist. 40. sect. 3.* Natalis Alexandr. Juvenin. alique plures mordicus tenuerunt unicam ad valorem Sacramenti sufficere unctionem. Nos semper laudat. Bened. XIV. sequentes, adfirmamus necessitate urgente, unica opus esse unctione eo quo fieri meliori potest modo, sub una forma exprimente omnes corporis sensus, et consultius in hoc casu est ut unctio fiat in capite, cessante vero illa necessitate vel denuo omnes repetendae, vel supplendae omissae, praesertim si infirmus aliud Sacramentum suscipere non posset. Demum ex D. Thom. in 4. *dist. 23. q. 2. a. 3.* mutilati inungi debent, quanto propinquius fieri potest ad partes illas, in quibus unctio fieri debuerit.

(b) Olim una pars corporis puta caput inungi consuevisse videtur. Placuit deinde plures inungere partes ac praeter caeteras illam partem morbo affectam. Graeci sacerdotes ungunt aegri frontem, mentum, ambas genas postea pectus, tum utramque manum, postremo pedes. Unde signum crucis exprimitur.

Formula verborum, quae comitatur olearem istam unctionem, et eandem Sacramentalem facit (a), Graeci semper usi sunt, atque utuntur mere deprecativa. Apud latinos obtinuit quondam indicativa. *Ungo te oleo etc.* aut indicativa simul et deprecativa. A multis tamen saeculis, et fortasse a saeculo XII deprecativam adhibitam exhibent antiquiora Ritualia: *Per istam sanctam unctionem, et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum auditum etc.* utpote verbis Jacobi, quibus unctio ista praescribitur magis conveniens, nec inde mutanda aut contemnenda manet, nam Eugenius IV et Tridentini PP. his verbis contineri formam extremae unctionis docent (b).

Solos Presbyteros esse ministros hujus Sacramenti ipse Jacobus indicat: nec ex commissione Pontificis, non presbyter valide administrat. Hujus Apostoli pluralem locutionem spectans disciplina antiqua, plures

(a) Omnes fatentur Theologi formam hujus Sacramenti in *specie* non fuisse a Christo institutum. Hinc utrum deprecativa, an indicativa ad valorem ejus requiratur inter Theologos non convenit. Pro deprecativa steterunt D. Thomas *dist. 23. a. 1. q. 4.* Thomass., aliique plures: Argumentum ex verbis Apostoli Jacobi deducunt. Negant vero alii plurimi inter quos Albertus M. Estius, Juenin. Tournely. etc. eo quod ex verbis ejusdem Jacobi effectus Sacramenti ab oratione Sacerdotis pendet.

(b) Salvo quod si administretur a pluribus non eietur factum: imo si in necessitate plures adhibeantur Sacerdotes (si minister inter ungendum deficeret, vel timeretur infirmus decessurus antequam unctio perficiatur etc.) ita ut singuli diversos ungerent sensus et adoptatam proferrent formam, licitum habetur. Ita Bened. XIV citato loco *c. 4. n. 1.* Demum deficiente omni alio sacerdote ex. gr. Parochus in montanis residens nullum in vicinia habens Sacerdotem, et repentino morbo correptus, posset sibimetipsi ministrare extremam unctionem, ex Clericato de extrema Unctione decis. 75. N.° 4. et seqq.: etsi plures id negent.

consuevit presbyteros adhibere ad saeculum XII usque. Aliquando tamen unius ministerium ratum habuit. Vide Bened. XIV (1). Ast ab uno dumtaxat, ex disciplina vigenti debet administrari sub gravi. Apud Graecos adhuc septem sacerdotes administrant simul vel saltem tres si septem praesto non sunt ex laudato Bened. XIV cit. loc. *Quia hoc Sacramentum* ait D. Thomas *perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, et ut orationibus Ecclesiae ad effectus hujus Sacramenti coadjuvent.. si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute ipsius Ecclesiae, cujus minister extitit, cujus personam gerit.* Igitur sapienter Ecclesia et pro Graecis, et pro Latinis se gessit, eo vel magis quod minister etiamsi unus, unam institutoris Christi personam repraesentat (a).

Non omnis Sacerdos licite etiam extremam ministrat unctionem, sed Parochus jure ordinario, qui ex justitia tenetur suis fidelibus praesertim petentibus etiam peste infectis administrare illam ex Benedicto XIV (2). At aliqui limitant hanc obligationem pro casu, quo infirmi Sacramenta poenitentiae et Viatici non susceperint. Praeterea ab eo deputatur sive dele-

---

(a) Hunc retinere morem graecis non impedit Ecclesia Catholica. Ita et Benedict. XIV. const: *Etsi Pastoralis* 57. n. 5. t. 1. Bullar. *Nihil refert utrum eadem extrema Unctio per unum, vel plures presbyteros fiat, ubi ejusmodi viget consuetudo, dummodo credant, et asserant illud sacramentum servata debita materia et forma ab uno presbytero valide et licite confici.* Et subdit idem *Sacerdos materiam adhibere, formamque pronunciare respective debet: ac propterea qui ungit idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, et alius formam pronunciet.*

(1) *S. D. lib. 8. cap. 7. num. 1. 2. 5. et Clem. de privilegiis.*

(2) *S. D. lib. 8. c. 7. n. 1. 2. 5. et Clement. unic. de privileg.*

gatur quispiam Sacerdos. Quod si audeat sine speciali licentia Religiosus ministrare clerico, vel laico incurrit excommunicationem ex Clem. (1). Non ita alius Sacerdos sic agendo, qui solum peccaturus esset. Ubi tamen Parochus aut impeditus aut in mora sit, et periculum mortis instet, ob delegationem rationabiliter praesumptam licite et valide administrat hoc Sacramentum sive saecularis Sacerdos sive Regularis (2). Ast Praelatus Regularis non solum suos Religiosos infirmos, sed et suos familiares ac commensuales saeculares in Monasterio infirmos, imo et hospites in eo, ex privilegiis inculpate inungit.

Effectus a Trid. declarantur (3): *res porro et effectus hujus Sacramenti illis verbis explicantur: et oratio fidei etc. . . res etenim haec gratia Spiritus Sancti, cujus unctio delicta si quae sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et aegroti animam alleviat, et confirmat, magnam in eo divinae misericordiae fiduciam excitando, qua infirmus sublevatus, et morbi incommoda ac labores levius fert, et tentationibus Daemonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum ubi saluti animae expedierit, consequitur* (a).

(a) Vide C. 7. l. VIII de S. D. Benedicti XIV ubi hoc argumentum digne pertractatur. Hoc tantum sat erit nobis monere: communiter Doctores tenere per hoc Sacramentum tam venialia peccata deleri, quam mortalia si haec infirmus invincibiliter ignoret habeatque dolorem qua obex aufertur peccati. Ita Divus Thom. suppl. *q. 30. a. 1.* Praeter alios Theologos Tourneley in praelect. theolog. *de extrema unctione* q. ultim. docet; extremam unctionem ex sui institutione directe ac primario remittere peccata etiam

(1) *L. de privileg. et excess. privileg.*

(2) *Ex Bened. XIV. cit. lib. 7. cap. 19. num. 7. et Synod. Prov. Neap. Pignatelli.*

(3) *Sess. cit. cap. 11.*

Necessitas ejusdem Sacramenti in illis etiam quibus post sacramentalem confessionem nulla remanet conscientia peccatorum ut diluantur, patet ex effectibus ejus pluribus: unde fit ut uno quaesito, alios maxime necessarios consequi possit, puta firmiorem spem divinae misericordiae, erectionem animi in hostem trucissimum in agone etc. Praeterquamquod nonne *si dixerimus quod peccatum non habemus ipsi nos seducimus?* Illud ergo Jacobi *Et si in peccatis sit remittuntur ei*, non conditionalem effectum unum peccati indicat, unde necessitas excludatur recipiendi hoc Sacramentum illo deficiente, sed multiplicem. Male inde colligunt aliqui DD., ipsi qui sine contemptu illud uti supervacaneum negligunt vel renuunt, inculpatam remanere conscientiam.

Ex laudato textu quo S. Jacobus hoc Sacramentum promulgavit, innuitur et subjectum ejus; ait enim: *Infirmetur quis in vobis?* Viator baptizatus ergo et nonnisi infirmus capax est illius (a). Pueros tamen

---

mortalia si quae fortasse infirmus ignoret, vel oblitus sit, et quorum confitendorum votum haberet. Quidquid alii sentiunt. Sed hinc necessitas magis patet illam administrandi iis, qui nec poenitentiam, nec Eucharistiam recipere potuerunt, et ita si saltem attriti, vitam consequi possunt sempiternam. Demum reliquiarum peccatorum abstersione ex D. Thoma intelligitur animi languor, torpor, moeror, tristitia; fastidium, anxietas, et similis alia prava affectio, quae plerumque ex peccatis praeteritis vitae in desperationem inducunt.

(a) Ea tamen sit infirmitas oportet, ut probabile periculum mortis comprehendat. Hoc definivit Eugenius IV decreto instruct. *nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Hinc negatur recte iis, qui sani corpore causa aliqua externa existunt in periculo mortis, ut damnati ad mortem a judice, vel foeminae proxime pariturae, difficillimae navigationi commissi etc. ex Bened. XIV. cit. nisi alia insuper iisdem accesserit extraordinaria et lethalis infirmitas. Senibus licet nulla alia speciali afficiantur aegritudine, quia in dies morituri creduntur, ex RR. et Bened. XIV potest administrari.

excipe usu rationis carentes; in iis namque nullum esse potest peccatum quod abstergatur. Ita S. Thom. (1) (a). Excipiendi etiam sunt amentes illi, et furiosi perpetuo, quibus a nativitate nulla lux ex intervallo rationis affulsit. Ita semper Bened. XIV (2). Iis autem *infirmis* ministrandum fore docet Divus Thomas, qui sana mente dum erant, illud petierunt, aut verosimile est, quod petiissent, etiamsi postea in amentiam inciderint, vel ratione aut sermone uti coeperunt et addit Suarez (3) : « Quia inter fines hujus Sacramenti est supplere vices Sacramenti poenitentiae, » quando vel illud applicari non potest, vel de facto » non satis utiliter applicatum est ».

Num leviter, num graviter et quando negligentes hoc Sacramentum peccent, Theologi morales fuse pertractant et praesertim S. Ligorius (4). Sat erit nobis tantum addere, quod per accidens posset infirmus peccare mortaliter omittendo hoc Sacramentum, puta si haberet conscientiam peccati mortalis, et non posset aliud Sacramentum recipere uti communiter DD. docent, item ob scandalum, vel ratione contemptus.

Non defuere errores, quibus etsi ejusdem necessitas in disceptionem non venit, difficilem tamen extremam unctionem reddiderunt (b). His doctrinam oppone-

---

(a) Hoc tamen intelligi non debet de illis, in quibus malitia supplet aetatem, quamvis septimum aetatis annum non attigerint; vel si septenarii numquam adhuc Eucharistia fuerint refecti; improbat enim ipse Bened. XIV diversa statuentes aliqua topica concilia.

(b) Alii enim putabant Saec. XII vel nullam vel permodicam convalescendi spem infirmis hoc suscepto Sacramento superesse; alii te-

(1) *In 4. dist. 25. qu. 2. art. 2.*
(2) *De S. D. l. 7. cap. 21.*
(3) *P. 3. disp. 42. Lect. 1.*
(4) *De Sacr. Extremae Unct. l. §. 735.*

mus laudati Benedicti XIV, qui postquam ex illis abusum inductum notavit antiquorum in variis provinciis, nimirum non administrandi sacram unctionem nisi desperata salute infirmi, quod jam variae Synodi damnarunt; sic Parochos alloquitur (1) « Ad » inungendum infirmum exspectanda non est ultima » ejus vitae periodus, qua extremum agat spiritum: » hunc enim effectum non operatur Sacramentum per » modum miraculi, quod in illis circumstantiis esset » necessarium; sed virtute quadam supernaturali qui» dem, sed quodammodo ordinaria, quae caussas na» turales adjuvat ».

Et quia sanitas, ait D. Thomas, *corporis et mentis, quae sunt effectus hujusmodi Sacramenti possunt amitti. Sacramentum hoc sine sui injuria potest iterari.* Et Concil. Trident. definivit hoc, atque modum iterationis etiam docuit (2) *Si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen inciderint.*

Idque locum habet in morbis quum sanabilibus ex intervallo recidivis, tum in diuturnis, puta hydropisi ac tabe, qui curationem pene non admittunt; quoties aeger ad eum valetudinis statum redierit, ut periculum mortis antea imminens proximumque, jam evasisse videatur, ut idem Sanctus Thomas declaravit (3).

Ast Benedictus XIV eosdem Parochos hortatur, ne conscientia scrupulis percelli se sinant; sed si dubitant

---

stamentum condere eos amplius non posse; carnis usu alii, copula conjugali, nudisque pedibus incessu interdici.

(1) *Loc. cit. c. 7. n. 1.*

(2) *Citata sessione XIV. c. 3.*

(3) *In 4. distinctione 23. a. 4. q. 2.*

an revera morbi status sit mutatus, seu num idem vel diversum sit vitae periculum, in quo aegrotus versatur, expedit ut ad Sacramenti iterationem propendeant (a).

CAPUT XI.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

Fundamentum et originem status clericalis Trid. exponens ait (1) « Sacrificium et Sacerdotium ita Dei » ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni » lege extiterit. Cum igitur in novo testamento san» ctum Eucharistiae sacrificium visibile ex Domini » institutione catholica Ecclesia acceperit; fateri e» tiam oportet, in ea novum esse visibile externum » Sacerdotium in quod vetus traslatum est ». Revera nulla Religio sine Sacrificio, nullum Sacrificium sine Sacerdotio. Quod ex Trid. ipse Christus primum instituit, cum in ultima coena Sacerdotes fecit Apostolos suos. Horum successores vero non nascuntur, sed ordinantur, et quidem non simul et semel, sed gradatim juxta ritum a Christo in genere institutum, ab Ecclesia deinc determinatum. Sicut ergo *jurisdictione* indigent illi qui regendi potestate fruuntur ut jam demonstratum fuit volumine altero; ita et Sacerdotes *ordinatio*-

---

(a) Observandum manet, quod ex Sacramentario S. Gregorii Magni a Menard in vulgus editum, extrema unctio iterata reperitur antiquitus, *stante eodem infirmitatis statu*.

Insuper collatam a veteribus plerumque fuisse ante Viaticum, quia nempe unctionis Sacramentum ut poenitentiae appendix habebatur, et cum ea conjungebatur.

(1) *Sess. XXII. de Sacr. Miss.*

ne, ut ipsi, potestas sit ad unum et integrum sacri ministerii opus: testante Apostolo quod Christus *dedit quosdam quidem Apostolos... alios pastores et doctores.. in opus ministerii in aedificationem corporis Christi.* Est autem generice Ordinatio, seu ordo active sumptus, actio illa seu inauguratio sacra, qua alicui conceditur potestas ad aliquod altaris officium stabiliter peragendum, seu qua traditur spiritualis et stabilis potestas consecrandi Eucharistiam, vel ad hunc finem ministrandi, vel ministerium aut functionem sacram exercendi, nec non et peccata dimittendi (a).

Actus praecipuus inde hujus potestatis est oblatio sacrificii, docente Apostolo (1) *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.*

Ex his colligi fas erit, quod praeter principatum pro Ecclesia regenda in Sacerdotibus a Christo institutum, alius sit in Ecclesia eadem principatus scilicet Ordinis, ex quo potestas dimanat pro sacrificio obeundo, et dimittendis peccatis. In his duobus principatibus gradus insunt, per quos ex una ad aliam potestatem pervenitur, et una prae alia excelsior est et major. Hi gradus potestatis divinitus concessae Hierarchiam efficiunt. Hinc Trid. (2). « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non

---

(a) Ordo per philosophos est dispositio rerum alicui fini ordinatarum. Datur vero et inter personas ordo, qui definitur, collocatio hominum apta, et cuique statui, dignitati, officio accommodata. Quo fit ut in civitate ordines sint senatorum equitumque etc. atque in Ecclesia ministri sacri ab aliis ordine distincti. Ordo passive sumitur pro statu perpetuo ac stabili, qui inde resultat, vi cujus qui sacerdos semel fuit, laicus rursus fieri non potest. Trid. in primis quatuor cap. et subjectis canon. sess. XXIII veram catholicam doctrinam de sacramento ordinis exponit.

(1) *Heb. v. 1.*

(2) *Cit. sess. XXIII. cap. 6.*

» esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae
» constat ex Episcopis, Presbyteris et ministris; anathema sit (a) ».

Haec Hierarchia ordinis definitur potestas in plures gradus distributa ex speciali consecratione et charactere sacramentali dimanans, spectansque ad commune societatis bonum, Sacramenta scilicet conficiendi, Sacrificium offerendi, benedictiones impertiendi, ritus sacros publice peragendi; aut in istis omnibus ex officio ministrandi; quam tractandam procedimus obligata fide priori tomo pag. 93 et 94; quod seqq. concl. et cap. exequi mens est.

CONCLUSIO PRIMA

Sacramentum Ordinis demonstratur declaraturque.

Quoties de Ordinatione mentio est in scripturis, simul illa tria recensentur quae ad rationem Sacramenti requiruntur. 1.° *Signum externum*: nam Paulus ad Timoth. ait (1) *admoneo te, ut resuscites gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum mearum*; quae certe sine oratione non est; unde materia et forma habetur ordinationis. 2.° *Gratiae collatio* ut patet ex verbis *ut resuscites gratiam, quae etc.* 3.° Institutio divina, quae colligitur ex illis verbis; *Hoc facite in meam commemorationem*: id est ministros ordinare, et quidem manuum impositione, aliter nec Paulus per eam dixisset gratiam confa-

(a) Cum Sacerdotii ministerium divina res sit; consentaneum fuit, quo dignius et majori usu veneratione exerceri posset, ut in ecclesiae ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines qui sacerdotio deservirent.

(1) *II. ad Timoth. 1. 6.*

Hi Ordines Ecclesiastici a Trid. (1) enumerantur septem, ex quibus tres nempe Presbyteratus, Diaconatus, et Subdiaconatus dicuntur Ordines majores seu sacri, quia ad consecrationem S. Eucharistiae proxime accedunt, atque votum perpetuae castitatis, et horas canonicas recitandi obligationem annexam habent: cujus ratione Deo quodammodo consecrantur: reliqui quatuor, nempe Acolythatus, Exorcistatus, Lectoratus, et Ostiariatus vocantur minores, quia ad Eucharistiae confectionem remotius concurrunt (a). Sed de

(a) Theologi qui praecise Sacramentum Eucharistiae spectant, ejusque confectionem vel ministerium, circa illud septem statuunt ordines, exclusa tonsura et Episcopatu. Novem Canonistae communiter, et quidam Theologi censent esse ordines; nam et Episcopatum addunt, quia specialem materiam ac formam habet, et singularem etiam potestatem ordinandi clericos, et baptizatos confirmandi habet; praeterea et primam tonsuram ex c. *cum contingat* 11. de aetate et qualit. praef. ubi Innocentius III affirmat juxta formam Ecclesiae per primam tonsuram clericalem ordinem conferri.

Adhaec: inter Theologos quaestio vertitur quibusnam horum ordinum ratio veri sacramentcompetat, quo character ordinis imprimitur; quorum diversas sententias videre est apud Bened. XIV (*de S. D. l. VII. c. 4*) qui videtur adhaerere sententiae ferme communiter receptae, qua nonnisi Diaconatum et Presbyteratum esse vera sacramenta contenditur, et priores quinque esse sola sacramentalia ad Sacerdotii Ordinem praeparatoria, non a Christo, sed vel ab Apostolis, vel ab Ecclesia institutos ad majorem venerationem et obsequium Ordinis Sacerdotalis. Quod vero spectat ad originem institutionis ordinum qui sunt infra diaconatum, et numerum eorum in antiquis monumentis perfecte et stabiliter non constans est: Graeci qui non omnes enumerant ordines in Ecclesia latina receptos, ex una parte difficultatis nodum faciunt: ex altera considerari oportet in Diaconatu plura et diversa fuisse ministeria, ac functiones dispares, quae in prima fidelium paucitate, rebusque angustis a diaconis exerceri poterant, sed crescente fidelium aptorumque ministrorum numero, fieri potuit ac debuit sane, ut quod Ecclesia ex divina institutione habebat in uno ordine, explicite traderet in diversis.

(1) *Cit. loc.*

scripturae testantur (1). Interim Eugenius IV, qui revera ut jam notavimus materiam et formam ordinis non definivit, sed quod optabat adjungerent Armeni, illud erat, ut ipsi Rom. Eccelesiae, ritum communem haberent; quare in istr. etc. haec habet: *materia est illud per cujus traditionem confertur ordo sicut Presbyteratus traditur per calicis etc. . . . ac forma Sacerdotii talis est; accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis etc.* Hoc decreto radicem positam habemus controversiarum de re, quam agimus quas, ne in his ad Theologicas institutiones apprime pertinentibus, tamquam alienae segetis usurpatores, diutius immoremur, Theologis relinquimus pertractandas.

CONCLUSIO SECUNDA

Nonnulla, quae ad Minores Ordines spectant, expediuntur.

Minorum ordinum origo vel ad ipsam sacri Ordinis institutionem refertur juxta aliquos ex DD., quatenus nempe, Diaconatu comprehendebantur; vel Ecclesiae tribuitur: constat tamen a primis temporibus in latina Ecclesia fuisse quatuor nempe, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolythatum. Ipsum fuit Trid. quod nomina haec et officium illi aevo tribuit (2). Ast non idem semper numerus eorum ubique tunc temporis fuisse videtur (3). Diximus in Ecclesia Latina, quia in Graeca, quidquid fuerit de prioribus

(1) *Act. XIII. 3.*
(2) *Sess. 23. c. 2. de Sacram. Ord.*
(3) *Vide Morinum de Sacram. Ord. p. 2. exerc. 11. c. 31. et Thomassin. V. N. E. D. p. 1. lib. 2. c. 33.*

saeculis, non alii numerantur altarium ministri, nisi Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, et lectores; munera enim quae dantur ceteris ordinibus a Latinis, Graeci partim lectoribus, subdiaconis partim tribuunt (a).

Acolythorum maximus inter minores est gradus; nam acolythus vox graeca est, quae latine famulum seu pedissequum significat. Eorum munus est deferre candelabra et luminaria inter sacrorum solemnia, urceolos ad aram portare, et quae ad Eucharistiam necessaria sunt praeparare. Antiquitus mandata Episcopi ad alios perferebant, et eulogias seu panes benedictos ad absentes deportabant, ut ex Innocentio I patet (1).

Exorcistae officium est imponere manus super Energumenos, et obsessos a daemonibus, et super eos invocare nomen Domini, ac legere exorcismos in ordine ad daemones arcendos (b). *Non oportet* ita cano-

---

(a) Ordines illi (minores) observat Thomassinus (*cit. l. c. 5.*) non jam fere spectantur nisi ut dignitates quaedam sacrae; ut sanctissima ornamenta, et antiquitatis ecclesiasticae veneranda signa; ut vincula quaedam, quibus Christi sponsae et diversis, et strictioribus nodis alligamur; ut professiones quaedam sincerae summaeque observantiae nostrae erga minuscula quaeque Ecclesiae Christi ministeria; denique ut gratiae et sanctitatis derivationes in eos, qui vel fimbrias, ut ita dicam, attingunt vestium summi coelorum terrarumque Pontificis.

(b) Adjuratio contra daemones potest fieri privatim, vel publice et solemniter. Prima vel fit visibili modo contra daemonem corporaliter hominem vexantem, et si est efficax et extraordinaria pertinet ad virtutem miraculorum, vel occulto et spirituali resistens tentanti daemoni, et licite fideles eo utuntur. Cum adjuratio solemnis per ministros Ecclesiae fieri debeat.

Obsessi seu energumeni dicuntur homines in quorum corpora daemones exercent potestatem. Qualiter id fiat obscurissimum est. Innumera hujus rei testimonia ex Evangelio habentur; nec desunt priorum saeculorum monumenta quae illud comprobant. Vi-

(1) *Epist. ad Decentium Episcop. Eugubinum.*

nes, *exorcizare eos qui dudum ab Episcopis sunt promoti, neque in Ecclesiis, neque in domibus*. Verum ex constanti Ecclesiae usu requiritur insuper Episcopi licentia, ut notant Ritualia.

Lectoris est ex sacris libris legere et ex Ss. Patrum scriptis, quod olim e suggestu exequebantur, et rudioribus fidem explanare, et divinas decantare laudes. Antiquitus additum fuerat benedicere fructus novos: at jamdudum a solis sacerdotibus istae fiunt benedictiones.

Ostiarii praeficiuntur custodiae Ecclesiae, et sacrae suppellectili; hinc sacras aedes tueri, aperire, et recludere eorum est; excommunicatos et infideles excludere ab illis; pulsare campanas, et curare, ne laici propius ad altaria accedant.

Quae de officio sacristae, Thesaurarii, custodis etc. in jure dicuntur, ad hoc referuntur officium (a).

---

de Bened. XIV mox cit. Ante oculos interim habeant Exorcistae quae Rit. Rom. admonet in tit. *de exorcizandis obsessis: In primis ne facile credat exorcista, aliquem esse a daemone obsessum; sed nota habeant signa, quibus dignoscitur ab iis, qui vel atra bile, vel morbo aliquo laborant. Signa autem sunt, ignota lingua loqui, vel loquentem intelligere, distantia et occulta patefacere, vires supra aetatis suae conditionis naturam ostendere, et id genus alia, quae cum plura occurrunt, majora sunt indicia.*

(a) Olim varia minoristis committebantur officia, ex quibus de qualitatibus eorumdem conjectura fieri potest. Sic quidem ex ordine minorum vocabantur *Laborantes*, seu *Copiatae* aut *Fossarii*, qui circa sepulturae et defunctorum obsequium occupabantur. Nov. 59. c. 2. et S. Epiphanius in fin. lib. contra haeres. *Parabolani* ad aegra debilium corpora curanda deputabantur 1. 28. c. *de Episcop. et cleric. Oeconomi Apocrisiarii Hermeneutae Defensores pauperum, et Ecclesiarum Custodes martyrum Catechistae, seu doctores audientium Notarii etc.*

CONCLUSIO TERTIA

Inter Majores Ordines supremus Episcopatus habetur cujus excellentia supra presbiteros vindicata, quaedam circa illius coeremonias et collationem adnotantur (a).

Episcopatus est Ordo, quo plenitudo Christi Sacerdotii obtinetur, seu potestas omnia novae legis Sacramenta conficiendi, ac Ecclesiam proprie dictam, seu completam regendi. Num vero ordo, et Sacramentum sit a presbyteratu distinctum lis adhuc vertitur inter DD. Justa alios namque D. Bonaventuram sequentes et D. Thom. (1), Episcopatus non est ordo distinctus a Presbyteratu, sed extensio tantummodo characteris Sacerdotalis ad novum officium, novam et ampliorem potestatem ac dignitatem, ita ut Episcopus alius non sit, quam Sacerdos perfectus, qui

---

(a) Sacerdos in genere est minister rerum sacrarum seu cultus divini. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis Heb. v. 1.* id est *sacra dans Sacerdos*. Sacerdotium inde est status constans ac permanens et a Christo institutus ministrorum Dei, quibus potestas est tum offerendi sacrificium ministrandique Sacramenta, tum regendi fideles. Hoc sacerdotio ornatos Apostolos eorumque successores Episcopos omnis traditio attulit, et Theologi demonstrant. Nobis sat erit Trid. definitio *sess. XXIII. c. 4.* Duplex ergo potestas data Apostolis, *ordinis* nempe quae refertur ad sacrificii oblationem et Sacramentorum confectionem; et *jurisdictionis* quae Ecclesiae gubernium spectat, et datur Episcopis, ut ex cit. Trid. loco colligitur. Quoniam vero de Episcoporum institutione, electione, muniis jam diximus et praesertim de plenitudine potestatis jurisdictionis superiori volumine cap. X. concl. tertia pag. 389. heic quae subjicienda sunt tantum adnotabimus.

(1) *In suppl. q. 4. a. 5. ad 2.*

apicem Pontificatus adeptus est; et hi consequenter negant esse Sacramentum distinctum a Sacerdotio. Alii cum Clericato sentiunt esse verum ordinem et Sacramentum quidem, sed solum complete et partialiter distinctum a Sacerdotio: consequenter per Episcopatum non imprimi novum characterem, sed illum sacerdotalem ipsum extendi per novum modum supradictum, cujus virtute potest Episcopus conferre aliis Sacramenta Confirmationis et Ordinis, ac cetera Episcopalia munia obire, et quamvis in illa extensione characteris Sacerdotalis datur nova gratia, attamen Episcopalis consecratio non est Sacramentum distinctum ab Ordine Presbyteratus, sed est hujus complementum.

Tertia est sententia fere communis Canonistarum, qua Ordo est Episcopatus, specie et numero distinctus a Presbyteratu, faciens tamen unum genere ordinem, et praesupponens ex Christi institutione presbyteratum ac imprimens novum characterem: inde dicitur distinctum esse Sacramentum a Sacerdotio. Sic Tournely Charmes Tannerus et fere communis Canonistarum, qui cum materia et forma in ordinatione Episcopali specialis sit, ita et potestas quae confertur affirmant: hinc Ordinem et characterem Episcopalem vere et specialiter dicunt secerni ab ordine et charactere sacerdotali. Adde quod distat ajunt character diaconalis ab illo sacerdotali, etsi diaconatus ad presbyteratum, seu potestatem consecrandi referatur, distat eo vel magis episcopalis character ab eodem sacerdotali utpote magis diversus ab eo, cum potestas ordinandi, et potestas consecrandi inter se longius distant (a). Ipsum Tridentinum si-

(a) Revera quis valide in presbyterum ordinatur, licet antea diaconatum non susceperit. Non potest novum in Episcopum consecrari, nisi prius presbyter ordinatus sit. Potestas enim conficien-

bi advocant (1), quod videtur aliam insinuare ordinationem seu ordinem esse Episcoporum, quam Sacerdotum, ideoque distinctum.

His positis quoniam nec primae nec secundae sententiae solida argumenta desunt, nec facile de hoc dixeris argumento, nisi velit quis sequi Benedictum XIV qui videtur favere tertiae huic sententiae vel certe secundae cum in Synodo Dioecesana (2) dicat « Inter Theologos communiter convenit, veram rationem Sacramenti participare Episcopatum et Diaconatum: quinimo de Episcopatu, etiamsi aliquibus non censeatur Ordo diversus a Sacerdotio (cujus tamen juxta omnes est extensio perfectio et complementum) id esse pariter de fide affirmat Petrus Soto, aut saltem non posse sine periculo, et gravis erroris nota, hoc tempore negari asserunt Medina et Vasquez (a).

Episcopos jure divino superiores esse presbyteris potestate tum ordinis tum jurisdictionis omnes sanae mentis et fidei confiteantur oportet. Et re quidem vera quoad potestatem ordinis, nonne vi ordinationis facultas dandi Spiritum Sanctum per Confirmationem, et ordinandi alios sive Episcopos sive Presbyteros, solis

---

di Eucharistiam, ad quam character diaconalis dirigitur, continet in virtute diaconatum. Potestas Episcopalis utpote realiter a sacerdotali distincta supponit characterem presbyteratus, nam implicite continet, et ideo illum necessario praerequirit.

(a) De industria Patres abstinuerunt a vocibus *jure divino superiores* quum Galli et Germani Episcopi consentirent, Itali dissentirent. Verum mens concilii satis ex can. VI. sess. XXIII. ostenditur. *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse Hierarchiam* divina ordinatione *institutam, quae constat Episcopis, Presbyteris et ministris anathema sit.*

(1) *Sess. XXIII. cap. 5.*

(2) *Act. 8. v. 14.*

Apostolis concessit Christus? Soli quidem Apostoli potuerunt baptizatos Samariae confirmare, et ad Titum dixit Paulus (1) *hujus rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros*. Unde constans fides et doctrina Ecclesiae fuit, irritam, et nullam esse ordinationem ab alio, quam a vero Episcopo datam. Ex discipulis elegit Apostolos, ab illis horum gradum distinxit, hisque solis dixit *Sicut misit me Pater mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum etc.*

Quod vero jurisdictionem spectat internam qua dimittuntur peccata, ipsi Episcopi sunt qui etiamsi presbyteris radicaliter non tribuunt hanc potestatem, hujus tamen exercitium et usum eis confirmant, unde eandem et impediunt et suspendunt, limitant atque ligant (a), utpote successores Apostolorum quibus immediate dixit Christus: *Accipite Spiritum Sanctum.* Adhaec ipsam potestatem quam vi Ordinationis suae, Sacerdotes habent consecrandi Eucharistiam licet impedire non valeant Episcopi, nam valida est consecratio rite peracta, possunt tamen sua prohibitione, suisque censuris efficere, ut sit illicita.

De externa denique jurisdictione vide quae jam diximus eodem cap. X. prioris voluminis (b).

(a) Vide quae diximus altero volum. de Episcop. c. X.

(b) Quae a Wiclefo spe amissa adipiscendae Episcopalis dignitatis, et ab Aereo opponuntur nec non a Calvino, qui inique S. Hyeronimum detorquere in sui sententiam conatus fuit, jam plene a Theologis, quibus lectorem remittimus, evertuntur maximis momentis, ex quibus juvat tantum heic (duce ipso Hyeronimo qui in Dialogo adversus Luciferianos et in ep. 85. ad Evangelium expresse et iterato refert oppositum ejusdem erroris, qui ei timere imputarunt) pauca adnotare. I.° Apud veteres, Episcopi et simplices Presbyteri promiscue nomine Presbyterorum adpellati. II.° Communio nominis

(1) *L. 5.*

His accedit Concil. Trid. auctoritas qua hoc thema definitur (1).

Coeremoniis demum confertur Episcopatus ordo, et ritibus in Pontificali Rom. praescriptis juxta quod tres adesse debent Episcopi, quorum unus Consecrator dicitur (a). Ab uno tamen collatio sine Papae dispensatione, quidquid alii dicunt, illicita; sed tamen valida habetur ex Bened. XIV (2).

Potest et solet de jure communi conferri die dominico: verum attento Pontificali Rom. etiam in natalitiis Apostolorum.

CONCLUSIO QUARTA

Presbyteratus essentialia adponuntur.

Presbyteratus (b) est Sacramentum novae legis per quod confertur ordinato duplex potestas: altera supra Corpus Christi verum, nempe consecrandi seu tran-

---

Presbyteri et Episcopi erat usu tantum, et exercitio jurisdictionis externae pro disciplina temporis; seu externo regimine, eo vel magis quod non ordinabatur quis vel simplex Presbyter, nisi ad ministerium aeque ac Episcopus; nunquam vero erat idem nomen charactere, ordine, jurisdictione et radicali potestate. Apostoli equidem et qui ad munus apostolatus initio adsumpti sunt, in Ecclesiis, quas fundabant, plerumque non morabantur, sed earum cura Presbyteris domandata, Evangelium predicaturi, alio transcurrebant, quod Epiphanius haeres. 77. observat. Presbyteri autem isti Ecclesiis praepositi, excepta ordinatione, munia omnia pastoris obibant et ab inspectione et cura, Episcopi dicebantur.

(a) Vide Tournel et Clercatum de Sacramento Ord.

(b) Presbyter graece idem sonat, ac latine senior non pro aetate vel decrepita senectute, sed propter honorem, dignitatem, prudentiam, doctrinam. *(S. Isid. l. 7. Orig. c. 12.)*

(1) *Sess. cit. XXIII. c. 4. et 7.*

(2) *In Append. ad tom. IV. Bullarum.*

substantiandi panem in corpus, et vinum in Sanguinem Christi: altera in Corpus Christi mysticum scilicet absolvendi et retinendi peccata fidelium.

Ratio Sacramenti inest presbyteratui; nam occurrit in eo ritus sensibilis nempe impositio manuum et oratio: sic enim S. Lucas (1) *cum constituissent illis* (*graece* cum manuum impositione consecrassent) *per singulas Ecclesias presbyteros, et orassent* (2). Alterum essentiale veri Sacramenti, scilicet gratia ut ex Trid. colligitur (3) ubi dicitur: *Per sacram ordinationem dari Spiritum Sanctum, nec frustra Episcopos dicere: accipite Spiritum Sanctum.* Proindeque a Christo institutum fuit, teste eodem Trid. (4) cum Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio dixit: *hoc facite in meam commemorationem* (5) et post resurrectionem (6): *accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis; etc.* Ex his ergo requisita ad verum Sacramentum habentur.

Officia Presbyteri ex Pontificali R. haec numerantur: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse praedicare et baptizare.* (a)

(a) Sacerdoti in ordinatione etsi titulus adsignetur sive Ecclesia cui inserviat, at non omnibus assignatur populus quem regant: hinc ratione tituli quem habent in eo jus est ei missam celebrare, populoque Eucharistiam praebere, ac quasdam benedictiones impertiri. Quoad reliqua vero munera jam memorata etsi ordinatione idoneus sit ad ea, ob respectum quem ad populum habet tamen ea potestate contra canones illicite utitur, nisi jurisdictionem accipiat.

(1) *Luc. 6.*

(2) *Act. XIV 22.*

(3) *Can. 4.*

(4) *Sess. XXII de sacrif. miss. cap. 1.*

(5) *Luc. XXII 13.*

(6) *Joann. XX. 22. et seqq.*

Offerre: Unam eamdem esse Episcopi et presbyteri potestatem circa sacrificii Oblationem ex dictis patet. Catholicum item dogma est solis Sacerdotibus sacramentum Eucharistiae in Missae sacrificio confici: eaque potestas adeo essentialiter characteri sacerdotali inhaeret ut rite ordinatus, etiam haereticus, vel excommunicatus valide, quamvis illicite illud conficiat. *Benedicere*: (a) Sacerdotalis benedictio quatenus adhibetur a publico ministro non potest non esse admodum fructuosa. Verum inter personales benedictiones quae sunt determinatarum personarum consecrationes, notandum I.° benedictiones Abbatum, vel Abbatissarum Episcopis reservatas esse ut Pontificale praecipit et supponunt canones (1) ut advertit Barbosa (2) II.° Olim etiam Episcopis reservabatur velamen dare virginibus. Ita DD. (3) (b). Inter benedictiones rerum quae sunt pietatis et religionis instru-

---

(a) Benedictiones quae auctoritate Ecclesiae fiunt et nomine, et ejus preces ac merita repraesentant, inter Sacramentalia recensentur, eisque vis attribuitur, juxta communiorem sententiam, ut intuitu Ecclesiae precantis, gratiae uberiores a Deo concedantur. Hae vario modo fiunt, variaeque materiae benedicuntur, quarum nonnullae ut cultui divino aptae fiunt; sed tamen non omnes ab omnibus.

(b) Impositio haec velaminis omnino differt a vestis religiosae assumptione et professione in qua moniales ab Episcopis vel cum istorum licentia a presbyteris accipiunt velamen; sed est ea quae describitur in Pontificali, et post saeculum XIII ut advertit Thomassinus V. et N. D. p. 1. lib. III. c. 49. rarissime a virginibus accepta, tum quod earum numerus excresceret; tum quod satis vallatae viderentur professione et claustro. Imo Congregatio Episcoporum respondisse fertur eam jam non esse in usu, nec esse observandam. (*Vide Barbosa cit. loc. alleg. 17.*)

(1) *C. Statuimus 1. de suppl. negl.*

(2) *De Offic. Episcop. p. 11. alleg. 27.*

(3) *In c. Devotis c. XX q. 1.*

menta, observandum III.° quasdam Characteri Episcopali ita esse reservata ut non liceat eas committere Sacerdotibus, puta S. Chrismatis, olei Chatecumenorum et infirmorum benedictiones, Ecclesiae novae solemnis dedicatio, altaris, calicis et patenae consecratio, etsi nonnumquam presbyteris speciatim Abbatibus delegaverunt Pontifices calicis consecrationem. Paramenta Ecclesiastica, et ornamenta tum ministrorum tum Altaris sunt per Episcopum benedicenda (1), nec nisi ex speciali privilegio sedis Apostolicae, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio vel oleum sanctum, simplices sacerdotes illa benedicere possunt (a).

Presbyteri ferme cetera omnia benedicunt, et quidem in plerisque non indigent speciali Episcopi licentia ex. gr. benedicunt aquam lustralem, panem etc. Sunt vero plura quae sine licentia Episcopi non benedicunt praesertim quando objectum indiget speciali inspectione Episcopi, scilicet templi fundatio, ejusdem simplex benedictio, coemeterii, pollutae Ecclesiae vel coemeterii reconciliatio, sacella domestica, sacrae imagines in templis exponendae, cruces in loco publico erigendae. De his tamen consuetudines servandae, et Rituale dioecesis.

Praeesse, *praedicare et baptizare* idest sacerdotis est in divinis officiis, publicisque precibus primum tenere locum, et totius plebis nomine orationem col-

---

(a) Hanc facultatem ex amplissimo privilegio Leonis X in constit. *Religionis suadet*, et aliorum Pontificum habent omnes Prelati Regulares puta Generales, Provinciales, Guardiani, Priores, aliique omnes Superiores locales quocumque nomine nuncupentur. Cum hac tamen limitatione, nisi pro usu tantum suarum Ecclesiarum.

(1) *Cap. Vestimenta 42. de consecrat dist.*

ligere, et Deo offerre, atque pastoralem curam suscipere. Quod tandem praedicare et baptizare possit ne crambem coctam iterum recoquamus, vide quae diximus de Episcopis priori volumine et de sacramento baptismi cap. V concl. III (a).

CONCLUSIO QUINTA

Diaconatus verum esse Sacramentum demonstratur ejusque officia exponuntur.

Occasio instituendorum diaconorum a fine ipsius institutionis est distincta, quo Calvinus castigatur impudens, et Salmasius: hi enim ad puram *bonorum Ecclesiasticorum distributionem* Apostolica, non divina institutione diaconos esse autumabant (b). Revera occasionem dedit *murmur graecorum adversus Hebreos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum*; sed nihilominus primarius finis tum ex dispositionibus et dotibus quas Apostoli in illis requirunt; tum ex officio cui addicebantur non communibus modo, sed sacris etiam mensis (c);

(a) Non abs re censemus iterato monere quod in explicandis Sacerdotes sui ordinis officiis ab Episcopo debeant pendere ex Concil. Laodic. c. 57. ab eo enim pendent omnes functiones publicae quae ad fideles referuntur. Atque haec presbyterorum ab Episcopo dependentia constituit Ecclesiae ordinem et honorem, *quo salvo salva pax est* ait Tertullianus de baptism. c. 17.

(b) Diaconus, *graece* idem est ac *minister*: late usurpatur pro quocumque rei cujuslibet ministro: stricte pro ministro rei sacrae. Diaconatus ergo in Ecclesia nomen est ordinis ac ministerii sacri. Ab auctoribus ecclesiasticis saepius Levitae nuncupantur, ex similitudine Levitici ministerii, quod sacerdotio veteris Testamenti subserviebat.

(c) Apostolus enim qui communem cibum memorat 1. ad Cor.

tum ex aliis muneribus quae exercuerunt Ss. Stephanus et Philippus, quaequae Diaconi adhuc exercent in Ecclesia ut mox exponetur; tum ex Traditione colligitur; unde certissime infertur Diaconos non ad profanum dumtaxat, sed ad sacrum ministerium delectos fuisse. Igitur a Christo edocti Apostoli manus impositione et oratione, seu signo sensibili, septem primos diaconos inaugurarunt. *Hos statuerunt*, ait sacer textus, *ante conspectum Apostolorum, et orantes imposuerunt eis manus.* Equidem unde ritum hunc usurpassent, nisi quia a Christo sic edocti? Unde gratia sanctificans per manus impositionem, et orationem conferretur? *Caro* ait Tertull. (1) *manus impositione adumbratur ut anima Spiritu illuminetur*. Hinc Stephanus statim in diaconum consecratus dicitur (2) *plenus gratia et fortitudine.*

Munera diaconorum Pontificale Rom. sic explicat: Diaconum oportet *ministrare ad altare*, *baptizare*, *praedicare* (a). Inservire proin Episcopo et Sacerdo-

---

XI. 21. *Unusquisque enim suam coenam praesumit ad manducandum etc.*: Eucharistiam denotat v. 27. *quicumque manducaverit panem hunc vel biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini.* Inter communes mensas ergo etiam Eucharistia initio Ecclesiae distributa erat. Talem usum primi aevi probat etiam exemplum Christi, qui in ultima coena utramque mensam conjunxit.

(a) Primis Ecclesiae saeculis uberius fusiusque Diaconi munera explicabantur. Praeter curam enim viduarum, virginum, orphanorum, pauperum, martyrum in custodia detentorum quam gerebant; sanguinem Domini a Sacerdote consecratum populo distribuebant: hinc illud S. Laurentii ad Xistum Papam: *cui commisisti dominici sanguinis dispensationem*; increpabant et corrigebant eos qui aliquid in Ecclesia agerent quod minus decere videretur; finitis precibus, sacrisque peractis ab Ecclesia discede-

(1) *Lib. de resurrect. carnis c. 8.*

(2) *Act. VI. v. 8.*

ti ad aram sacra facientibus est diaconi. Quod ad administrationem Eucharisticae spectat, et Baptismi jam dictum fuit, cum de his disseruimus Sacramentis. Praedicare denique quod complectitur non solum legere Evangelium in Missa solemni sed et veram praedicationem, quae ad instructionem spectat populorum; hanc tamen, uti ipsi Presbyteri, exercere sine Episcopi venia non possunt. Quod non est absonum etiam antiquae disciplinae, ut proinde paroeciae ipsis committi possint (a).

---

re jubebant populum, qui ad eam venerat; poenitentes in Ecclesia deprecative reconciliabant, non sacramentaliter; in vitam moresque populi inquirebant, et crimina Episcopo nuntiabant; oblationes accipiebant, nomina offerentium et sacra diptyca in Ecclesia recitabant: erant autem diptyca libri seu tabulae sacrae a *ptycis* sive *plicis*: unde quae duas habebant plicas, diptyca, quae tribus constabant, triptyca. In his tria censebantur: primum nomina martyrum et confessorum, secundo fidelium viventium virtute, dignitate, aut generis nobilitate praestantium: tertio nomina fidelium mortuorum, illórum nempe qui sancti declarabantur. Hinc diptyca Sanctorum dicebantur quae in canone missae legebantur, unde *canonizatio* originem duxit. Sacra haec diptyca ex ambone aut pulpito Diaconus recitabat. Haec munera, quae videre est praesertim apud Dovretum, parum habentes Diaconi, invadere etiam audacter coeperunt quae ipsos haud decebant, unde modum eis impositum esse observant DD.

(a) Sic tamen ut et Matrimoniis adsistere suorum parochianorum possint; non tamen si ab alio Parocho vocatus sit in aliena Ecclesia; invalidum enim esset ita matrimonium contractum, nam ex Trid. vel Parochus adsistere debet, vel alius *Sacerdos* a Parocho deputatus ut sit validum. Ita DD.

CONCLUSIO SEXTA

Quid de subdiaconatu sentiendum aperitur.

Nec in scripturis, nec traditione vestigium ullum extat quod subdiaconatum sicut ordines minores a Christo institutos innuat: imo nec ordinantur subdiaconi per manus impositionem, cujus mentionem semper facit Scriptura, ubi de ordinandis sacris ministris agitur. Ipsumque Trid. Subdiaconorum nomen et ministeria ab Ecclesiae inito obtinuisse dumtaxat tradit (1). Primum equidem Cyprianus in Occidente eorum mentionem fecit; et in Oriente Synodus Laodic. ann. 319 (2). Unde Sanctus Thomas ait (3): » In primitiva Ecclesia solum erant tres ordines. . . » scilicet Episcoporum, Presbyterorum, et ministro- » rum, et non dividebantur per diversos gradus, sed » omnia erant in uno ordine propter paucitatem mi- » nistrorum, et propter novitatem Ecclesiae ».

De tempore autem quo majoribus et sacris ordinibus Subdiaconatus adscriptus fuit controvertitur. Alii inter quos Devoti (4) factum tenent XI saec. nam Urbanus II qui ann. 1031 statuit nullum in Episcopum eligi posse, *nisi in sacris ordinibus inventus*; enumerans inde sacros ordines praeter Diaconatum, et Presbyteratum, non memorat Subdiaconos, imo opportunitate exigente solum de licentia R. Pontificis vel Metropolitani illos in Episcopum assumi concedit: hoc igitur tempore colligunt inter minores fuisse ordines Subdia-

---

(1) *Cit. sess. XXIII. c. 2.*
(2) *Can. 21. et 22.*
(3) *In c. 5. epist. ad Tim.*
(4) *Sect. 2. §. 28. lib. 1. tit. 11. primi vol.*

conatum. Referunt autem auctoritate Innoc. III decretum alterum ejusdem Urbani quo Subdiaconatus inter majores ordines relatus est: sic enim ille ait (1), *Cum hodie Subdiaconatus inter sacros ordines computetur sicut Urbanus Papa II expressit, erubescant etc.* Hinc nonnisi sub hoc Pontifice inferunt Subdiaconatum majoribus adscriptum ordinibus. Alii non Urbanum, sed Innoc. ipsum omnium primum sacris ordinibus accensuisse sentiunt Subdiaconatum, cum statuit: *Subdiaconus in Episcopum valeat libere eligi sicut Diaconus et Sacerdos.* Subdiaconatus est Ordo per quem datur potestas Diacono ad altare ministranti proxime serviendi, ut nomen ipse indicat. Ejus munia sunt deferre calicem cum vino ad Altare, praeparare necessaria ad Eucharistiam, cantare epistolam guttas aquae in calice, simul ac Diaconus vinum immiserit adfundere; linteum corporale, et linteola calicis et purificationis abluere etc.

CONCLUSIO SEPTIMA

De prima tonsura disseritur.

Ecclesiasticos ordines per tonsuram ingredi veluti per januam oportet. Est autem tonsura ritus ab Ecclesia institutus, qua quis in clerum adscribitur et ad ordines suscipiendos melius disponitur (a). Nulli du-

(a) Quaestio insignis ait Fagnanus in qua a Canonistis antiquis discrepant Theologi; num scilicet Tonsura sit ordo. Qui subdit, adeo suis rationibus istos occupatos ut ad canonum statuta vix advertere videantur: e converso illi suis canonibus tenaciter adhaerentes Theologorum ratiocinationes videantur contemnere. Instant Canonistae sentientes Tonsuram clericalem ordinem esse verbis Inno-

(1) *C. a multis de aetate et qualit. etc.*

bium quin ejus originem aliqui ab exemplo et imitatione Nazaraeorum veteris legis (1) ducendam sentiant. Graegorius Turonens. (2), et Petrus Blesensis cum aliis tonsurae clericalis occasionem repetunt (3) ab exemplo D. Petri qui in derisionem et ludibrium a Gentilibus tamquam servus tonsus fuit: infamia inde in honorem, ac illusione in gloriam conversa, hac tonsura clericali titulo *coronatorum* etiam legibus Princi-

---

centii III c. *Cum contingat* 11. de aetate et qualit. etc. ***Primam Tonsuram juxta formam Ecclesiae datam**, **clericalis ordo confertur.*** Addunt responsum Innocentii II Archiepiscopo Rotomagensi interroganti. ***An clericatus ordo in Tonsura hujusmodi*** (nempe data ab Abbatibus Benedictinis subditis suis Regularibus) ***conferatur.*** Quod sine limitatione fuit *Affirmative.* Demum charactere insignitos Tonsuratos ajunt; hinc ut alii ordines, Tonsura cum iterari non possit, *Ordo* sit dicenda. Afferunt Trid. verba *sess. XXII. c. 2.* de Sacramento ord.: *qui jam clericali Tonsura insigniti essent* verbum, ajunt, quod respondet illis Pauli ad Corinth. 1. qui *unxit nos Deus signavit nos etc.* Sed Theologi respondent verbis Innocentii *cit. loc.* tonsuram dici clericatus ordinem pro statu et vitae genere diverso a laico, et quia refertur ad ordinem seu statum clericalem, unde hujus etiam in certis circumstantiis gaudet privilegiis. Vide Antoine de Ord. l. 3. pag. 157. Nec charactere insignitos Tonsuratos observant, quamvis Congregationes R. pro affirmativa steterunt; nam insigniti dici possunt charactere improprio, vi cujus Tonsura collata iterari non potest. Multa dein proferunt argumenta quae invicta omnino videntur pro sententia negativa quam tenent, non dissentientibus pluribus ex Canonistis ipsis, scilicet: Tonsura primis saeculis fuit incognita: omnis ordo cum pars sit Sacerdotii aliquam potestatem confert quae relativa sit ad Eucharistiam et Sacrificium, qua potestate carent Tonsurati. Adhaec diversi Tridentini textus recensent qui precise inter ordines Tonsuram non comprehendunt. Imo ab illis disjungunt: *c. 11. cit. sess.* dicitur: *ita distributi ut qui jam clericali Tonsura insigniti essent, per minores ad majores accederent.*

(1) *N. 6. v. 18.*
(2) *De gloria Martyr. lib. 1. cap. 22.*
(3) *In c. 1. Job.*

pum cohonestati sunt (1). Iidem ne mistici sensus deessent, tonsura significari dixerunt regale Sacerdotium aut Spineam Christi Coronam. Forma coronae, locis temporibusque variata. Clericis generatim Innocentius III indixit in Concil. Lateranensi *Coronam et tonsuram congruentem* (2). Quae nimirum initio parvum minoris hostiae circulum laicae communionis, non excedat in clericis, mox gradatim per singulos ordines sic amplianda, ut presbyteri parem hostiae sacerdotali deferant ex synodicis decretis etiam Toletanis a Xisto IV latis (3) (a).

(a) Per quatuor saecula Clericos in modum coronae tonsos non habuisse capillos patet; eo enim signo facile deprehendi a tyrannis potuissent. In votis tamen Ecclesia semper habuit, ut clerici breves et ad modestiam compositos capillos gestarent. Ita Concil. Carthag. IV (*can. 4.*) et Sanctus Hieronymus in epist. ad Eustachium adversus clericos invehitur, qui catenatos mulierum more crines nutriunt. Verum quod ad Tonsuram spectat, triplicis generis monumenta ecclesiastica illam distinguunt: *poenitentium* omnium antiquissima qui crines tondere coeperunt, ut casta informitate populo essent despectui; altera fuit *monachorum* qui poenitentium vitam imitabantur; postrema fuit clericorum perfectionem monachorum imitari cupientium: ast ne informis tonsura eos deformaret, eam in meliorem formam adornarunt. Num vero a principio clerici et capillos tondere debebant, et summum verticem radere jubebantur litigium inter DD. Sunt qui cum Devoti ex *Can. 44. apud Lebbaeum* Concil. Carthaginen. cit. ex Hieronymo (*C. 44. v. 20.*) in illud Ezechielis; *Caput suum non radant, neque comam nutriant, sed tondentes attondebunt capita sua* alienum a moribus clericorum fuisse ajunt a principio usum radendi verticis in modum coronae, sed tantum tonsos et breviter gerebant crines ad instar *coronae* unde *coronati* dicebantur.

Ex adverso alii aevo ipsius S. Hieronymi rasuram illam viguisse tradunt, et dissuasum fuisse ab eo cit. loco tantum nudari totum crinibus vel abrasis vel resectis, caput, quae Scythica seu

(1) *Gothofred. in l. 58. Cod. 34. de Episcop.*

(2) *C. Clerici 15. de vita et honest.*

(3) *Gonzalez in notis ad cit. c. Clerici ver. congruenter.*

Primis Ecclesiae saeculis nulli fuerunt clerici tonsura insigniti sine ullo ordine, vel officio. *Cuncti in clericali ministerio constituti* ait S. Cyprianus *nonnisi altari et sacrificiis deservire*, *et precibus atque orationibus vacare debent.* Dein sejuncta ab ordinibus tonsura est, ne pueri potissimum in scholis Ecclesiasticis ad religionis officia informandi prorsus profani viderentur (a). Igitur prima tonsura nullam ecclesiastici ministerii partem peculiarem tribuit. Sed psalmistae munus olim tonsuratis mandatum habetur ex Synod. IV Cartha. can. 10.

De iis autem qui clericali tonsura initiandi sunt ita statuit Trid. (1) « prima tonsura non initientur, qui » Sacramentum Confirmationis non susceperint, et fi» dei rudimenta edocti non fuerint; quique legere et » scribere nesciant; et de quibus probabilis conjectura » non sit, eos non saecularis judicii fugiendi fraude, » sed ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae ge» nus elegisse ».

Ergo aetas pro prima tonsura quamvis in jure determinata non reperitur ex hoc decr. Trid. illam requiri colligitur, quae pro ingeniorum varietate dictas dispositiones admittat (b).

Thracica tonsura dicebatur (*Apud Athenaeum l. 4.*); alibi vero ipse S. Doctor rasilem coronam in summa capitis parte commendasse ajunt. De his sententiam ferre nostrum non est.

(a) A parentibns antiquitus filii etiam infantes offerebantur Episcopis ut institutionem acciperent. In Episcopo ipso illi informabantur, et ordinibus insigniti, usque ad ordines majores ibi morari tenebantur. Verum debilitate aetatis eorum inspecta, qua inequales videbantur officio lectoris et ostiarii, sola tonsura distincti a laicis fuerunt. Vide Morinum *de ordinationibus p. 3. exercit. 15. c. 3.*

(b) Ex pactis conventis inter Benedictum XIV et Carolum olim

(1) *Sess. XXIII. in decr. de reform. c. 4.*

CAPUT XII.

DE MINISTRO ORDINATIONIS.

CONCLUSIO PRIMA

Solus Episcopus ordinarius est Minister ordinationis.

Solum Episcopum consecratum (a) ordinariam habere potestatem consecrandi Ecclesiae ministros con-

---

regem nostrum uti deinceps erit videre tonsuratis clericorum privilegiis frui vetitum fuit, nisi servitio alicujus essent Ecclesiae addicti ab Episcopo, vel in seminario aut aliqua Universitate degerent ut instituerentur. Insuper decretum fuit initiari tonsura nonnisi illos qui post decem annorum aetatem triennio aut in seminario fuissent, aut habitu clericali diebus festivis deputati essent alicui Ecclesiae cui servirent; exceptis Arctatis. Quod ultimo concord. comprobatur.

Arctatorum vero duplex genus est: in primo sunt jus patronatus passivum habentes ad aliquod beneficium ecclesiasticum; puta quos fundator ad beneficium, vel capellaniam ecclesiasticam ut ajunt *collativam* et perpetuam in ipso fundationis limine vocavit, vel generatim sub collectivo vocabulo familiae, domus, descendentium, agnationis, cognationis. Alterum arctatorum genus complectitur, quos sine jure passivo unam eandemque familiam, et progeniem cum patronis activis sortitos, patroni inter legitima tempora nominaverint uti censuit olim Tribunal Mixtum die 23 Augusti 1753.

(a) Equidem electus tantum Episcopus aut confirmatus non habet potestatem et exercitium ordinis Episcopalis. Si autem consecratus, licet improbus, excommunicatus, suspensus, interdictus, degradatus, schismaticus, haereticus etiam qui loco et ordini renuntiavit, quippe charactere indelebili per consecrationem Episcopalem impresso fretus, et per Ecclesiam inauferibili, modo adhibeat debitam materiam formam ac intentionem valide ordinem confert. Nec obstat quod in c. 1. *de schismat.* dicantur

stat tum ex Scripturis (1); tum ex costanti et perpetua Ecclesiae consuetudine, quae in omnibus et latinorum ritualibus et Graecorum Euchologiis reperiri fas est; tum ex innumeris testimoniis PP. ex quibus juvat Hieronymi tantum verba exscribere (2) *Quid facit Episcopus, excepta ordinatione, quod presbyter non faciat?* insuper ex definitione Eugenii IV (3) et Trid. (4) quod sic se habet. « Si quis dixe- » rit Episcopos. . . . non habere potestatem. . . ordi- » nandi, vel eam quam habent illis esse cum presby- » teris communem. . . . anathema sit ». Demum et ratione patet; potestas enim ordinandi ex institutione Christi per consecrationem collata fuit tantum Apostolis, et Episcopis eorum successoribus; item et plenitudo Sacerdotii: nec oppido presbyter cui deest, alteri communicare poterit, cum axioma sit *nemo dat quod non habet.*

Ordinarium tamen diximus Episcopum ministrum quia ex delegatione vel privilegio speciali Summi Pontificis, extraordinarius minister quoad primam tonsuram et quatuor minores ordines potest esse simplex Sacerdos: uti revera hanc potestatem habent ex consuetudine Cardinales presbyteri in Ecclesia sui tituli quoad suos familiares (5): item respectu suorum regularium quoad primam tonsuram Abbates Sacerdotes, et benedicti: et ex consuetudine eadem quoad quatuor minores ordines Abbates mitrati seu

---

ordinationes ab Episcopo haeretico factae irritae, sensus enim est quod sint irritae quoad executionem, quae taliter ordinatis prohibita est, non quoad substantiam.

(1) *Epist. 2. ad Timoth. c. 1. v. 6. et act. Apost. c. 14. v. 22.*

(2) *Epist. 85. ad Evagrium.*

(3) *In concil. Florent. post sess. ultimam* §. Sextum Sacr.

(4) *Sess. XXIII. c. 4. et can. 7. de Sacr. Ord.*

(5) *Juxta c. 11. de aetate et qualit. etc.*

qui habent jus ferendi annulum, mitram, et baculum, ita tamen, ut si una pars horum desit, ordinatio esset invalida, competit enim eis haec facultas vi privilegii, quod a jure restringitur: proindeque tenorem privilegii si excedat, nulla et irrita erit ordinatio juxta DD.: qui etiam aliquibus dicunt datum quoad subdiaconatum et diaconatum hoc privilegium; nulli vero quoad presbyteratum.

Quoniam vero ordinatio sacrorum ministrorum non solum ad characterem Episcopalem pertinet, et ad ordinis potestatem; sed etiam ad jurisdictionem quae jus exclusivum ordines conferendi in sua dioecesi impertitur: hinc sit.

CONCLUSIO SECUNDA

Proprius sit Episcopus ut licite ordines conferat demonstratur.

Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur. . . . decrevit Trid. (1) *si secus fiat ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus.* Ergo Episcopus ut licite aliquem ordinet, per se requiritur ut sit proprius, seu ordinandus sit ei subjectus (2). Diximus per se; nam etiam licite alienus Episcopus ordinat si proprius Episcopus consentiat vel voce, vel scripto ut habet usus communis, seu per litteras quas vocant *dimissorias* vel *dimissoriales*, vel *commendatitias* aut

(1) *Sess. XXIII. c. 8. de reform.*

(2) *Trid. Sess. XIV. c. 2. et sess. XXIII. c. 8. de reform. ac c. 2. et 4. de temporib. Ordinat. etc. in 6.*

reverendas (a); vel si ordinandus habet privilegium a Papa vi cujus ordinari possit a quolibet Episcopo habente communionem cum Sede Apostolica; modo hoc privilegium nominatim, etiam post Concil. Trid. concessum sit, uti Religiosis Societatis Jesu. Sed eo uti debent cum causa, nec pridie ejus diei, quo ab ordinario habendae sunt ordinationes, alio migrent (1).

(a) Solus Episcopus proprius confirmatus, et non excommunicatus litteras dimissorias concedit; actus enim jurisdictionis est. *c. 3. de temporib. ordin. etc. in 6.* Ut vero videatur quando licite ex Tridentino Episcopus concedere dimissorias possit, illius verba exscribimus: *Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter quam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittant. Sess. 25. de reform. c. 3.*

Ast de hoc jure dandi dimissorias decidunt sacri canones I.° quod Episcopus graecus non potest suo subdito dare dimissorias ad Episcopum latinum, neque latinus ad graecum *c. 9. et 11. de temp. ord. in 6.* II.° Episcopus Ultramontanus non potest dimissorias dare ad Episcopum Italiae, nisi per patentes litteras continentes justam causam quare noluit vel non potuit subditum suum ordinare, aut de speciali licentia Papae dimissorias dare *c. 1. eod. in 6.* III.° Ad alios Episcopos sic dat dimissorias Episcopus proprius ut dimissorum probitatem ac mores testimonio suo commendet Concil. Trid. *Sess. 23. c. 8. de reform.* Quod *sess. 16. c. 2. de reform.* cavit etiam de Episcopis titularibus in partibus infidelium commorantibus, ne alienos dioecesanos ordinent.

Ultramontani ut ab Episcopo Italo non ordinentur nisi legitima in dimissoriis causa exprimatur, quare scilicet Episcopus originis aut domicilii eos nolit aut nequeat ordinare jussit Clemens IV in c. 1. *de temp. ord.* in 6. Transmarinos itidem clericos non esse absque litteris commendatitiis saltem quinque Episcoporum ordinandos sancitum est a Silvestro, ac Anastasio I in c. *nullus* et in can. *transmarinos* 2. dist. 38. et ab Alexandro III in c. *tua nos* 1. de cleric. peregrin. 5. Greg. M. vetuit ne Afri passim ut incogniti peregrini ad ecclesiasticos ordines admittantur, epist. ad Squillatinum Episcopum in c. *Afros* dist. cit.

(1) *Bened. XIV. const. 27. Impositi nobis tom. 2. Bullar.*

Praeterea si proprius Episcopus sit publice suspensus a collatione ordinum, eo quod ordinaverit Clericos alienae dioecesis sine licentia proprii Episcopi; tunc ejus clerici sine ipsius facultate possunt adire vicinum Episcopum aliquem ut ordinentur (1): excipe primam tonsuram pro qua opus habent licentia proprii Episcopi; non enim tam necessarium est ut laici ordinentur, quam ut clerici ad superiores ordines ascendant.

De Vicario Generali et Capitulari jam diximus cum de his egimus volumine altero. Vicarium Apostolicum in dimissoriis Sede vacante concedendis non majori, sed ea ipsa Vicarii Capitularis facultate utitur ad formam Trid. (2) (a). Ipsi Regulares vero quibus concessum dimissorias dare subditis suis regularibus, et juxta aliquos DD. etiam novitiis suis ad ordines minores ex const. Pii V *Rom. Pontif.* ad Episcopum suae dioecesis dirigant oportet illos, nisi sint exempti ex Trid. (3); dummodo longo tempore ordinationem non institueret Episcopus proprius, modo hic casus non studio fuerit expectatus, aut per fraudem. Hoc ex Clem. I auctoritate Sacra Congr. Rom. (4) comprobavit, et addidit quae pro recta executione harum dimissoriarum requiruntur, sic se habens: « Statuitur Superio-» res Regulares posse suo subdito, itidem regulari, » qui praeditus qualitatibus requisitis ordines susci-

---

(a) Saecularibus si quos habeant subditos, dare dimissorias ad alienum Episcopum nequeunt etsi essent exempti (*cit. c. 3. finat. et Trid. cit. loc.*). Excipe, nisi essent plenissimo jure exèmpti et in saeculares jurisdictionem quasi Episcopalem obtinerent.

(1) *C. 2. cit. tit. de temporibus Ordin.*

(2) *S. Congr. in Bariensi ann. 1699. apud. Rigant.*

(3) *Sess. XXIII. c. 10.*

(4) *Die 15. Martii ann. 1596.*

» pere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad » Episcopum tamen Dioecesanum, nempe illius mo» nasterii, in cujus familia ab iis, ad quos pertinet, » Regularis positus fuerit: et si dioecesanus abfuerit, » vel non esset habiturus ordinationes, ad quemcum» que Episcopum, *dum tamen* ab eo Episcopo, qui » ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam; » et dum ipsi Regulares non distulerint de industria » concessionem dimissoriarum in id tempus, in quo » Episcopus Dioecesanus vel abfuturus, vel nullas » habiturus esset ordinationes. Verum cum a Su» perioribus Regularibus, Episcopo dioecesano ab» sente, vel ordinationes non habente, litterae di» missoriae dabuntur, in eis utique hujusmodi cau» sam absentiae dioecesani Episcopi, vel ordinatio» num ab eo non habendarum exprimendam esse (a). » Quod qui non fecerit officii et dignitatis, seu admini» strationis activae et passivae privationem, et alias » arbitrio ejusdem SS. D. N. Papae reservatas poe» nas incurrent (b) ».

(a) Ex Bened. XIV const. *Impositis nobis* t. 2. Bull. §. Praeterea; has dimissorias ita dare debet Superior Regularium ut habeat attestatum Vicarii Generalis, vel Cancellarii, vel Episcopi, vel ejus qui est a segretis ipsius, ita ut, iisdem poenis obnoxius esset ordinans clericum dimissorias litteras habentem sine dicta legalitate, ac si clericum sine dimissoriis ipsis ordinaret. Idem laud. Pontif. cit. const. §. *Porro*.

(b) Iisdem poenis Praelati inferiores privilegium habentes primam tonsuram, et ordines minores subditis suis administrandi, obnoxii sunt, si jurisdictionem Episcoporum similiter offendant.

Ex Bened. XIV vero declarationibus quoad Regulares ipsos t. 2. Bull. in const cit. 22. *Impositi nobis* colligitur 1.° quod Episcopus, in cujus dioecesi est conventus, ab iis ordinandis exigere non potest dimissorias Episcopi originis ipsorum. 2.° Potest idem Episcopus, in cujus dioecesi est conventus Regularium, iis dare dimissorias ad alium Episcopum pro ordinationibus.

CONCLUSIO TERTIA

Quomodo aliquis subditus Episcopo fiat declaratur.

In Ecclesia olim vetitum fuisse solum alienos clericos, non autem alienos laicos ordinare constat (1). Hinc proprius Episcopus is tantum fuit qui aliquem primum clero adscripserat. Saec. ferme X. alia fuit disciplina, dum non amplius prioris ordinationis (a), verum et *originis* et *beneficii* ratio coepit haberi (2) ad usque XIII saeculum. Benifacius VIII addidit et titulum *domicilii* (3); denique supervenit et illum *familiaritatis* ex Trid. (4). Quadruplici ergo titulo proprius ad dandos ordines Episcopus dicitur nimirum 1.° *originis* seu loci, ubi parentes ordinandorum tempore nativitatis eorum habuerunt domicilium (b). 2.° *Domicilii* si ordinandus e loco originis

(a) Invitis namque canonibus frequentes evaserunt ordinationes sine titulo h. e. sine certa Ecclesia; atque inde in eas numerus clericorum inertium et vagantium emersit, qui ab alienis Episcopis ad majores ordines curabant promoveri. Intermissus quoque est formatarum litterarum usus, et saepe laici, nullo testimonio de bene acta vita, proprias relinquebant Ecclesias: Episcopi vero sine delectu tonsuram dabant. Fleury diss. VII. in hist. Eccles. n. 8. Ita ad evitandam confusionem necesse fuit novas praescribere regulas.

(b) Praeter domicilium *habitationis*; quod aliquando etiam *accidentale* et *adscititium* vocatur, de quo diximus aliud est *naturale*, vel *originis*, nempe locus, in quo quis oriundus, vel natus est, si pater ibi domicilium habitationis habuit. In jure Rom. 1. 33. D. ad municipalem dicitur: *Roma communis nostra patria est*. Et c. fin. de foro comp. *Omnium Ecclesiarum mater et magistra dicitur.*

(1) *Vide Hallier de Sacr. ord. p. 2. et 5. cap. 8. art 5.*
(2) *C. 1. de temp. ord. in 6.*
(3) *C. 3. eod. tit.*
(4) *Sess. XXIII. c. 9. de reform.*

egressus, sedem stabilem fixit in aliqua dioecesi, non tamen si vellet per aliquot annos manere ibi ex. gr. causa studiorum. 3.° *Beneficii* si Episcopus prima saltem tonsura ab Episcopo originis vel domicilii insignito, conferat alicui beneficium; 4.° *triennalis familiaritatis* Episcopus est ille, quo cum aliquis per triennium moraliter continuum praesens inservivit, sive extra, sive intra domum, et ejusdem expensis est sustentatus: qui tamen debet esse instructus litteris testimonialibus proprii Episcopi super aetate, natalibus etc. atque etiam illius Episcopi tituto beneficii fit subditus, nam tenetur beneficium ei statim conferre (1). Uno ex his modis subjectus Episcopo, potest eligere ad sui ordinationem eum quem vult, modo fraus absit (2): imo potest, postquam ab uno ex. gr. suscepit unum Ordinem, ab altero sine prioris licentia alium suscipere Ordinem: modo ratione quadam sit proprius et a priore ordinatore, vel ab ordinario habeantur litterae testimoniales. Ita Layman et alii (a).

Nova haec disciplina, licet ad evitandam confusionem inducta sit, omnia omnino incommoda non sustulit. Ergo Innocentius XII edita constitutione *Speculato-*

(a) Excipe, nisi clericus in sacris ordinatus sit ad beneficium residentiam postulans: requiritur enim hic consensus ordinantis; sicut requiritur consensus Papae, si quis ab illo ordinatus, vult dein ab Episcopo alium ordinem suscipere. Confer. Bened. XIV in const. *In postremo* 64. tom. 4. Bullar. Porro expositi, quorum parentes ignorantur, possunt ab Episcopo, loci in quo expositi sunt ordinari: vagi, quorum neque constet de origine propria, neque paterna, ubi volunt: nati vero in loco nullius dioecesis, subjiciuntur quoad ordines viciniori Episcopi, uti habet declaratio S. Congr. Concil.

(1) *Bull. Speculatores Innoc. XII.*

(2) *Sacra Congr. Concil. in Fundana Ordinum 23. Jan. 1666. et alibi.*

res (1) talibus regulis Episcopi proprii coegit potestatem, quibus ordinem in Ecclesia necessarium restitueret Hinc I.° quoad titulum originis ita definivit:
» Subditus ratione originis is tantum sit, ac esse in-
» telligitur, qui naturaliter ortus non fuerit ex acci-
» denti, occasione nimirum itineris, officii, legatio-
» nis, mercaturae, vel cujusvis temporalis morae,
» seu permanentiae ejus Patris in illo loco; quo casu
» nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tan-
» tum et naturalis Patris origo erit attendenda ».
II.° Quoad *domicilium* subdit: « Subditus autem ra-
» tione domicilii ad effectum suscipiendi Ordinis is
» dumtaxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit,
» illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo
» loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando,
» vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem
» cum instructis aedibus in locum hujusmodi transfe-
» renda, ibique insuper per aliquod considerabile
» tempus commorando satis superque suum perpetuo
» ibidem permanendi animum demostraverit, et ni-
» hilominus ulterius utroque casu se vere et realiter
» animum hujusmodi habere jurejurando affirmet ».
De Titulo beneficii, sic statuit: « Volumus, ut
» beneficium praedictum hujus sit reditus, ut ad con-
» gruam vitae substentationem, sive juxta taxam
» synodalem, sive ea deficiente juxta morem Re-
» gionis, pro promovendis ad sacros ordines, de-
» tractis oneribus per se sufficiat, illudque ab or-
» dinando pacifice possideatur, sublata quacumque
» facultate supplendi, quod deficeret fructibus ejus-
» dem beneficii cum adjunctione patrimonii etiam
» pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem seu quavis

(1) *Die 6. Novembris 1694.*

» alia dioecesi obtineret; ac Episcopus sic ordinans
» de reditu beneficii hujusmodi expressam in consue-
» ta collatorum ordinum attestatione mentionem fa-
» cere debet ».

Ad *familiaritatem* quod spectat, haec decreta haben-
» tur: Familiarem suum alienae dioecesis subditum nul-
» lus Episcopus ad aliquos sacros, seu minores ordines,
» vel etiam primam tonsuram promovere praesumat,
» nisi ad praescriptum Concilii Trid. illum per inte-
» grum et completum triennium in suo actuali servi-
» tio retinuerit, et suis sumtibus aluerit. Beneficium
» insuper, quod ei ad vitam sustentandam sufficiat,
» intra terminum unius mensis a die factae ordinatio-
» nis, reapse illi conferat, ac in ordinationibus hu-
» jusmodi testimonio expressum familiaritatis men-
» tionem facere teneatur (a) ».

Ordinans alienum dioecesanum, vel contra formam ab Innoc. XII praescriptam, dicta Const: a collatione ordinum suspenditur per annum: ordinatus vero a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur, suspensus est (1). Qui sine sui superioris licentia, nonnisi dioecesis alienae, clericalem tonsuram confert, per unum annum a collatione ejusdem tonsurae suspensus est (2).

(a) In triennio supputari licebit etiam tempus familiaritatis ante Episcopatum cum ordinante ipso habitae, uti ex pluribus ante Bullam decretis S. Congr. Vide Rigant et Gallemart in declarat. c. 9. sess. 23. Trid. n. 2. Inservire autem opus habet vel in una eademque domo, vel in eadem saltem urbe, in qua residet Episcopus. Corrad. in prax. disp. lib. 4. c. 5. n. 60.

(1) *Trid. sess. XXIII c. 8. de reform. et c. 2. de temp. ord. in 6.*

(2) *C. fin. de temp. ord. in 6.*

De ordinationibus Episcoporum Anglicanis.

Nullas omnino atque irritas facile erit deprehendere ordinationes Anglicanas, cum constat non perdurare adhuc, sed jamdiu veram successionem Episcoporum in Anglia defecisse; id magis patet si Rituali, attendatur, quod nomine et auctoritate Eduardi IV in illis ordinationibus usurpatur. Revera nonne potestas ordinis et jurisdictionis, saltem quoad originem seu institutionem, in Episcopos immediate a Christo dimanat? nonne Christus ipse distincto civili ab ecclesiastico imperio, illi nullam dedit spiritualem in Ecclesiam potestatem, qua potiri potuisset Eduardus? Hujus Rituale formam exhibet substantialiter corruptam, et haereticam pugnantem cum fine et effectu Sacramenti; igitur non apta validitati ipsius. Et quidem in ea Regem supremum Anglicanae Ecclesiae profitetur, solam Scripturam, exclusa traditione, regulam credendorum, spiritum privatum legitimum judicem illius, Primatus Romano Pontifici denegatur, imo in Litaniis ejusdem Ritualis *a Tirannide Romanorum Pontificum libera nos Domine*, dicitur. Tum, ut consecrandus in his erroribus persistat et haeresibus, deprecatur *Deus omnipotens. . . . concedat insuper vires ac facultatem ad haec omnia praestanda* (1). Hinc merito Romana Ecclesia sancivit, ut quoties Minister aliquis Anglus ad catholicam redeat Ecclesiam, si dignus sit, qui in clerum cooptetur, tamquam merus laicus omnes suscipere ordines debeat secundum Rit. Rom. leges (a).

(a) A Romana Communione desciscens Henricus IV Angliae

(1) *Ita ex Rituali ut ipse Courayerus P. II. pag. 36. enarrat.*

Rex ann. 1534 seipsum Anglicanae Ecclesiae supremum caput declaravit in temporalibus et spiritualibus lege etiam lata a Senatu, seu *Parlamento* obsecundante. In causa fuit dissolutio matrimonii jam contracti XXV abhinc annis cum Catharina Aragonensi, a qua liberos etiam susceperat; ob turpem et inverecundum amorem in Annam de *Boulen*, quam in uxorem ducere volebat, quod juste proinde semper a S. Sede fuerat denegatum. Qui etsi nihil de Rom. Rituali mutavit, tamen sub Eduardo VI ejus filio ex Joanna *Seimour*, Granmerus qui ab Henrico VIII renuntiatus fuit Archiepiscopus Cantuariensis ann. 1532 solutum pronuntiavit illius matrimonium, et cum Bolena eundem copulavit, qui etiam virgine desponsata, caput schismatis Anglicani fuit et omnia pene suo marte composuit. Tandem ann. 1556 sub Maria haereseos et criminum reus, igni traditus. Barlovvius et alii haeretica mente haereticum composuerunt Rituale, quod dicitur Rituale Eduardi VII a pseudo-Synodo Londinesi adprobatum, et ex eo ordinarunt: ex Rituale nimirum non solum privato errore exarato, et ab iis qui impietati adhaerebant, sed cum illegitima etiam *essentialiter* forma, et in nomine schismatis cujusdam coetus. Unde vis Sacramenti clare infertur nullo constare modo.

Nec tamen inficias ibimus, sub Maria regnum jure sanguinis adepta ann. 1552 per Cardinalem Polum Anglia reconciliata cum S. Sede decreto *Parlamenti* ann. 1553, priorem ordinationis et liturgiae ordinem restitutum fuisse; attamen post quinquennium sub Elisabeth quae illi successit, Henrici et Bolenae nata, decreto *Parlamenti* ann. 1559 Rituale Eduardi VI infeliciter revocatum. Quod hodie obtinet; et quamvis alicubi sub Carolo II ann. 1652 aliquam reformationem passum, nihil tamen detractum, sed aliqua tantum coeremonialia ipsi adjuncta constat, uti videre est apud ipsum Covrayerum Gallum hominem certe studiosum Anglorum partium dissert. *sur la validité des ordinantions des Anglois et sur la succession des Evéques de l' Eglise Anglicane edita ann. 1723.*

CAPUT XIII.

DE ORDINANDIS.

CONCLUSIO PRIMA

Conditiones ordinandorum expenduntur.

Juri exclusivo Episcoporum ordines conferendi respondet obligatio providendi, ut idonei tantum ordinentur, illi nempe qui conditionibus positivis jure requisitis sint praediti ad ordines recipiendos et exercendos. Distinguuntur vero conditiones quae ad valorem ejusdem sunt necessariae, quaeque ideo repeti non possunt; et quae ut sint licitae ex praescripto canonum requiruntur. Necessariae ad valorem sunt 1.° sexus masculinus, ita enim ab Ordinibus et mulieres excluduntur et *Hermaphroditae* (qui nempe aeque, vel magis de foeminae sexu participat) ut nulla prorsus sit eorum ordinatio. *Mulieres in Ecclesiis taceant* ait Apostolus (1) unde damnati fuere ab Ecclesia Donatistae, aliique haeretici in diversum abeuntes sensum (a). 2.° Baptismus, fit namque per eum aditus ad cetera Sacramenta. *Si quis Presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur et*

(a) Medii aevi Subdiaconissas, Diaconissas, Presbyteras, Episcopas, dixerunt uxores eorum, qui post contractum matrimonium, et ipsis consentientibus ordinati fuerunt in subdiaconos etc. interdicto in posterum matrimonii usu. In Veteri Ecclesia Diaconissae dicebantur quae ad varia ministeria deputabantur, adhibita pia coeremonia, nimirum ut imperitis mulieribus fidei rudimenta exponerent, easque in baptismo adjuvarent: viduarum pauperum cum diaconis curam gerebant: mulieribus locum designabant in Ecclesia etc.

(1) *1. Cor. 14.*

iterum ordinetur; decretum proinde fuit (1). 3.° Ut non sit positive invitus; et patet ex dictis (2).

Quae conditiones aliae requisitae, ne fiat illicita ordinatio, variae sunt et 1.° aetas quamvis major et maturior ordinibus majoribus desideratur, pro prima tonsura anni discretionis tantum legitimam aetatem faciunt (3), ita ut infanti (h. e. annis minori) nisi forte religionem intraret conferri non possit. Nec ulterior determinatio pro ea reperitur acta. Vide quae diximus de prima tonsura pag. 168.

Pro minoribus ordinibus nec certa aetas definitur per canones; imo antiquo jure impuberibus ipsis conferre licitum erat (a), quod nec variare Trid. censuit: unde apposite Pontificale Rom. monet, primam tonsuram, et minores ordines ante septennium completum dari non debere. At nonnulla Dioecesanae Synodi et Concordatum, ut ex dictis patet, fere pubertatem requirunt; requiritur tamen ex Trid. ipso ut minoribus initiandi saltem linguam latinam intelligant, eosque scientiae spes majoribus dignos ostendat. Pro his majoribus tandem ordinibus, etsi varia fuit Ecclesiae disciplina, e praesentibus Ecclesiae latinae regulis hypodiaconi anno aetatis vigesimo secundo, diaconi vigesimo tertio, et presbyteri vigesimo quinto initiantur, sufficitque annum esse inceptum ex Tri-

---

(a) Zosimus Papa can. *Singulis* dist. 57. Acolythos, vel Subdiaconos XIV aetatis anno, antea per quinquennium in Lectoris, et Exorcistae gradu versatos ordinari sic rescripsit: *Si ab infantia ecclesiasticis ministeriis nomen dederint; ut inter* Lectores et Exorcistas *quinquennio tenentur*: *exinde* Acolythus vel Subdiaconus *14 annis fiat.*

(1) *Decretal. l. 3. tit. 43. c. 1.*

(2) *C. III. concl. 1. pag. 29.*

(3) *C. fin. tit. de temp. ord. etc. in 6.*

dentino(1). Ad Episcopatum requiritur trigesimus completus ex dispositione Concil. Lateran. (2) excipe postulatum, pro quo vicesimum septimum aetatis annum expletum sufficit ex dispositione juris (a)

Praeterea ut sit confirmatus oportet ex Trid., quod tamen non videtur sub gravi exegisse, uti Suarez(3), Barbosa (4); quidquid alii sentiant. Adhaec scientia requiritur, de qua agentes de irregularitatibus redibit sermo, proindeque tantum hoc in loco monere juvat, quod pro diaconatu clericum esse instructum oportet litteris, et iis, quae ad ordinem suum exercendum pertinent, ex Trid. (5). Pro presbyteratu, ut possit populum instruere in necessariis ad salutem, et Sacramenta administrare ex eod. Trid. (6) (b). Insuper ut non sit uxoratus, necesse est, nisi accedat consensus uxoris vel religionem ingredientis, vel saltem votum castitatis emittentis, ut inferius de obligationibus disserentes patebit. Adhaec ordo debitus, et carentia omnis canonici impedimenti, de quibus agere nostrum erit sequenti vol., ubi de irregularitatibus disputabitur (c). Demum titulus ecclesiasticus, de quo seqq. concl.

(a) Solet dispensationem super aetatem indulgere Summus Pontifex; et pro presbyteratu quidem super defectu mensium tredecim aetatis, ob consolationem devotionis ordinandi, ejusque parentum; ob penuriam Sacerdotum, ob utilitatem egregiam Ecclesiae, ob arctationem beneficii actualis: ad plures autem menses nonnisi urgente causa probabili raro indulget alicui. Taxa cum agentia sunt circiter 11 scuta.

(b) In religioso ordinando minor scientia requiritur; nam ex Glossa in can. *Legis Epistola* 36. c. 16. q. 1. ad Verbum *instructio* ait: sufficit Monacho quod tantum bonus sit, licet sit illiteratus.

(c) Exercitia requiruntur etiam spiritualia decem dierum, quae

(1) *Sess. 22. de reform. c. 12.*

(2) *Cap.* Cum cunctis *de electione, et electi potestate.*

(3) *De Sacr. D. 38.*

(4) *Alleg. 2. n. 13.*

(5) *Sess. 23. c. 15.*

(6) *Cit. loc. c. 14.*

CONCLUSIO SECUNDA

Titulus mensae sive ecclesiasticus distinguitur, expenditur* (a), *et necessarius demonstratur.

Antiqua erat disciplina, quae clericos omnes certis Ecclesiis adstringit, ubi perpetuo deservirent; et ita clerici iidem una, et perpetua lege in Ecclesiis suis immorari tenebantur (1). Nec permittebatur, ut duabus Ecclesiis unus eodem tempore adscriberetur, nisi in villis ob hominum penuriam (2). Hinc ordinatio nonnisi ad titulum fieri poterat, seu cum designatione Ecclesiae, uti ordinatus deserviret, et ab ea victualia reciperet (b). Hanc disciplinam confirmavit praeter alia Concil. Chalced. can. IV, *Eos autem, qui absolute ordinantur* (idest nulla designata Ecclesia cui servire deberet) *decrevit Sancta Synodus irritam, ac invalidam haberi hujusmodi manuum impositionem, et nunquam exerceri, ac operari posse ad ejus, qui ordinavit, injuriam* (c). Quamvis vero

---

ab initiandis sacris ordinibus praemitti debent ex decr. S. Cong. quae referuntur a Bened. XIV Inst. Eccl. Inst. 104, quae quamvis respiciant solam Italiam, et Insulas adjacentes: attamen Episcopi extra Italiam idipsum ab ordinandis observari mandant; et merito pro status gravitate, et periculis.

(a) Titulus habet eandem significationem in monumentis sacris, ac Ecclesia. Hinc ordinare aliquem sine *titulo* idem erat, ac ordinare nulla designata Ecclesia, cui perpetuo addictus esse, et inservire deberet ordinatus; quod *absolute* ordinare dicebatur.

(b) Solum ab Episcopis coarctati ob bonum Ecclesiae universalis, uti Hieronymus, et Paulinus Barcinonensis reperiuntur sine titulo ordinati.

(c) Irrita et vacua in veteri disciplina videtur fuisse ordinatio, quae nulla esset a principio: quamvis post saec. XII coeperint la-

(1) *Concil. Arelat. 1. c. 21. Carthag. III. c. 57.*

(2) *Concil. Chalced. c. 10. Nicen. 11. can. 15.*

deinceps institutis beneficiis saepe canones jubent, clericos ad titulum beneficii ordinari, hoc idem, ac titulum Ecclesiae denotat; nam beneficia perpetua clericos Ecclesiis addicunt. Hinc disciplina eadem, quae clericos omnes ad titulum ordinari praecipit, ad saeculum ferme XI stetisse videtur. Sequenti saec. XII et deinceps, nexu clericos inter et Ecclesiam abrupto, sine titulo frequentes evaserunt ordinationes, postquam beneficia seorsim ab ordinatione data sunt. Huic malo occurrens Concil. Lateranense III sub Alexandro III ad disciplinae reparationem, Episcopos poena plectens presbyterum aut diaconum sine certo titulo ordinantes, statuit (1) *tamdiu ei necessaria vitae subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis adsignet: nisi talis ordinatus de sua vel paterna hereditate subsidium vitae possit habere* (a).

Ast male intelligentes hujus aetatis interpretes hoc decretum, quin titulus ordinationis remitteretur juxta mentem concilii, putarunt potius posse Episcopos etiam sine Ecclesia ordinare clericos, modo ipsi divites essent, ita ut indiscriminatim vel beneficii, vel patrimonii titulus ad ordinationem sufficeret (2). Ab eodem ergo saeculo XII, inducto patrimonii titulo, cle-

---

tini irritas, et vacuas ordinationes sic interpretari, quae vacuae usu essent, sed quae ab initio valerent. Ordinationes absolutae interim in Episcopis etiam *titularibus* usurpatae sunt; ordinantur enim ad titulum Ecclesiae, cui nec intendunt, nec deservire possunt. Et ideo *titulares* non a titulo, sed a nudo Episcopi titulo.

(a) Ab hac poena liberari Episcopum, si clericus obtineat beneficium, non item si ex bonis patrimonialibus obtineat, unde vivere honeste possit ex jure novissimo Trid. ostendit Rigant ad Regul. 24. §. num. 192.

(1) *C. 4. Episcop. ex tit. de praebend.*

(2) *C. 23. ex de praeb.*

ricorum vagantium, et inertium multitudo emersit, et exinde titulus patrimonii acceptus fuit pro redditibus, unde clerici haberent alimenta (1).

Novis his incommodis obviam ivit Trid. quod statuit (2). *Ne quis deinceps saecularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. . . . Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari post hoc non possint, nisi illos, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum* (a). Verum in extimanda hac necessitate, aut utilitate faciles fuere judices, plures inde clericos crearunt, quam servitium Ecclesiarum postulabat; pluraque simul redierunt incommoda ex vagantibus et instabilibus clericis; quos ordinare non posset Episcopus titulo patrimonii in hoc regno, pactis conventis inter Benedictum XIV et Carolum olim Regem nostrum (3), nisi in vera necessitate tantum, aut utilitate Ecclesiarum. Ultimo concordato denique hujus ipsius regni art. XXI eadem disciplina comprobata fuit his verbis: *Archiepiscopi et Episcopi... Clericos de necessario patrimonio, aut alio canonico titulo provisos, quos suis dioecesibus necessarios, aut utiles judicaverint ad sacros ordines promovebunt, servatis tamen cautelis, et praescri-*

(a) S. Congr. Concil. apud Fagnan. in c. 4. de presbyt. n. 24, ex sententia Trid. recte definivit, beneficium titulum legitimum, atque *ordinarium* esse, titulum vero patrimonii ac pensionis esse *extraordinarium*, ac veluti ex dispensatione admitti pro utilitate, aut Ecclesiae necessitate Episcopi judicio.

(1) *Espen part. 2. tit. 9. c. 6.*

(2) *Sess. XXI. cap. 2. de reform.*

(3) *Cap. IV. n. 1.*

ptionibus in decreto die primo Julii ann. 1623 a S. M. Greg. XV lato, nec non c. 4. conventiones ann. 1741 cujus titulus est. « Requisiti de' promovendi », quibus per praesentem conventionem non derogatur (a).

(a) Caput IV praedictum juvat heic exscribere; constituit namque praesentem disciplinam.

« Art. I. Niuno potrà essere da ora innanzi promosso alla prima tonsura, se non che a titolo di beneficio o cappellania perpetua, le di cui rendite, detratti i pesi, ascendano alla metà della tassa stabilita pel patrimonio sacro nella diocesi del promovendo.

Art. II. Giudicando qualche Vescovo veramente utile o necessario alla Chiesa conferir la prima tonsura a qualche giovane, benchè non abbia verun beneficio, potrà farlo; ma nel solo caso che abbia il medesimo una pensione ecclesiastica perpetua della rendita, che ascenda almeno alla metà della tassa stabilita pel Patrimonio sacro nella sua diocesi, o l'intero Patrimonio, il quale, per evitare qualunque frode ed inganno, non potrà costituirsi da ora innanzi, che unicamente sopra beni stabili, o sopra annue rendite fisse, e dovrà regolarsi a tenore della tassa sinodale di ciascuna diocesi, purchè non sia esso patrimonio nè in minor somma di 24 ducati, nè in maggior di 40.

Art. III. Oltre al requisito del Beneficio, Cappellania perpetua, o Pensione Ecclesiastica perpetua, nella maniera spiegata di sopra, o dell'intero patrimonio, a niuno potrà conferirsi la prima tonsura, il quale dopo aver terminato dieci anni di sua età, non sia andato a dimorare almeno per un triennio in qualche Seminario, o Convitto Ecclesiastico, e, dove ciò non possa farsi, non abbia almeno portato per tre anni l'abito clericale con licenza del proprio Ordinario, ed in tutto il triennio, o almeno per la maggior parte delle feste di precetto di ciascuno de' tre anni, non abbia servito a qualche Chiesa, nella maniera che gli sarà dal proprio Vescovo prescritta, computando questo servizio con la dimora, che avrebbe dovuto fare in qualche Seminario o Convitto Ecclesiastico.

Art. IV. Volendo qualche giovane condursi in qualche pubblica Università, o in altro luogo a fine d'ivi applicarsi alle scuole, ed agli studii, potrà farlo: ed il tempo, che ivi dimorerà potrà servirgli di requisito a fine di prendere la prima tonsura, come se stesse in un Convitto Ecclesiastico; purchè però lo faccia con la permissione del proprio Vescovo, e con le sue lettere com-

Altero hoc titulo nempe *patrimonii*, nec non beneficiis simplicibus jam institutis ut advertit Benedictus

mendatizie si presenti al Vescovo del luogo; e con la direzione di questo si faccia assegnare al servizio di qualche Chiesa, portando l'abito clericale, e prestando quivi per un triennio, o almeno per la maggior parte di ciascuno de' tre anni, come sopra, quel medesimo servizio alla Chiesa assegnatagli, che presterebbe, dimorando nella propria Diocesi: con condizione espressa, che volendo essere iniziato alla prima tonsura, debba ottener le lettere testimoniali del Vescovo del luogo, dove ha dimorato, *de vita, et moribus*, e di aver esattamente adempito quanto gli è stato prescritto, a vista delle quali potrà essere promosso.

Art. V. Dal qual obbligo si debbono eccettuar solamente coloro che sono artati, cioè a dire, che sono chiamati in virtù della fondazione a qualche Beneficio, o qualche Cappellania Ecclesiastica vacante: i quali potranno promoversi alla prima tonsura, quantunque non abbiano potuto osservar la regola prescritta, cioè l'uso dell'abito clericale, la frequenza delle scuole e de' Sagramenti, ed il servizio triennale della Chiesa, e benchè non abbiano l'età ne' precedenti articoli determinata, ove si tratti di benefizii fondati prima del Sacro Concilio di Trento: con dichiarazione in oltre che dalle disposizioni sopraccennate s' intendano eccettuati coloro che sono artati, nel solo caso in cui il Beneficiò, o la Cappellania sia veramente Ecclesiastica, cioè fondata coll'autorità ecclesiastica, perpetua, e debba provvedersi *titulo collativo*, o d'istituzione, e che i patroni di essi non possano differire oltre al tempo stabilito dai Sacri Canoni la nomina e presentazione ai medesimi; e con condizione finalmente, che le rendite di detti Beneficii, e Cappellanie ecclesiastiche debbano, detratti i pesi, costituire almeno la metà di quel che importa la tassa del patrimonio sacro stabilita nella propria Diocesi del promovendo.

Art. VI. E perchè talvolta essendo molti chiamati allo stesso Beneficio, o Cappellania ecclesiastica, sono gli ordinarii costretti a conferire a tutti la prima tonsura a fine di renderli capaci del Beneficio, o della Cappellania, donde ne siegue l' inutile moltiplicità dei clerici, non potendo il Beneficio o Cappellania conferirsi che ad un solo: perciò quando questo accade, da ora innanzi basterà, che presentandosi nel tempo compreso avanti il proprio Ordinario coloro che pretendono aver dritto al controverso Beneficio, o Cappellania, e ritrovandosi dal medesimo idonei così *quoad scientiam*, che *quoad bonos mores*, e che non abbiano impedimento canonico, per esser promossi alla prima tonsura:

XIV (1) retineri lex antea Chalced. allata non potuit; ideo praeter Innoc. XIII (2) et Bened. XIII (3)

in virtù delle quali potranno essi instituire la loro pretensione, e proseguir la causa avanti al Giudice ecclesiastico anche in concorso di clerici pretendenti; appunto come se avuta avessero già la prima tonsura: la quale potrà poi conferirsi a colui che terminata la causa, avrà ottenuto il Beneficio, o Cappellania, riputandolo a tale effetto artato, e facendogli godere quei privilegii che ai medesimi di sopra sono stati conceduti.

Art. VII. Dopo essere stati così ordinati alla prima tonsura, dovranno tutti i Clerici, compresi anche gli artati, seriamente applicarsi allo studio, come alle opere di pietà, per rendersi degni di ascendere agli Ordini sacri, avendo l'età legittima: al quale effetto dovranno continuare a dimorare in qualche Seminario, o Convitto ecclesiastico, e non potendo ciò fare, dovranno almeno prestare per ogni anno, o per la maggior parte di esso come sopra, nella Chiesa loro assegnata dal proprio Ordinario, quel servizio che dal medesimo verrà loro prescritto; o dimorando in qualche Università, o altro luogo, per proseguir le scuole e gli studii, dovranno adempir quelle medesime cose di sopra ordinate per coloro che debbono essere iniziati alla prima tonsura.

Art. VIII. Dovranno tutti i Clerici così di prima tonsura, come di Ordini minori far costare nel principio di ogni anno avanti gli Ordinarii de' luoghi, nei quali hanno il domicilio, di avere osservati i requisiti del S. Conc. di Trento intorno all' abito, e tonsura clericale, ed intorno a tutte le altre cose stabilite di sopra: e ciò mediante l' attestazione del proprio Rettore, o Superiore del Seminario, o Convitto Ecclesiastico, per quei che sono in Seminario o in Convitto Ecclesiastico; e per quei Clerici, che non sono in Seminario, nè in Convitto Ecclesiastico, mediante le attestazioni dei Parrochi, e Rettori delle Chiese, alle quali sono ascritti, intorno all' uso dell' abito, e tonsura clericale, frequenza de' Sagramenti, e servizio della Chiesa; e con le attestazioni dei Maestri, e Lettori intorno alla continuazione delle scuole, e studii, ed all' uso dell' abito e tonsura clericale. Ed all' incontro dovranno gli stessi Ordinarii tener pubblicamente appesa nella Sagrestia della lor Cattedrale, affinchè possa da tutti leggersi, una tabella in cui dopo di aver riconosciuta

(1) *De Synod. lib. 11. cap. 2.*
(2) *Const.* Apostolicis muneris *54. t. II. Bull. ult. edit.*
(3) *Const.* In suprema militantis *51.*

Tridentinum (1) renovavit eandem tali sensu nimirum:

---

la sussistenza delle dette attestazioni, le quali dovranno rimanere nella loro Cancelleria; faranno scancellare dalla medesima ogni anno i nomi di coloro che ritroveranno non avere esattamente osservati i requisiti predetti: e per lo contrario faranno registrarvi i nomi solamente di quei che gli avranno osservati, ai quali consegneranno ogni anno *gratis* una declaratoria in iscritto, acciocchè possa da' medesimi senz' alcun contrasto godersi di tutti i privilegii clericali. De' quali privilegii all' incontro non goderanno quei Clerici di prima tonsura, o di ordini minori, che per non avere osservati i suddetti requisiti, saranno stati cancellati dalla detta tabella da tenersi pubblicamente in Sagrestia, e non avranno la menzionata declaratoria del Vescovo.

Art. IX. I Vicarii capitolari non potranno da ora innanzi senza il voto del pieno Capitolo, da darsi nel luogo solito Capitolare per maggioranza di voti segreti, da calcolarsi secondo il costume di ciascun Capitolo; e da registrarsi negli atti capitolari, concedere le lettere dimissoriali a' laici, benchè sieno realmente artáti per ragion di Beneficio, o di Cappellania, che sia veramente ecclesiastica nel modo spiegato all' art. V, o pure a coloro che avendo già la prima tonsura, sono presentati a qualche Beneficio, o Cappellania, che *actu requirat certum ordinem:* e con l'espressa condizione che così nell' uno, che nell' altro caso colui che chiede di esser promosso, non sia stato altre volte rigettato dal Vescovo antecessore, ma, ove si tratta di persone che non sono veramente artate nel senso di sopra accennato, non potranno concedere le lettere dimissoriali, nè pure *post annum luctus Ecclesiae*, senza una espressa licenza della sacra Congregazione del Concilio.

Art. X. Chiunque sarà promosso alla prima tonsura, agli Ordini minori, o agli Ordini sacri contro la forma prescritta nel presente regolamento, oltre alle pene di sopra accennate, rimarrà perpetuamente sospeso dall' esercizio dell' Ordine già conferitogli, e chi l' avrà così ordinato, o pure gli avrà a tale effetto concedute le dimissorie, se sarà Vescovo, sarà sospeso per un anno dalla collazione degli Ordini, e dall' esercizio de' Pontificali, e non essendo Vescovo ma Prelato inferiore con l'uso de' Pontificali sarà sospeso per sempre dall' esercizio de' medesimi, e non

(1) *Sess. XXIII. de reform. c. 6.*

ut omnes clerici in ordinatione certae Ecclesiae adscriberentur, et quamvis non ita ut praeceptum a Concil. Chalced. fuit; tamen clericus servire debet Ecclesiae cui in ordinatione adscriptus est, praesertim si ea Parochialis sit; in hac enim debet exercere ordines susceptos; Parocho operam praebere dum pueros rem christianam docet cum sacris muneribus fungitur in Ecclesia etc. (a).

Tertius est titulus *Paupertatis* ex Pontificali Rom. ad quem ordinantur Religiosi Professi approbatae Religionis (1), et Religiosi Societatis Jesu post emissa vota simplicia Religiosa (2). Triplex ergo est titulus ordinationis nimirum *Beneficii*, *Patrimonii*, et *Paupertatis* (b).

---

avendo l'uso di essi, come pure qualunque altra persona constituita in dignità, per sempre sarà sospesa dall'esercizio dell'officio, e de' suoi ordini ».

(a) Graecos tum Orientales, tum Occidentales haec lex Patrimonii obstringit, vel beneficii. Eosque non posse dotem uxoris loco tituli adsignare definivit Bened. XIV Const. *Etsi pastoralis* 3. tom. 1. Bullar.

(b) Alius est titulus nempe *Mensae* absolute dictae ubi consuetudo viget eo ordinari: hujus vi vel Princeps territorialis vel civitas quaedam aut Monasterium per litteras sese obligat praestare in subsidium tali clerico necessaria alimenta, quando hic prae infirmitate, vel decrepita aetate vel alia de causa amplius se sustentare non posset. At pro casu quo ordinatus tali titulo reduceretur ad impotentiam, et sublevari non posset ab illo qui titulum mensae constituit, teneretur Ordinans talem providere de bonis Ecclesiarum ex c. 2. 4. et 6. de Praebend. et dignitatib.

(1) *C. 1. d. 70.*

(2) *Greg. XIII. in const. Ascendente Domino.*

CONCLUSIO TERTIA

Quae ad beneficia, Patrimonium, et paupertatem pertinent ut titulum ordinationis praestent jure communi subnotantur.

Et primo quoad beneficium jure communi opus est, ut pacifice et actu possideatur illud, et sufficiens ad honestam sustentationem sit sive juxta taxam Synodalem, sive ea deficiente juxta morem Regionis, detractis oneribus ex Trid. et Innoc. XII. Num vero detrahi onera missarum etiam debeant? declaratum fuit a S. Cong. id relinquendum esse conscientiae et arbitrio ordinariorum ut refert Bened. XIV (1) nimirum ut inspectis personarum et locorum conditionibus vel singulis in casibus, vel generatim in Synodo definiant. Insufficientia beneficii potest etiam per patrimonium suppleri; ita ut Ordo confertur legitime titulo beneficii simul et patrimonii ex declaratione S. Congr. apud eundem Bened. XIV (2). Hoc titulum nequit resignari, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus, nec constet prius quod aliunde commode vivere possit, sub nullitate actus ex Tridentino (3). Abutens eo, seu conveniens cum collatore beneficii, vel cum illo qui resignare ipsi vult suum beneficium, quod fructus beneficii minime velit percipere, ut hoc modo faciliorem sibi sternat viam ad obtinendos ordines; talis ipso jure est suspensus, adeo quod nec ad superiores ordines possit ascendere,

---

(1) *De Synod. lib. 7. c. 79. n. 6.*
(2) *Inst. Eccl.* Itaque rejectis.
(3) *Sess. XXI. de reform. c. 2. et inter declarat annexas Trid.*

*

nec in suscepto ministrare, nisi obtenta a Sede Apostolica dispensatione ex Bened. XIV (a).

Quoad *Patrimonium* (b) haec tenenda nimirum 1.° quod nequit sine Episcopi licentia alienari, aut exin-

(a) Nomine beneficii hic et capellania venit perpetua, aut pensio ecclesiastica, aut Vicariatus perpetuus sub iisdem conditionibus ac in beneficio. Unde nec litigiosi sint oportet etc. Coadjutoriam quoque cum futura successione Canonicatus Dignitatis, Personatus, ex qua Coadjutor portionem congruam fructuum, vel pecuniae accipiat, idoneum ordinationis titulum censuit S. Congr. Concil. in Elleborensi 23 Aug. 1731. De mobilibus capellaniis et manualibus ex S. Congr. ejusdem judicio, praesertim in Bariensi 2 Julii 1641. Corrad. in praxi benef. lib. 1. c. 2. nisi patroni aliquam sui patronatus haereditarii Capellaniam ordinando contulerint in perpetuum cum pacto eum nunquam amovendi, vel consenserint eam perpetuo ordinationis titulo subjici, illae non sunt idoneae. Diximus patronatus haereditarii, quia haeredes factum defuncti nequeunt revocare. De patronatu familiari aut gentilitio quem consanguinei successores non beneficio ac voluntate morientium possessorum, sed jure proprio nanciscuntur vide Pitonium de controv. patron. alleg. 100. num. 47. At publica necessitas fecit ut eadem S. Congr. ordinationem titulo capellaniae gentilitiae et mobilis indulgeret, spondentibus patronis ordinandum vita durante non amoturos praesertim in Mutinensi 17 Decemb. 1690 et alibi. Vide Monacell. t. 2. tit. 13. form. 13. n. 17.

Demum sint oportet pensiones a Sede Apostolica jure perpetuo reservatae et concessae ad Pensionarii vitam super alicujus beneficii, vel Ecclesiae fructibus; nam quae ob bonum pacis ad conciliandos animos contendentium in foro episcopali patronorum pluriumque ab eis presentatorum; vel ob paupertatem benemeriti clerici, vel permutationem inaequalium beneficiorum reservantur aliquando ab Episcopo, ex traditis a Card. de Luca de pension. disc. 40. et 41. et aliis; illae moriente Beneficiario titulari extinguuntur, nec successorem afficiunt, quamvis supravixerit pensionarius.

(b) Hujus nomine intelliguntur bona propria clerici quocumque titulo legitimo actu acquisita, et immobilia, et sufficientia ad honestam sustentationem, quae proin alienari non possunt. Nec sufficit, si persona privata tantum se obliget (aliter dicendum

gui, aut remitti, aut subjici oneribus (a) nisi vel ordinatus beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit ex Trid. (1). 2.° Alienatio patrimonii propria auctoritate facta, vel etiam de licentia Episcopi, non facta mentione in instrumento alienationis, quod ejus titulo fuerit ordinatus, ipso jure nulla est ex declar. S.

---

de principe vel communitate uti diximus) cautione sacramentaria, se velle singulis annis tantum dare quantum sufficit ad sustentationem; sed requiritur cautio realis, seu res actu assignata libera, ac frugifera pro sustentatione sufficiens ex Trid.: quae pensio non quidem stricte est titulus patrimonii, sed ex consuetudine ipsi substituitur, et *simpliciter* titulus mensae dicitur. Sufficiunt census annui etiam quamvis redimibiles arbitrio debitorum: dummodo sors capitalis tanta sit, quae in casu restitutionis valeat aequalem patrimonio fructum afferre; eoque pacto erit restituenda, ut rursus in fructiferam emptionem impendatur S. Congr. in *Nullius* 1629. Ursaya t. 5. p. 1. discept. 9. num. 8. Jure tamen novissimi Concordatus annui redditus non sunt apti ad constituendum patrimonium quia reputantur inter mobilia, dum pactis illis conventis requiruntur bona immobilia.

(a) Decreto 1. Oct. 1840 pro Regno Neapoli sic dictum fuit: » Considerando che la rendita del sagro patrimonio avuto riguar- » do alla sua destinazione ricade essenzialmente n elle disposizio- » ni dell' art. 671 delle LL. pr. ne' giudizii civili (per le quali non » è permesso di sequestrare le somme date o lasciate a titolo di » alimenti): Veduto il parere ec.

Art. 1. Le rendite costituite in sacro patrimonio non sono sequestrabili.

Item ann. 1843 15 Januar. decreto cautum fuit quod exscribimus. « Veduti gli articoli 885 e segg. delle LL. CC. concernenti la rivocazione delle donazioni tra vivi a cagione della sopravvenienza de' figli del donante il quale non ne avea al tempo della dotazione.

Volendo conciliare la regola contenuta ne' citati articoli colla fermezza del godimento del patrimonio sacro costituito in virtù di atto di donazione, ed il quale per sua indole non può ricevere alterazione durante la vita del chierico donatario. Veduto il parere ec. Sulla prop. ec.

Abbiamo risoluto di decretare e decretiamo

(1) *Sess. XXI. de reform. c. 2.*

Congr. (a). 3.° Abutens eò, id est conveniens cum Patrono de Patrimonio non utendo, vel eo post susceptos ordines restituendo, vel illo ad certas tantum annos habendo, vel de fructibus ejus alteri cedendis, peccat graviter nec tenetur stare tali pacto et conventioni nisi juxta aliquos DD. (1) postquam ordinatus aliunde idoneas quaesiverit facultates; nam pactiones privatorum illegitimae nequeunt juri publico clericalem decorem tuenti derogare, simulque ei qui fallere attentavit Ecclesiam sua fraus non debet patrocinari.

Ordinatus titulo patrimonii vel mensae simpliciter debet instrumentum confectum exhibere Episcopo. Illud publicari in Ecclesia aliquo die festo debet quando magnus habetur concursus populi inter Missarum solemnia, et admoneri populus, ut Episcopo etiam secreto patefiat, si forte advertatur, quod bona illa non sint ejus naturae, nec eum fructum afferant.

Art. 1. Le donazioni di solo usufrutto le quali saranno fatte in avvenire a titolo di patrimonio secro non saranno rivocate *ipso jure* nè revocabili finchè viva il donatario.

(a) Neap. Synodus Provincialis Card. Cantelmi nedum alienationes istas ac resignationes ipso jure nullas declarat, sed alienantes insuper suspensos dixit ab ordinibus exercendis. Observandum tamen patrimonii bona fere post adeptum beneficium non redire continuo ad donantem quasi defuerit jam causa donandi: id quod jura disponunt in donationibus alimentorum quae personales fere ac temporaneae ita judicantur, ut vel morte, vel meliore donatarii fortuna evanescant. *L. Mela 14. D. de alim. et cibar. legat.* Nam nisi donans regressum aperte sibi eo casu reservaverit: donatarius ita suum facit perpetuum patrimonium, ut illud ad alios quoslibet posthabito donante probe transmittat, cum inter vivos, tum causa mortis etiam ab intestato. Quapropter si a Patre acceperit illud, in suam debebit legitimam cum imputare, tum conferre in paterni assis divisione cum fratribus suis, Arguunt leg. *omnimodo* §. *imputari* cap. de inoff. fest. etc. dummodo non obtinuerit collationis dispensationem.

(1) *Marchin. resolut. miscell. p. 6. c. 7. difficult. 7. et Card. de Luca atque alii.*

Titulo paupertatis ordinari nequeunt Novitii scilicet non professi, vel solum ad certum tempus professi. At expulsum a Religione debitis modis, et firmis Religiosum professum in sacris constitutum, non tenetur Religio alere, eo plane modo, quo Episcopus non tenetur alere Clericum jure privatum suo beneficio, ad cujus titulum fuit ordinatus: nec Societas Jesu tenetur alere dimissum a Religione ex declarat. Bened. XIV; manet tamen suspensus donec provideatur de titulo ex laud. Pont.

Aliquem Episcopus ordinans non instructum uno ex enumeratis titulis tenetur sic ordinato providere de beneficio, et interim ei omnia necessaria subministrare (1), imo Suarez et Layman cum aliis tradunt taliter ordinatum sine titulo etiam incurrere suspensionem jure antiquo (2), quod quidem etsi sublatum (3), renovatum tamen ajunt per Trid. (4) quod *renovat poenam antiquorum canonum*. Alii tamen absolute id negant quia Trid. ad cit. textum (5) non referri censent. Certum vero est, ordinatum sine titulo vel cum titulo, quem postea amisit, non posse ad altiores ascendere ordines, nisi prius acquirat, et obtineat illum.

Quoad vero disciplinam hujus regni jure Concordatorum ann. 1741, jam antea notatum fuit sub concl. secunda (6).

Verum pactis novissime conventis ann. 1818 (7), circumstantiis novis instantibus, patrimonii taxa ita

---

(1) *C. 4. et 16. de Praebend.*
(2) *C. 2. dist. 70. de praebend.*
(3) *Cit. cap. 4.*
(4) *Sess. XXI. c. 2. de reform.*
(5) *C. 16. de Praebend.*
(6) *Cap. IV. n. 1. et seqq.*
(7) *Art. XXI.*

extensa fuit, ut nec minor sit ducatis 50, nec 80 major. Tum ibidem decernitur quod fundi ecclesiastici patrimonii, hypothecae vinculo ne sint obnoxii, et Tribunal Civile Provinciae de pertinentia judicet, et libertate bonorum, cujus sententiam Curiae ecclesiasticae requirant oportet; qua tamen titulo beneficii vel Capellaniae promovendi ad ordines non indigent.

Si qui vero clerici ad sacros ordines Beneficii et Capellaniae titulo promovebuntur quoties horum annuus reditus non pertingat ad taxam dioecesanam, sibi ex aliis liberis fundis constituant opus est, quantum supradictae taxae integritas postulaverit.

Excipiuntur illae dioeceses in quibus ex dioecesana lege, taxa sacri patrimonii in majori summa canonice constituta erit, respectu quorum nulla mutatio fiet.

Quoniam vero permulta tractu temporis constituta fuere, quae titulum eundem patrimonii spectant quaeque passim in actis ipsis Concordati ultimi reperiri fas erit, ex his tamen praecipua heic subnotare juvat (1).

---

(1) I. Juxta rescriptum 28 Junii ann. 1818 statutum, quod Tribunalium Civilium Judices prius, quam de proprietate, ac libertate fundorum, qui Patrimonii nomine adsignantur, ad Ecclesiasticas Curias referant, diligenter expendant, 1.° an legitimus sit titulus, quo sacrum constituitur Patrimonium, 2.° an aptus, atque ab omni prorsus vinculo immunis sit fundus, in quo illud constituitur, 3.° an constituens jure possit eam, quam exhibet, bonorum partem sacro Patrimonio attribuere. Explicatum ibidem est Patrimonium non pro initiandis ad primam clericalem tonsuram requiri, sed pro Clericis tantum ad sacros Ordines promovendis.

Actu donationis Patrimonii jam transcripto, testificatio costituti ejusdem patrimonii quin transcribatur, liberum erit. Circul. 24 Septembris 1818.

II. Ordinarii, literis ad id ex officio datis, a Regis in re civili Procuratoribus exquirere tenentur documentum libertatis, ac pro

prietatis fundorum, qui sacri patrimonii nomine clerico adsignantur; sin de bonis patrimonio supplendis agatur, tunc ipsi Ordinarii expresse significent necesse est reditus Beneficii, sive Capellaniae, sive alius Ecclesiasticae pensionis, cujus titulo quis erit ordinandus, et bonorum supplendorum reditus, ut quantum dioecesanae taxae integritas praescripserit, habeatur. Rescript. 18 Martii ann. 1820.

Quum novum aliquod Patrimonium juxta art. XXI Concordati ultimi Clerico ad sacros ordines promovendo substituatur, Civile Tribunal Provinciae adeundum ex Rescripto 5 Maji 1820.

III. Quum quaesitum esset, utrum Beneficia, et Capellaniae, quorum quis titulo ordinandus, aestimanda sint deductis, necne Missis quibus graventur, Summi Pontificis concessione, ipsoque Rege nostro annuente cautum fuit, quod salva regula detrahendi pro qualibet missa, si forte graventur, eleemosynam tertiae partis tareni Neapolitani; arbitrio Episcoporum datum, deductionem aliquam, si velint, inferendi, quando Missae, quibus beneficium, seu Capellania subjicitur, centenarium quotannis haud excedant numerum. Rescript. 5 Januari 1822.

IV. Quum Ecclesiarum pauperum, quas *receptitias* vocant, portiones non sint ultra ducatos Neap. 40 ne quid summae sacri Patrimonii novissima conventione constitutae detrahatur, sancitum, quod praedictas portiones non obtineant nisi illi clerici, qui praeter alia requisita possint sibi ex praediis annuos ducatorum 10 reditus constituere, adeo sane, ut ducatorum 50 summa habeatur. Rescript. 1 Januarii 1823.

V. Episcopi, et Ordinarii nonnisi Clericos Subdiaconatus ordinem mox suscepturos Ecclesiae *receptitiae* addicant, quae porro addictio illis pro titulo in ordinatione erit. Ipsi autem Clerici tunc demum addictionis illius reditibus fruentur, quum examine, atque Episcopi adprobatione rite praemissa ad Subdiaconatum pervenerint: sin intra sex menses Subdiaconatus ordinem minime susceperint addictionis ipsius jus omne amittunt. Rescript. 9 Februarii 1824.

Quum missarum eleemosynae pro titulis in sacra ordinatione requisitis adhiberi nequaquam possint, decretum, quod ex Pontificis Maximi permissione, Missae in iis celebrandae Ecclesiis, quibus publicae Beneficentiae auctoritates stabile, certumque ad id tribuunt stipendium, contraherentur, atque ita quidquid superesset pecuniae, impenderetur in titulis sacri Patrimonii efformandis. Decr. 25. Feb. 1824.

VI. Capellaniae, quae sive ad nutum, sive justis de causis amoveri possunt, cautum, ne pro Patrimonii titulis in sacra ordinatione adhibeantur. Rescript. 23 Septembris 1825.

VII. Si sacro Patrimonio jam constituto Sacerdos beneficium obtineat, ex quo aequales, vel uberiores proveniunt reditus, praedictum Patrimonium, Beneficio rite suffecto, atque Episcopi consensione, vinculo patrimonii sacri solvi poterit. Rescript. 22 Augusti 1827.

VIII. *Portionarii* vulgo dicti Capitulis adnexi, qui uti secundi ordinis Canonicatus considerari possunt, ab iisdem Capitulis nominandi, naturam beneficiorum sequuntur de jure, facta Episcopis potestate institutionem bullis in illis dare, quibuscumque in contrarium non obstantibus ideoque recte pro titulis sacrae Ordinationis adhibentur, modo redituum assignatio sit juxta canones sufficiens, atque dignus, qui sacros ordines suscipiat, eligatur; sacrum enim patrimonium deficientibus Ecclesiasticis beneficiis invectum. Minist. 21 Julii 1829.

IX. Bonorum examen, quae pro sacro Patrimonio Clerico tribuuntur, a Civilibus Tribunalibus fieri debet: quo quidem examine illud unum inspiciant Judices, an scilicet ad constituentem revera pertineant bona constituenda, ipsaque ab omni hypothecae, censusque vinculo sint immunia, quin ipsi judices, vivo Patre, reliquorum liberorum jus *legitimae* discutiant: quod non obtinet, ubi usus fructus tantum fundi donatus sit juxta subnotatum Rescriptum de die 24 Martii 1830. Bona vero aestimanda sive ejus, qui Patrimonium constituit delectu, sive pro ratione contributionis vulgo dictae *fondiaria*, sive juxta artic. 33 Legis, quae die 29 Decembris 1828 de coacta bonorum alienatione lata est, et art. 35 atque 104 ejusdem legis; adeo sane, ut Ducati Neap. 50 haud deducta supradicta contributione percipiantur. Rescript. 24 Martii 1830. Adpellari autem potest a sententiis, quas in sacris Patrimoniis constituendis ferunt Civilium Tribunalium judices.

Capellaniae pro titulis Patrimonii adhiberi poterunt, si ipsae ad pias laicorum sodalitates spectantes certis, fixisque reditibus constituantur, atque ab earumdem administratoribus, publicis confectis tabulis, Capellanus pro tempore nominetur, qui et quantum praedictae Capellaniae deest ad taxam Dioecesanam complendam, suppleat, eaque, quoad ipse vixerit, perfruatur. Sed prorsus aliter se res habebit de iis Capellaniis, quae ex eo quidem coalescunt, quidquid ejusdem congregationis fratres, regulis id praecipientibus, conferunt: cum enim fratres isti possint utpote

contumaces consuetam subducere collationem, sacrum Capellani Patrimonium jacturam pateretur. Minist. 22 Maji 1830.

Quidquid die 12 Martii 1830 statutum fuit quoad sacra Patrimonia, aptari non potest Ecclesiarum pauperum, quas receptitias dicunt, portionibus, quae non sunt ultra ducatos quadraginta: verum hac in re religiose servandum. Rescript. 1. Januarii 1823. Minist. 16 Junii 1830.

X. Annui sacrorum Patrimoniorum reditus contributione dicta *Fondiaria* gravati ne sint oportet. Circol. 3 Martii ann. 1819. Reditus autem ducatorum Neap. 50 super canones in Patrimonio datos percipiendi sunt haud deductis oneribus dictis *Fondiaria*. Minist. 21 Septembris 1831.

Juxta Minist. diei 24 Decembris 1831 sancitum, quod si Beneficia, seu Capellaniae, quae ad sacros ordines suscipiendos pro titulis solent adhiberi, privatis, et solemnibus graventur Missis, Missae solemnes eadem ratione, qua et privatae, aestimentur.

XI. Quum Clericus ordinatus bonorum sibi pro Patrimonio constitutorum dominus evadat, necesse est, ut titulus, seu instrumentum constitutionis patrimonii transcribatur, alias prohibetur traditio latae sententiae a Tribunali Civili declarantis libertatem, e proprietatem bonorum; requiritur enim, ut exhibeatur attestatio conservatoris hypothecarum, qua fidem faciat novas hypothecas inscriptas infra quindecim dies a transcriptione non fuisse. Propter hujusmodi transcriptionem nullum fiscale jus exigendum: Conservatoribus tamen, praeter suum cuique stipendium solvenda jura, quae vulgo dicuntur *dritti di registro e bollo*. Circol. 8 Aprilis 1835.

XII. Regio Rescripto sub die 5 Octomb. ann. 1839 executioni mandari cautum quod Supremi Concordati executores opinati fuere, et jam ab utraque potestate fuit confirmatum scilicet Patrimonii sacri taxa in novissima conventione ann. 1818 articol. XXI definita, pro illis Regni dioecesibus, quae egestate laborant, et in quibus brevis sit numerus clericorum spatio 15 annorum ad duc. 24 vel 25 reducatur. Elapso hoc temporis intervallo tum Sedis Apostolicae Nuntius, tum rerum ecclesiasticarum Minister Episcoporum postulationibus ad aliud tempus prorogandum indulgeant. Interea Supremi Concordati executores ab utraque potestate delegantur ad Antistitum petitiones excipiendas et definitive declarandum quibusnam dioecesibus jus illud tribuatur.

CONCLUSIO QUARTA

De tempore et loco ordinationis disseritur.

Ordinationes clericorum etiam minorum nullis certis diebus fuerunt adstrictae per tria priora saecula. Post pacem Ecclesiae datam ut licite fiat ex prescripto canonum ordinatio, certa tempora, et loca sunt servanda; nimirum (a); Tonsura quolibet anni die, et hora conferri potest, etiam extra Missarum solemnia. Minores ordines quovis die Dominico aut festo duplici (1) quem nempe populus ex praecepto colit ab oneribus servilibus vacans, non quos ritu duplici Ecclesia solum celebrat. In his enim non licere cum minores ordines, tum majores et sacros nisi ex Pontificio extra tempora indulto conferre, S. Congr. censuit (2) (b). In Ecclesia latina sensim invaluit ut ordinationes Episcoporum Presbyterorum et Diaconorum die dominica haberentur, quae disciplina initio V saeculi jam erat recepta. At non diu stetit; etenim ante finem saeculi V presbyterorum et diaconorum ordinationes

---

(a) Graeci ex antiquissima disciplina nullum habendis ordinationibus diem addictum habent c. 9. et 11. ex *de temp. ord.* Ex Euchologio tradit tamen Juven. et Bened. XIV const. 57. tom. 1. Bull. in quadragesima solis sabbatis seu praesantificatorum diebus, nec non dominicis et Annuntiationis B. M. V. festo, diaconatum et presbyteratum mos est eis ordines suscipiendi: praemisso jejunio ad formam consuetudinis apostolicae.

(b) Diana cum aliis part. 5. tract. 13. resol. 97. putat etiam illam sententiam quae docet sufficere festum quod in Ecclesia sub ritu duplici celebratur, esse in praxi tutam. Sed teste Lugo respons moral. l. 2. dub. 43. est haec sententia ab Urbano VIII prohibita.

(1) *C. de eo cit 9. de temp. Ord.*

(2) *Apud Fagnan. in c. de eo 3. de temp. ord.*

sabbatis quatuor sollemnium anni temporum ac sabbato mediae quadragesimae, (a) et quidem circa vesperam addictae erant. Gelasio Papa (1) deinc saeculo XII inter legitima sacrandis ministris tempora sabbatum sanctum relatum est (2). Subdiaconatus ergo, qui inter sacros et majores recensetur, et alii duo majores ordines nonnisi in his sex statis temporibus conferri possunt, et horis matutinis inter Missarum sollemnia. Ad consecrationem Episcopi ex Ecclesiae consuetudine designatus est dies dominicus (3) et quidem hora diei tertia. Ex Pontificali R. in natalitiis Apostolorum ea consecratio celebratur, et diebus festis a populo feriatis si Summus Pontifex indulserit (b).

Quoad locum vero ad tonsuram et minores ordines, modo sit honestus, et decens, et proprius quicumque sufficit. De Subdiaconatu, et aliis majori-

---

(a) Sed lapsu temporis sabbati mediae quadragesimae ordinatio, in sabbatum sequens ante dominicam passionem transit (*Vide Christ. Lupum schol. in decr. 3. S. Leonis.*) quae mediana quoque dicitur Dominica, quia in ejusdem lectionibus commemoratur luna quartadecima et quintadecima, quae sunt medietas periodi lunaris.

(b) Causis quinque censuit S. Congr. Card. particularis probante Innoc. XII ann. 1693. apud Rigant. ad eliminandos abusus *indultorum extra tempora*, ea fore concedenda. 1.° Intuitu beneficii adnexum presbyteralem ordinem habentis, vel perpetuae Capellaniae cui possit ordinandus per semetipsum inservire. 2.° Ob sacerdotum penuriam in Ecclesia vel Monasterio. 3.° Ob solatium Patris vel Matris annos 50 excedentis, dummodo per triennium in clericatu ordinandus probe vixerit. 4.° Referendariis utriusque signaturae et Papae familiaribus, Canonicis Cathed., vel Colleg. eorumque coadjutoribus, Magistris in sacra Theologia utpote talibus etc. 5.° Aetatis ann. 26 excedentibus postquam triennio vitam clericalem honeste ipsi duxerint.

(1) *Epist. 9. ad Episcop. Lucaniae cap. 11.*
(2) *C. 3. ex de temp. ordinat.*
(3) *Can. 5. dist. 75.*

bus certum est quod debeat esse locus etiam *proprius*; nam inter missarum sollemnia, et cum habitu Pontificali fit collatio, quod in aliena dioecesi sine licentia expressa Ordinarii sub poena suspensionis Episcopi ab exercitio pontificalium, et ordinatorum ab executione ordinum ipso jure prohibitum ex Trid. (1). Insuper *sacer* ex antiqua consuetudine, et ex Pontificali R. *Publicus* denique, frustra secus fieret examen publicum (a).

Consecratio Episcoporum ex Tridentino (2) si extra curiam romanam fiat, in Ecclesia celebretur, ad quam promoti fuerunt, aut in provincia si commode fieri poterit. Quod si defectus numeri Episcoporum necessarii ad consecrationem, aut itinerum, negotiorumque circumstantiae aliud poscunt, locus certe sit sacer oportet et publicus.

CONCLUSIO QUINTA

De ordinibus gradatim suscipiendis, et interstitiis in illis servandis.

Synodus Sardicensis antiquam confirmavit disciplinam de progressione ab inferioribus ordinibus ad sacerdotium (3) *ut fides et morum probitas et con-*

(a) Concil. Trid. *sess. (XX. c. 8. de reform.)* ita statuit: « Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus ac in » cathedrali Ecclesia, vocatis praesentibusque ad id Ecclesiae » canonicis, publice celebrantur. Si autem in alio dioecesi loco, » praesente clero loci: dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia » semper adeatur ». Locus ergo proprius, sacer, et publicus sit oportet.

(1) *Sess. 6. c. 5. de reform.*

(2) *Sess. XXIII. c. 2. de reform.*

(3) *Can. X. D. 61.*

stantia et moderatio cognosci possit (a). *Fit clericus* ait S. Hieronymus (1), *et per gradus solitos presbyter ordinatur*; ita ut omnes temporis lapsu etiam minores, ad vim et integritatem quandam majorum coeperunt pertinere. Unde ne ordines *per saltum* conferantur novum jus dicit, et nisi suppletis prius ordinibus omissis, Episcopus indulgere potest ordinato per saltum in ordine suscepto ministrare, et ad majores promovere (2); dummodo in ordine per saltum suscepto non ministraverit, aliter solus Pontifex veniam indulget (3).

Spatia temporis inter unum et alterum ordinem interjicienda, ordinum *interstitia* appellantur, quae satis longa in occidente post saeculum IV erant. Jure novissimo hoc praecipit Tridentinum (4): « Minores ordines per temporum interstitia nisi aliud » Episcopo expedire magis videretur conferantur.....

(a) In veteri disciplina ordinaria progressio ad sacerdotium non necessario postulabat omnium ordinum susceptionem; et non tantum ex minoribus ordinibus unus pluresve, non conferebantur; sed ipsi etiam majores omitti solebant. Sane presbyteratus, ubi diaconi in Episcopos ordinabantur, in Ecclesia Rom. omittebatur. Vide Mabillonium comment. in ord. R. §. 18. et Pagium breviar. chron. in Sabiniano Papa. Adhaec Martinus Turonensis et Felix Nolanus exorcistae in presbyteros creverunt etc. Plura quoque extant exempla eorum qui laici vel ex ordinibus minoribus ad presbyteratum vel Episcopatum omissis intermediis ordinibus promoti sunt. « In primitiva Ecclesia, ait Sanctus Thomas, aliqui ordinabantur in presbyteros qui prius inferiores ordines non susceperant, et tamen poterant omnia quae inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori. suppl. q. 35. art. 5. »

(1) *Rigant. Reg. 24. Conc. §. 5.*

(2) *C. un. et de Cleric. per saltum promot.*

(3) *Trid. sess. XXIII. cap. 14. cit.*

(4) *Sess. XXIII. cit. c. 2.*

» Hi vero nonnisi post annum a susceptione postremi
» gradus minorum ordinum, ad sacros ordines promo-
» veantur (intellige de anno ecclesiastico), nisi ne-
» cessitas, aut Ecclesiae utilitas judicio Episcopi aliud
» exposcat (1). . . . Promoti ad sacrum Subdiacona-
» tus ordinem, si per annum saltem in eo versati ad
» altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur,
» ascendere non valeant. Duo sacri ordines non eo-
» dem die conferantur (2). . . . Qui pie et fideliter
» in ministeriis anteactis se gesserint, et ad presby-
» teratus ordinem assumuntur, hi sint qui non modo
» in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob
» Ecclesiae utilitatem atque necessitatem aliud Epi-
» scopo videretur, ministraverint; sed etiam ad po-
» pulum docendum, ac administranda Sacramenta,
» diligenti examine praecedente, idonei comproben-
» tur ». Hinc prima tonsura et minores ordines possunt simul eodem die conferri etiam ex consuetudine recepta. Minores vero et subdiaconatum conferre plures DD. non illicitum ex Trid. cit. collegerunt; declaravitque Congr. Concilii apud Fagnanum, eum qui juxta regionis consuetudinem ita ordinatur, non esse suspensum.

In his dispensare potest non solum Episcopus ex Trid. cit. sed Vicarius Generalis ejus illo absente; nec non Capitulum et Vicarius Capitularis sede vacante: nequeunt vero Praelati Regulares sine speciali privilegio, quo gaudent Mendicantes; qui possunt tribus diebus continuis vel interpolatis Dominicis, vel festivis ordinari.

---

(1) *Cap. 10. de temp. ord.*
(2) *Cap. 14.*

Consecratus in Presbyterum die sabbati quatuor temporum, potest sequenti die dominico consecrari in Episcopum ex Glossa sive jejunium sit continuatum vel non : consecratus in presbyterum die dominico mane, nequit eodem die consecrari in Episcopum etiam sententia admissa illorum qui Episcopatum ordinem non distinctum dicunt ab illo presbyteratus; utriusque enim consecratio fieri debet in missa, et nullus potest duas eodem die missas celebrare.

CONCLUSIO SEXTA

Scrutinium sive examen in ordinatione faciendum enucleatur.

Manus cito nemini imposueris, praecepit Apostolus Timotheo (1): atque heic refertur titulus Decretalium *De scrutinio in ordine faciendo* quem interpretamur. Revera scrutinium a *scrutando* dictum examen ordinandorum significat juxta canones (2) (a), quod triplex distinguitur I.um a parocho vel ab alio quem Episcopus constituerit faciendum per mensem ante ordinationem, ut nomine ac desiderio promovendi publice in Ecclesia propositis, de ejus natali, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter ille inquirat; et literas testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum trans-

(a) Pro ordinandis in Dioecesi et Provincia Neapolitana prostat instructio quae hos canones explorat, in appendice Neap. Syn. Provinc. Card. Cantelm. tit. 17.

(1) *1. V. 22.*

(2) *Can. 5. dist. 24. et Trid. cap. 5. 7. 13. et 14. sess. XXIII. de reform.*

mittat (1). Hoc aliquibus in locis suppletur per testimonia a Professoribus, et Praefectis scholarum. II.um Scrutinium est, quod ab Episcopo ascitis aliis viris peritis fit, una, vel pluribus immediate ante ordinationem diebus instituendum; ibi excutitur ordinandorum genus, persona, aetas, institutio, mores, doctrina, et fides (2). III.um In ipso ordinationis actu exequitur circa eos, qui in diaconos, vel presbyteros ordinantur juxta Pontificalis Romani edictum. Hoc afficit irregulares censura irretitos, a jure alias prohibitos, alienos dioecesanos sine dimissoriis, non examinatos, et approbatos, et in catalogo ordinandorum descriptos. Si quis enim istorum, non obstante comminatione anathematis, ordinationes tamen recipit, incurrit excommunicationem, et in suspensionem a susceptis ordinibus Papae reservatam, ac nequit ad altiores promoveri (3). Depraehenso autem postea defectu, deponi jubetur (4) (a).

(a) Non ideo tamen ut inculcat Bened. XIV *de S. D. l. 7.* habeat Episcopus intentionem conditionatam, quae maximis incommodis esset obnoxia.

Num vero aliquis manifestare tenetur occultum defectum juris Ecclesiastici, quem patitur ordinandus, distinguendum: si defectus vel delictum, ob quod irregularis fit, aut a jure ad ordines suscipiendos accedere prohibetur, manifestare id debet, aut non petere ordines et patet ex dictis atque ex gravitate poenae: item ex c. 4. et 5. dist. 81. Quia autem non quodvis delictum grave (si occultum est, neque cum infamia juris aut facti conjunctum) ab omnibus excludit ordinibus hinc c. *de tempore ordinat.* deciditur criminosum occultum moneri posse, ne petat ordines, sed prohiberi non debere; et c. 17. *de occulto criminoso* (excepto tamen homicida quippe irregularis) post poenitentiam in susceptis ordinibus ministrare si-

(1) *Cit. c. 5. Trid.*

(2) *Cit. Trid. cap. 7.*

(3) *Tot. tit. de eo qui furtiv.*

(4) *C. 35. dist. 50.*

Ante ordines juxta cit. Trid. (1) omnes etiam Religiosi, nisi speciale habeant privilegium, examinandi sunt. Illud habent Religiosi Societ. Jesu à Greg. XIII (2) et confirmavit, ac renovavit Paulus V (3); etsi uti male censent Barbosa et alii, fuisset renovatum per const. Xisti V, ne scilicet examinentur de cantu, officiis, coeremoniis ecclesiasticis, et aliis in ordinandis requisitis. Proindeque S. Congregatio consulta, an clerici Societatis Jesu sacros ordines a Mechlinensi Archiep. suscepturi, debeant se examini subjicere prout ceteri Regulares? respondit *negative* nisi àdsit consuetudo in contrarium (4) (a).

---

nitur, ac ad superiores ordines ascendere: ante poenitentiam autem monetur, ne in susceptis ministret.

(a) Multis decretis jam definitum quod ordinans, ubi velit, possit, sed nulla unquam lege cogatur examinare subditos alienos ad se a proprio dioecesano dimissos, eorumque requisita cetera scrutari: quoties dimissoriae litterae eos idoneos, et scientia, et moribus, et qualitatibus ceteris expresse nunciant. Ita S. Congr. Concil. in *Nullius* 16 Januar. 1595 apud Fagnan. *in cap. cum secundum de praeb.* in Elborensi, ordinationis 23 Aug. 1721 apud Rigant.

Praeterea ex Clementis VIII decreto absente vel impedito Dioecesano, ad alium dimittere regulares, Superioribus eorum datur, uti dictum fuit, dum *tamen ab eo Episcopo, qui ordines, contulerit, examinentur quoad doctrinam.* Quae verba non arbitrium, sed necessitatem indicant Episcopalis Regularium examinis quoad solam scientiam. De aliis quippe requisitis fidem debet plenam habere dimittentibus eorumdem Superioribus ex decr. S. Congr. in Brixien. 12 Decem. 1733 Card. de Petra t. 1. pag. 544. Adhaec Inn. III rescripsit, clericos idoneos, quamvis juramento affirment se aliquo initiatos ordine, nisi per idonea id argumenta ostenderint, non esse ad ministerium suscipiendos neque ad ordinem ulteriorem promovendos c. *inter quatuor* 2. de cleric. peregr. In-

(1) *Cap. 12. de reform.*
(2) *Bulla* Pium et utile.
(3) *Bulla* Quantum Religiosi.
(4) *S. Congr. in Brixien. 5 Julii 1651. apud. Card. Petra.*

CONCLUSIO SEPTIMA

Obligationes annexae ordinibus majoribus expenduntur.

Suscipientes sacros ordines qui stabilitatem inducunt in statu ecclesiastico ita ut omnis interclusus sit reditus ad vitam saecularem, qui tamen patet constituto in minoribus, obligationem contrahunt servandi 1.° castitatem, 2.° recitandi divinum officium de quo alibi erit dicendi locus, 3.° recitandi certas preces vel missas celebrandi ab Episcopo injunctas in ipsa ordinatione, ad quas juxta aliquos tenentur sub mortali: alii vero et forte probabilius sub veniali tantum ad illas adstringunt, quia non constat de intentione Episcopi graviter obligandi.

De castitate edicere nostrum hic erit, de qua praeter innumeros, qui illam statuunt canones, hoc unum sat erit Concilii Trid. exscribere: « Si quis dixerit » clericos in sacris constitutos, vel regulares castita» tem solemniter professos posse matrimonium contra» here; matrimonium esse validum non obstante lege

---

super exteri clerici Romae commorantes, qui menses ibi quatuor saltem habitaverint, cum litteris dimissoriis Ordinariorum suorum prohibentur extra urbem ordines suscipere ulteriores, nisi praevio examine ab examinatoribus in urbe deputatis probati fuerint, et ab urbis Vicario licentiam in susceptis antea obtinuerint, ex edicto Clementis VIII ann. 1603 et Alexandri VII ann. 1664 Card. Petra in const. Apost. t. 5. pag. 275: alias incidunt in suspensionem *ipso facto* Sedi Apostolicae reservatam. Qui tamen ab ipsis Episcopis locorum originis, vel domicilii vel beneficii vel triennalis servitii ad formam S. C. Trid. Bullaeque *Speculatores* ordinantur, opus non habent hujusmodi examine ac licentia Cardinalis Vicarii ex decr. particularis Congr. ann. 1668 apud Rigant.

» ecclesiastica, vel voto (a); et oppositum nihil aliud
» esse quam damnare matrimonium; posseque omnes
» contrahere matrimonium, qui non sentiunt in se
» castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum,
» anathema sit, cum Deus id recte petentibus non de-
» roget, nec patiatur nos tentari supra id, quod pos-
» sumus ».

His positis quamvis de valore matrimonii post ordines minores, et de nullitate post majores, et sacros contracti, cum de impedimentis deinceps agemus erit dicendum; heic de disciplina Ecclesiae quoad caelibatum quantum angustiae instituti sinunt morari, fas jusque erit ut observetur 1.° post initum matrimonium, ex quo bigamia vera vel interpretativa contracta est, nemo promovetur ad ordines, ne ad primam quidem tonsuram seu vivente, seu mortua uxore. 2.° Extra hunc casum bigamiae, uxore vivente, nisi ipsa consentiat, et castitatem profiteatur, nemo hodie admittitur nec ad primam tonsuram, et ordines minores; quia nemo hodie licite promovetur ad ordines etiam minores, nisi ha-

(a) Plures sunt DD. qui supponunt clericos, dum subdiaconatum accipiunt, non proprie vovere continentiam, sed hanc obligationem ordini ab Ecclesia anneeti. Alii volunt juxta praeceptum Ecclesiae a promovendis voveri castitatem: alii simul votum et praeceptum concurrere contendunt. Omnes tamen admittunt, etiamsi quis absque intentione se ligandi, ordinem sacrum reciperet, ex constanti Ecclesiae usu, eum teneri ad castitatem, et quidem peccans contra eam laederet simul et castitatem et religionem: irritum praeterea esse matrimonium, si attentaret. Si tamen quis ordinatus fuisset ante usum rationis, non obligaretur servare castitatem, nisi pro casu quo post adeptos, annos pubertatis ratam haberet ordinationem sui factam ante usum rationis, sive verbo, sive facto, utendo nimirum ordine sacro, ex Bened. XIV const. *Eo quamvis* tom. 1. Bullar.

beat intentionem ascendendi ad majores (1), quam quidem non possunt conjugati habere, nisi uxor consentiat, et castitatem profiteatur. 3.° Hinc multo minus ad sacros ordines vivente uxore promoveri potest conjugatus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus (2). Tanta igitur severitate ab usu matrimonii antea contracti arcentur in sacris constituti, ut filii ex uxore nati quamvis prius legitime ducta, quoad ordines et beneficia ecclesiastica habeantur pro illegitimis.

In Ecclesia Graeca vero in minoribus constitutis permissum est contrahere matrimonium, et uxore retenta ad majores ordines, etiam presbyteratum ascendere ex Bened. XIV (3); si tamen in statu caelibi sacris fuerint insigniti ordinibus, non permittitur eis contrahere matrimonium. Sacris ordinibus initiati contrahentes matrimonium invalide juxta probabiliorem contrahunt ex expressa sententia ejusdem Benedicti XIV (4) quidquid alii velint, illicitum nempe, non invalidum illud (a).

(a) Disciplina caelibatus ex Ecclesia latina ad orientis Ecclesias pervenit, praesertim ad eas, quae occidentalem patriarchatum spectabant a primoribus saeculis. Vide Lup. dissert. prim. proemial. De latinorum Episcoporum et clericorum continentia c. 1. Unde ex conciliis Neocesariensi et Anciran. in Pontica dioecesi eandem legem constitutam esse constat. Apud Lupum cit. loc. nec non per Thessalonicam, Macedoniam et Achajam ut refert Socrates ibidem, sicut et in Alexandrina Ecclesia S. Marcus continentiam ipsam suis successoribus reliquisse dicitur. Ast ignavia praelatorum, et mollities Graecorum cum a primevae disciplinae puritate desciverit, inde a concilio Trul-

(1) *C. ult. de temp. ordin. in 6. Concil. Trid. sess. XXIII. c. 4. de reform.*

(2) *C. 5. et 6. de conversione conjugat.*

(3) *Const.* Eadem *t. 1. Bullar.*

(4) *Const. cit.* §. *38.*

MANTISSA.

De sacro caelibatu.

Contra sacrum caelibatum, inde a temporibus Apostolorum observatum qui in Ecclesia universali, etsi nondum clericis certa ac declarata lege, consuetudine tamen et moribus jam obtinebat, unde ab uxoribus abstinebantur, quas antea duxerant (a), insurgunt pseu-

---

lano seu ann. 692 Ecclesia graeca statuta haec tenuit. 1.° Monachi et virginitatem ac continentiam professi ad eam perpetuo servandam adstringuntur; lapsi poenitentiae subjiciuntur, nulla relicta nuptiarum spe. 2.° Sacris ordinibus votum vel legem continentiae non annecti. *Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit; quoniam orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.* Sic Innocent. III c. 6. *de clericis conjug.* Ubi deciditur filium Sacerdotis graeci inter latinos licite promoveri, si aliud non obsistat. 3.° Conjugati ordinari possunt in diaconos et presbyteros, quin profiteri debeant, se post ordinationem a consuetudine cum legitima uxore abstenturos; at post sacros ordines contractum ab iis matrimonium, uti dictum est, esset nullum. 4.° Ordinari etiam possunt in Episcopos sic tamen ut uxor in electionem consentiat, et mox ab eorum consecratione monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione. Hinc fit ut fere semper monachos ad continentiam per se adstrictos eligant Graeci in Episcopos. Atque hi Episcopi omnes fere functiones divini cultus obeunt. Presbyteri vero conjugati antequam sacrum obeant ministerium, per hebdomadam, vel saltem triduum abstinere se habent ab usu matrimonii. Ita Clemens VIII pro graecis unitis, et const. 57. et 128. Benedicti XIV tom. 1. Bullar.

Ast quot ex hac collapsa disciplina abusus, quot non irrepserunt scandala! alicubi diaconi jam ordinati ad nuptias admissi videntur; ad sacros ordines nec quisque admissus nisi matrimonio ligatus: graeci schismatici et omnium maxime Cophti et Nestoriani permittunt secundam, tertiam, ac septimam uxorem virginem ducere, ac demum viduam.

(a) *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectis-*

do-politici et libertini reformatorum asseclae sacrilegum foedus ambientium, quos Deus tradidit in desideria cordis eorum in immunditiam quique, teme-

sime creditur: Vulgatum est axioma ex regula S. Aug. tradita *l. 3. contra Donatistas c. 3.* Igitur cum nullum assignari possit initium legis sacri caelibatus, ac antiquissima quidem traditione innixum, Apostolica illam legem erecta credere quisque debet. Hinc de eadem cum Pontifices et PP. primorum saeculorum loquuti sunt, nunquam se novam legem condere significarunt; imo explicite ac precise illam ab apostolica traditione profectam urgere potius, aut instaurare fessi sunt. Adversarii vero Siricii Papae epist. ann. 585 de caelibatu quamvis appellent, et aliam Inn. I ep. ann. 404 antiquitatem ipsius legis explosuri; audaces potius veritatem oppugnant, non felices expugnant: Siricium enim ibi continentiae hujus meminisse tamquam ab Apostolo institutae, et in transgressores tamquam in violatae legis reos animadvertit, uti videre est in epist 1. ad Himerium Episcop. Tarracon. n. 10. et in epist. 5. ejusdem Pontificis ad Afros. Quod et ex epist. Inn. 11. ad Victicium c. 9. colligitur. Esto tamen Siricio tribui possit lex continentiae, nonne contra antiquam ultra quatuordecim saeculos vigentem legem et constanti usu confirmatam impudenter se scribere pseudopolitici demonstrant? Verumtamen contra eos pauca ex imperterrita eruditione atque invicta plurium auctorum, et presertim Franc. Ant. Zaccariae historia sacri caelibatus edita ann. 1785, nec non praeclarissimi P. Perrone in suis praelectionib. Theolog. volum. VIII. c. V. delibare juvat, ut fundamentum continentiae sacrae in antiquissima traditione positum innotescat clarius. *Petrum solum invenio maritum per socrum . . . Ceteros (Apostolos) cum maritos non invenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes*, jam dixerat Tertullianus lib. de Monocam. c. 8. Christus virgo, virgo Maria utriusque sexus virginitatis dedicavere principia; Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes. Ita S. Hieronym. in Apolog. pro libris contra Juvinian. seu epist. 48. ad Pammach. n. 21. et Epiphanius Salaminae in Cypro Episcopus ante tempora Siricii Papae electus, haeresi 59. n. IV. cum de continentia Episcoporum Presbyterorum Diaconorum, et hypodiaconorum ageret, addidit: *Quod in illis locis praecipue fit, ubi Ecclesiastici canones accurate observantur*. Addesis Eusebium demonstr. Evang. lib. 1. c. 9. aliosque unanimi testes consuetudinis continentiae ordinibus sacris initiatorum. Adhaec Concil. Carthag. 11. ann. 390. quinto post memoratam Siricii decretalem: ubi cum Anti-

ritati suae et impudentiae perquam Epicuream adjunxerunt lasciviem.

Ceterum convenientissimus caelibatus sanctitati status et ministerii, quo in sacris constituti occupantur, evincitur tum ex ipso Christo, qui sacrificavit in se illum, et ex Apostolis, Petro excepto, quorum caelibatum reprehendissent certo Judaei si contrahendis nuptiis obstringerentur vel a jure, vel ratione. Nonne sacrificii divina sanctitas, ac puritas, quo propterea ministrando, puritas et sanctitas quanta maxima necessaria videtur? *Quod si necessario fateamur*, ita Trid. (1), *nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christifidelibus tractari posse, quam hoc tremendum mysterium, satis etiam apparet omnem operam et diligentiam interponendam esse, ut quanta maxima fieri potest cordis munditia, et puritate, atque devotionis ac pietatis specie peragatur.* Nonne omnium consensu, ipsis adversariis non exceptis status illorum, qui ad sacra munera obeunda eliguntur, nec non officia eorumdem sicut sanctitate et praestantia in qua eminere eos obstringit, ita et caelibatus lege ad ea obeunda explicatos reddit, difficultatem emollit, facilitatem affert? orare, praeesse, docere, sacra administrare, infirmorum et pauperum curam gerere, atque id genus alia; omnium consiliarius judex pater, imo famulus, et administer, conjugatus ni-

---

stites, presbyteri, diaconi; vel qui Sacramentis divinis inserviunt (scilicet subdiaconi qui pro varia Ecclesiarum disciplina ad contractanda divina mysteria admissi fuere, tum etiam caelibatus lege constituebantur) penitus continentes esse monerentur, addiderunt PP. *Ut quod Apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus.* Vide quae diximus in fine concl. ult. nota (a) pag. 214.

(1) *Sess. XXII. in decr. de observand. et evitandis celeb. missae.*

hil, quod alibi ipsum distrahat, industrius absolvet? aequo modo maritus, et carnalis pater, qui ut adhaereat uxori, patrem suum relinquit, et matrem, ut liberorum sustentationi, seu educationi providere satagat, et futurae ipsorum sorti consulat? qui nihil quod ab aliis viris secernet in ejus vita et moribus habet. *Qui sine uxore est* clamat Apostolus (1) *sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est sollicitus est, quae sunt mundi, quomodo placeat uxori et divisus est.* Hinc populorum obsequium, et veneratio erga Sacerdotes caelibes non solum quia magis viventem divinitatis imaginem eis exhibent, sed et quia satis paratiores videntur in ministerio, ac caritatis operibus, uti experientia testatur, quod praesertim ex exitu missionium constat catholicorum et protestantium, ita ut ob id comprobatum videt quis illud ipsius Apostoli (2): *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.*

Mirum tamen non est, quod animales homines non percipientes juxta Apostoli verba (3), *quae sunt spiritus*, ex philosophia depromere credant arma contra caelibatum; non enim sunt illa quae ratio docuit, sed caro et sanguis eis revelavit. Equidem patrocinium suscipientes clericorum, nunquam tamen precibus aut horum mandato instituti, adjiciunt necessitatem propagandi humanum genus: jus connatum contrahendi matrimonium: rationes politicas ex impopulatione deprosptas: necessarium etiam praecavendi a delictis, scandalisque a clero incontinenti datis. Fallacissima tamen argumenta, et ad fallendum com-

(1) 1. Cor. VII. 32. 33.
(2) II. Timoth. I. 4.
(3) II. Cor. 11. 14.

posita! et quoad primum: necessitatem propagandi genus humanum primordiis mundi, vel in restauratione generis humani necessariam omnes fatentur; ast nemo sanae mentis eam admittit post sufficientem propagationem: item curam conservandi humanum genus non apud omnes, et singulos pertinere constat. Jus autem, quod dicunt connatum contrahendi, e natura non colligi ita potest ut caelibatus ei adversetur, et ut ad matrimonium obliget, ne dicas omnes et singulos sive pauperes sive divites, sanos et infirmos, vel pares sustinendis oneribus matrimonii, vel impares ad illud teneri; quasi ab omnibus omnia agenda sint, ad quae vires suppetant naturales. Christus ipse qui de virginitate, et caelibatu dixerat (1): *Non omnes capiunt illud verbum, sed quibus datum est*; de studio nuptiarum praedixit etiam (2): *Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes, et nuptui tradentes. . . . ita erit et adventus Filii hominis.* In tanto igitur nuptiarum aestu, solicitudo pseudo-politicorum quid? quid de propagatione, vel conservatione humani generis ex dicto Creatoris: *Crescite et multiplicamini*? jam ex sequentibus verbis patet, *et replete terram*, quae nonnisi primordia spectant vel restaurationem humanam, alioquin nec Christus, nec Apostoli consilium continentiae dedissent: nec inde recte colligitur praeceptum aliquod vel naturae, vel divinum nuptiarum fuisse; nisi temporarium et respectu totius multitudinis; atque benedictio et donum foecunditatis; nam et reptilibus et volatilibus creatis eodem sensu dixerat *crescite et multiplicamini et replete aquas maris; aves-*

(1) *Matth. 19. 11.*
(2) *Ibid. 24. 37.*

que multiplicentur super terram quae verba ipsis adversariis non abnuentibus praeceptum nullum denotant (1). Viget quidem praeter sacrum, caelibatus militaris, nauticus, philosophicus, famulitius, et omnium maxime libertinus; viget immense inter Protestantes ac politicos in reipublicae perniciem, et causa est effraenae libidinis, et vitiorum colluviei, qui tamen etsi contrarium saepe naturae videant, illum sequuntur potius, solumque in ecclesiasticis paucis caelibatum sacrum persequuntur, quod juri connato naturae adversum dicere non erubescunt.

Denique Ulpiani illud naturae jus obtrudere non desinunt, *quod natura omnia animalia docuit*, sicque ex stimulis naturae altero argumento injustam, et irrationabilem causam sustinere student. Fallaces tamen concupiscentiam carnis ex peccato ortam confundunt cum stimulis naturae. Libet quaerere si quis ex temperamento naturae iracundus sit, si furiosus invidus etc. num illi ira, furor invidia non magis prohiberi possent, quam usus, potus, somnus? num ab illo haec omnia ita explenda ut fames aut sitis? num jure nullo renunciaret irae, furori avaritiae ambitioni?

Obsecro quem naturae stimulum commemorant ad onera subeunda matrimonii, et *tribulationes carnis habendas* (2)? Illum equidem quem Apostolus dixit (3): *Datus est mihi stimulus carnis meae, angelus Satanae qui me colaphizet, propter quod ter Dominum rogavi ut discederet a me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.*

---

(1) *Cit. loc. 22.*
(2) *1. Cor. 7. c. 28.*
(3) *11. Cor. 12. et seqq.*

Revera dixerat Paulus (1) *melius est nubere quam uri*: attamen nec uritur qui tentationem patitur eamque vincit, sicut nec uritur qui calefit, sed qui ab igne reapse aduritur et laeditur; nubere melius quam fornicari iis qui liberi sunt dicit ille, non castitatis lege vel voto obstrictis. Equidem stimulos carnis sentiens idem non nupsit, sed oravit. Hinc Trid. uti dictum fuit docuit (2): *Si quis dixerit . . . . posse omnes contrahere matrimonium qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit. Cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur supra id quod possumus tentari.*

Praeterea impopulatione quam dicunt ex coelibatu ecclesiastico procedere, nec patrocinari possunt. Et revera solam Italiam, quae illo praeditis clericis prae regionibus ceteris abundat, Gallias, Belgium, Austriacum imperium, Helvetiam catholicam, Hiberniam satis est memorare, ut falsa assertio eorum colligatur: si enim comparentur cum regionibus in quibus coelibatus a ministris sacris proscriptus est, patebit ceteris paribus, longe majus prae istis, illas populi frequentia abundare (3). Pendet ergo impopulatio quam oggerunt ex aliis maxime causis nimirum 1.° ab frequentibus coloniarum in exteras regiones deductionibus, quas clerici coelibes insequentes ipsorum ministerio ab impedimentis matrimonii amovent et hoc potius provocant; 2.° a luxu qui abstrahit a cultura agrorum qua prae ceteris artibus potissima degendae vitae ex Politicorum doctrina et experientia ipsa comparatur: hinc

(1) *1. Cor. VII. 9.*
(2) *Sess. XXIV. de Sacram. Matrimon. cap. 9.*
(3) *Vide Rubichon De l' action du clergé sur les sociétés modernes, cha. 10.*

conjugiorum difficultas quae crescit prout minuitur alimentorum ratio; 3.° a libertinis passionum suarum cultoribus quas ut foveant, conjugia abhorrent, dum caelibes sacrificiis quibus se compescere student, media praebent aliis ad onera matrimonii ferenda; 4.° sunt denique qui conjugio valedicunt aut ipsius vinculis se obstringunt aetate provecta ut vel comparent prius aut amplicent rem familiarem, aut a garrulis uxoribus et liberorum curis se liberent. Itaque verbis S. Ambrosi (1) recte concludimus: « Si quis igitur putat consecratio- » ne virginum minui genus humanum, consideret, » quia ubi paucae virgines, ibi pauciores homines, ubi » virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque » hominum esse majorem. Discite quantas Alexandri- » na, totiusque Orientis et Africana Ecclesia quotan- » nis sacrare consueverint. Pauciores hic homines pro- » deunt, quam illic Virgines consecrantur. Mirum! pro- » creationem et multiplicationem civium civitatis ter- » restris postulant a Sacerdotio, quod institutum est » ad multiplicandos cives civitatis coelestis ». Ita Cephalius (2). Ceterum minime dubium est quod a clero caelibe religionis, sapientiae ac perfectionis studio abunde compensatur, imo ope caelibatus exceditur id, quod ab aliis matrimonio praestatur, nec a clericis conjugatis expectari posset, sicut tum apud Graecos schismaticos, tum in imperio Russo expectari non valet ob incredibilem ignorantiam talium clericorum, ob simoniae labem qua scatent; imo ipsorum doli, negligentia, otium, abjectio in causa sunt, cur omnibus in contemptu habeantur, et sola politica tolerentur. Ipsique

---

(1) *L. de virginitate cap. 7.*

(2) *Sect. 11. c. 14. n. 3. Vindiciae caelibatus Augustae Vindalicorum ann. 1783. impress.*

praeter alios protestantes in Anglia non solum clericum invisum reddere conantur, sed et in scenam stolidum, ebrum, lenonem exhibent (a).

CAPUT XIV.

DE SACRAMENTI MATRIMONII NATURA, ET PROPRIETATIBUS, EJUS DISSERITUR (b).

Natura ipsa sicut hominem sexuum diversitate ducit ad generationem prolis, ita ejusdem necessaria provectio, ac perfectio matrimonium unicum medium generis humani constituendi, ac propagandi docet *Creavit* sic ipsae sacrae scripturae se habent (1) *Deus hominem.... masculum et foeminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, et ait: crescite et multiplicamini et replete terram.* Qui subdens (2) *non est bonum*

(a) Legesis Balbi Compendio di Geografia: ex ejus tabulis statisticis os obstruitur incredulis qui incusant catholicos quod caelibatu inducant impopolationem. Vide Filangerium adversariis non certe invitum *scienza della Legislazione*. lib. 2. a c. 1. ad 8. et quam male adversus caelibatum vides clamitant illi. Confer et de Maistre du Pape lib. 3. ch. 3. §. 2. Confer et A. Réponse aux nouveaux docteurs p. 2. pag. 225.

(b) Matrimonium sive Matris *munium* seu munus. Unde Aug. l. 19. contra Faustum ex eo dictum ait, quod non ob aliud debet foemina nubere, quam ut Mater fiat. Cui concordat D. Thom. suppl. q. 44. a. 2. A matre potius autem dicitur Matrimonium, quam a Patre Patrimonium, quia magis concurrit Mater ad prolem in utero gestando, difficulter pariendo, accurate educando, cujus causa institutum illud. Aliis deinde nominibus distinguitur: dicitur nempe *Conjugium* a conjugendo sub uno mutuo jugo. Vide Catech. Rom. *Connubium*, et quandoque *Nuptiae* ab obnubendo ob pudoris gratiam, qua antiquitus puellae obnuberent, dum viris dabantur. Vide S. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. ad 1.

(1) *Gen. 1.*

(2) *Ibid. c. 2. 18.*

esse hominem solum: faciamus ei adjutorium simile sibi, jam pro mutuo etiam solatio ac subsidio conjugum, matrimonium ipsum instituit. Christus tandem ut concupiscentiae remedium illud proposuit ajente Paulo (1): *propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat*. Ast depravati homines vel honorabile connubium in omnibus despicientes, et toro immaculato juxta Divum Paulum (2) perverse abutentes, stimulis bestiarum quibus similes facti flagrant, obcaecantur atque ad turpia ducitantur praesertim si prava eisdem exempla ac nefariae doctrinae accedant iique *hypocriti loquuntur mendacium et cauteriatam habentes conscientiam* ut dicam verbis Pauli *prohibentes nubere*, aut communes volunt mulieres cum Nicolaitis, aut a nuptiis abstinendum cum Marcionistis tenent, easque damnant cum Fatiano, aut libertatem carnis introducentes Tridentini Patribus (3), gemitibus potius quam verbis dicam *praetextu Evangelii, multa ab Ecclesiae sensu aliena autumant*; quique impietatem impietati cumulantes protestantibus non verentes invidere sorti, a contractu Sacramentum dividunt, matrimonium, indeque provenientia jura, et contrahentium arbitrio, antipolitici, et politicorum legibus tantum subjiciunt, veniam meretricibus donant, nihili adulteria, incestus ac sacrilegia faciunt. Nostra ergo refert canones de matrimonio interpretari quibus Ecclesia obviam ivit tantae nequitiae hominum ac stultitiae, simulque argumentum de Sacramentis quod agimus, iis circumscribatur cancellis dum Prophetae

(1) *1. Corinth. l.*
(2) *Haeb. 13. 4.*
(3) *Sess. XXIV.*

jussa faciamus. *Auferte propagines ejus quia non sunt Domini. Haec enim sunt propter quae venit ira Dei in filios diffidentiae.*

CONCLUSIO PRIMA

Natura Sacramenti matrimonii et effectus ejus expenduntur.

Officium naturae seu naturalem contractum Christus Dominus elevavit ad dignitatem Sacramenti, et unius cum una vinculum conjugale, quod natura indixit, lex Evangelica restituit ad primam ejus institutionem; erat enim apud Judaeos polygamia et divortium (a). *Non legistis* respondit Christus Pharisaeis illum tentantibus (1), *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos? et dixit: propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Quod ergo Deus conjunxit homo non separet.* Hinc duplex in matrimonio vinculum est; *legitimum* scilicet seu *profanum*, et *ratum* seu *sacrum* (b). Dupliciter ergo

---

(a) Violata haec lex primum a bigamo Lamech qui accepit duas uxores *Gen. c. 4. v. 29.* Dein mysterio fidei ancillam ab uxore sterili oblatam duxit Abraham, insuper polygamiam inculpatam Patriarchae Hebraei indulgente Moyse usurparunt.

(b) Matrimonia infidelium secundum leges naturae inita appellantur vera seu *legitima*: at matrimonia fidelium vera et *rata* c. 7. de divort. *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit; quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Sacramentum fidei igitur, idest baptismus fidelium vera matrimonia efficit *rata* et Sacramenta; qui

(1) *Matth. 19. 4.*

considerandum matrimonium et ut contractus, et ut Sacramentum (a). Uti contractus dicitur maris, et foe-

---

effectus ex divina institutione pendet, sicut et repraesentatio, quam significat, idest conjunctionis Christi cum Ecclesia.

Defectu baptismi matrimonium inter infideles non est Sacramentum, tamen si ambo infideles conjuges baptizentur, efficitur eorum matrimonium ratum et Sacramentum. Ita cum communiori DD. sententia tenent Layman *l. 5. tr. 10. p. 2. c. 3.* Sanchez *l. 2. de matrim. disp. 9.* aliique: tum quia conversis ad fidem haec sententia favorabilior est Bonitatique Divinae conformior; tum quia hoc matrimonium accedente virtuali saltem consensu in praecedens matrimonium (quod juxta Layman fieri debet per novum consensum, quod velint invicem cohabitare; juxta Sanchez fit per ipsum Baptismum) fit insolubile, et perfecte significat individuam Christi conjunctionem cum Ecclesia.

Porro matrimonium fidelis cum cathecumena nondum baptizata initum ex dispensâtione Pontificis, ex parte neutrius est Sacramentum, quod utpote unum in utroque conjuge, sicut et unus numero contractus, si in uno non est Sacramentum, nec in altero erit. Ita Layman cit. loc. Sanchez cit. loc. D. 8. aliique.

Rata vero fidelium matrimonia vocantur non solum relate ad matrimonia infidelium, sed etiam relate ad matrimonia consummata ipsorum fidelium, quae vinculum fortius exprimunt, ita ut illa solvi possint professione religiosa, ut deinceps patebit; haec nonnisi per mortem conjugis: pertinet enim ad istos dictum Christi *Erunt duo in carne una. Quod Deus conjunxit homo non separet (Confer Conc. Trid. c. 6. de Sacr. Matrim.)* Matrimonium fidelium consummatum conjugium inter Christum et Ecclesiam per incarnationis mysterium contractum designat, dum ratum matrimonium significat caritatem quae consistit in spiritu inter Deum et animam justam; uti exponit Innocent. III c. 5. *de bigamis.* Unde non par firmitas est in matrimonio rato fidelium, ac in eodem consummato.

Demum matrimonium consummatum, quod conjunctione corporum utriusque conjugis consequitur ultimus actus illius, non solum evenit tale ratione contractus legitimi, sed etiam Sacramenti; proinde etiam hoc diverso respectu differt stabilitate; nam consummatum ratione contractus legitimi dissolvi potest favore fidei ob conversionem unius conjugum infidelium *(1. ad Cor. c. 7.)*

(a) Catholici non desunt DD., Gallicani praesertim, qui contra-

minae conjunctio individuam vitae consuetudinem retinens (a). Uti Sacramentum, quatenus simul contractum

ctum matrimonii a ratione Sacramenti separari posse censuerunt; illud tamen constanter adfirmarunt, quod sine gravi peccato, a contractu ea Sacramenti separatio, studio fieri non possit. At haec opinio nec doctrinae Inn. III consentit c. *quando* 1. *de divortio*, nec arridet plurimis Theologis, atque Canonistis, quos sequimur; jam enim ex dictis patet, quod officium naturae seu ipsum contractum naturalem Christus ad Sacramenti dignitatem evexit, ut uno eodemque acto, et contractus habeatur et Sacramentum in conjugio Christianorum, nimirum illa identificentur per unum eundemque actum, et nonnisi mente tantum, ratio unius ab altero distinguatur. Et quidem ratio Sacramenti naturali contractui non supervenit jam in suo esse constituto et perfecto; sed exurgit et perficitur in actu ipso, quo sub debitis conditionibus perficitur contractus idem, quique ut materia proxima respectu Sacramenti se habet, scilicet qualem exigit officium naturae ipsi matrimonio essentiale. Nonne signum *practicum* voluit ipse Christus esse matrimonium fidelium, quia praeter conjunctionem, quam exprimit, suam cum Ecclesia, gratiae quoque promissionem adnexam haberet? Nonne Ecclesia in Concil. Florent. §. 5. et 7. ac in Trid. c. 1. *de Sacr. Matrim.* simpliciter, et indefinite matrimonium inter fideles vere, et proprie Sacramentum dicit? Jure vero divino et publico hoc constitutum, arbitrio mutari non potest privatorum, ita ut hi nec mutare, nec auferre possint significationem sacram, promissionem ipsam gratiae, sed obicem tantum ponere; verbo: intendere non possunt contractum sine Sacramento. Sed dices, intentionem necessariam in adulto suscipiente Sacramentum, et in ministro saepissime deesse posse in contrahendis matrimoniis (ex. gr. in protestantibus) quae quidem ob id non erunt Sacramenta? Ita vero, facile erit respondere: inter fideles matrimonium a Sacramento disjungeretur, si implicita in his deesset et generalis intentio faciendi quod Deus vult fieri, cum Sacramentum instituit matrimonii; suntque protestantes ipsi, qui nunquam concubinatum, sed matrimonium secundum Dei ordinationem inire volunt. Sed haec fuse apud Theologos pertractantur.

(a) Ex c. *illud* de praesuntionibus et c. 17. q. 2. §. 2. item ex Inst. de patria potestate. At si verbo *conjunctio* addas illud scilicet *maritalis* et superaddas *inter legitimas personas*, definitionem habes Magistri sententiarum, quam Catech. Rom. suam facit, et per partes exponit.

includat, definitur a Bonacina (1) legitimus et indissolubilis contractus inter virum et foeminam, quo traditur et acceptatur mutua corporum potestas in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et confertur gratia sanctificans. Quod Sacramentnm de fide tenendum esse definivit Trid. (2) *Si quis dixerit, matrimonium non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus inventum; neque gratiam conferre; anathema sit* (a).

(a) Hoc innuunt Scripturae, traditio confirmat, et praxis totius Ecclesiae latinae et graecae comprobat, ut fuse videre est apud Theologos contra duumviros impietatis Lutherum et Calvinum. Constat proinde materia et forma; insuper minister et suus effectus. Ast in materia et forma hujus Sacramenti ait Melchior Canus (*De locis Theolog. l. 8. c. 9.*): *adeo sunt inconstantes et varii, adeo incerti et ambigui* Scholastici Theologi, ut ineptus futurus sit, qui in tanta illorum varietate, ac discrepantia rem aliquam certam, constantem, et exploratam conetur efficere. Ex opinionibus illorum duas tantum exponere juvat, quae principem tenent locum. Qui ministrum statuunt Sacramenti Sacerdotem, dicunt *materiam* esse contractum naturalem ab ipsismet contrahentibus mutuo consensu perfectum; *Formam* benedictionem seu verba a Sacerdote prolata, quam Trid. proponit *sess. citat. decr. de reform. cap. 1.* verbis: *Ego conjungo vos in matrimonium*; his etenim actus contrahentium inesse sacramentales determinantur. Qui vero tenent, ipsos contrahentes esse Sacramenti ministros, dicunt, materiam, et formam esse utriusque contrahentis consensum verbis aut signis expressum, licet sub diverso respectu, *materiam* prout consensus significat corporum traditionem, *formam* prout denotat mutuam eorumdem acceptationem, nec verba supradicta ajunt ut formam haberi; nam Tridentinum cit. loc. subdit, *vel aliis utantur verbis juxta receptum uniuscujusque provinciae ritum*: vel dicunt materiam esse ipsos contrahentes, formam vero mutuum ipsorum consensum, verbis, aut signis expressum.

Observandum manet ex Divo Thoma 3. p. qu. 84. art. 1. ad 1. quod in Sacramentis, in quibus plenitudo gratiae, quae confertur,

(1) *Qu. 2. part. 1. num. 2.*

(2) *Sess. XXIV. c. 1. de Sacram. Matrim.*

Est autem effectus hujus Sacramenti, non gratia prima sanctificans; illud enim exprimens purissimam Christi conjunctionem cum Ecclesia, nonnisi in statu gratiae celebrari potest, proindeque Sacramentum eorum est, qui jam gratia sanctificante ornati sunt, quapropter dictum est Sacramentum vivorum; sed est gratia secunda: unde Pastorum est sedulo admonere eos, qui cogitant de matrimonio, ut peccata sua diligenter confiteantur, et ut accepta reconciliationis gratia effectum non impediant choreis, lasciviis, cantilenis etc.

Hinc a quibus pie suscipitur haec gratia secunda, remedium affert illis malis, quibus nuptias vitiavit primorum parentum peccatum, quod quidem ex verbis expressum habetur Sacerdotis nuptias benedicentis, quodque tribus bonis a matrimonio originem trahentibus respondet, *bono* scilicet *fidei*, *prolis et Sacramenti*; uti Augustinus docet (1), cui concil. Florent. concordat (a). Hinc gratia sanctificante aucta, vi Sacramenti scilicet gratiae sacramentalis, in subjecto capaci auxilia supernaturalia habentur; nempe ut conjuges in pace, et casto amore mutuam sibi fidem servent; ut liberi suscipiantur, ac religiose educentur; ut inter conjuges ipsos, conjunctio, quae Christi cum Eccle-

---

superat facultatem actus humani, materia est corporalis ut aqua in baptismo, oleum in confirmatione etc. In poenitentia vero et matrimonio (in quibus gratia modum sequitur dispositionis) ipsi actus humani locum tenent materiae eodem pacto, quo emplastra proxime per se operantur, et exercitationes deambulatoriae prosunt sanitati pro modo earumdem.

(a) Bonum fidei comprehendit conjugalem fidelitatem, et unius cum una conjunctio, cui opponitur polygamia, et dissolubilitas. Bonum prolis, filiorum susceptionem et educationem. Bonum Sacramenti gratiam sanctificantem secundam, et gratiam sacramentalem.

(1) *C. 24. de bono conjugii.*

sia perpetuam conjunctionem significat, perpetuo perseveret; denique ut molestias et onera matrimonii sine peccato perferant.

CONCLUSIO SECUNDA

Causae omnes matrimoniales legibus dijudicari debent sacris, atque a Judicibus ecclesiasticis.

Leges perquam necessariae sint oportet ad tuendam honestatem conjugii in omnibus, ob rationis infirmitatem, et sexcenta in re lubrica labendi, errandique pericula, unaque ad divinae justitiae incredibilem severitatem vitandam in vindicandis flagitiosis complexibus. At leges istae sint oportet uniformes, et a caritate profectae, quibus libertas ipsius conjugii, et certa efficacia ad salutem et quietem animarum dirigi possunt: leges proinde Ecclesiae Christi, non illae minus tolerabiles principum, qui temporale tantum intendunt bonum ut Pallavicinus advertit (1): et eo vel magis quod ipsum matrimonium elevavit Christus ad rationem Sacramenti nullimodo saeculari potestati subjectum et voluit, ut valor illius ab ejus arbitrio non penderet; totque essent in Ecclesia una, Sacramenta distincta, quot potestates saeculares distinctae numerantur. Hinc ipsemet Christus Ecclesiae jurisdictioni, cujus est sacra regere illud subjecit, uti Trid. definivit (2). « Si » quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad » judices ecclesiasticos anathema sit ».

Reformatores ipsi, qui foro etiam ecclesiastico causas matrimoniales dijudicandas relinquunt, quos Anglica-

(1) *Hist. Trid. L. 25. cap. 9. num. 12.*
(2) *Cit. Sess. 1.*

ni sectantur, nostrum comprobant argumentum. Quid vero dicam de Ethnicis qui matrimonium tamquam rem sacram, Sacerdotibus suis, legibusque sacris definiendum reliquerunt? At res magis declaratur ex Christi exemplo, et non alius judicavit causam de repudio et matrimonio (1), is enim nec ad magistratum remisit, prout fecit, cum de haereditate agebatur (2): item ex Apostoli praxi, qui excommunicavit habentem uxorem patris sui (3). Hinc S. Ignatius M. ita docuit (4). *Decet vero, ut sponsi et sponsae de sententia Episcopi conjugium faciant, quo nuptiae sint secundum Deum et non secundum cupiditatem*: Justinus (5) et Athenagoras (6) tamquam adulterina traducunt nonnulla conjugia legibus imperialibus permissa. Revera Pontificiis legibus constitutionibusque Ecclesia semper usa fuit hac potestate, qua, ne dicam de omnibus aliis, Siricius ipse impedimentum publicae honestatis constituit (7), itidem et Concilia canonibus et decretis suis, quorum sat erit Eliberitanum adducere (8), et Neocesariense ann. 314, quae (9) impedimentum affinitatis statuerunt intra certos gradus. Adhaec Carthag. (10) et Calcedonen. (11) aliaque, ita ut quovis saeculo Pontificum decreta, et canonum sanctiones editae ad conjugia spectantia, documenta ineluctabilia sunt hujus

(1) *Matth. V.*
(2) *Luc. XII. c. 14.*
(3) *1. Cor. V.*
(4) *Epist. ad Polycarp. c. 5.*
(5) *Apolog. majori n. 15.*
(6) *In legatione pro Christianis n. 32.*
(7) *Epist. ad Himerium Tarrac. c. 4. apud Const. col. 628.*
(8) *Can. 61.*
(9) *C. 2.*
(10) *C. 104. Apud Harduinum acta concil. t. 2.*
(11) *C. 8. ibid.*

exercitae potestatis, immo nec unquam exortum hac de re dubium, quin ad Ecclesiae pastores excutiendum et judicandum delatum sit; nunquam vero ad Principes saeculares, nec ad magistratus eorumdem praesertim tribus prioribus saeculis (1). Genuina propterea theoriae et praxeos principia de matrimonio ex sacris canonibus petenda sunt, et praesertim ex Trident. (2), in foro etiam publico catholicorum recepto. His omnibus conservatum, ac declaratum jus naturale divinum de ipsis matrimoniis contrahendis, et amplius consultum honestati eorum (a).

Pudeat igitur reiterantes criminationem eandem M. A. de Dominis blaterantem, sola usurpatione, et per accidens Ecclesiam illo jure potiri, pudeat et illos, qui postea, personati catholici, Spatalensem sectari non erubuerint, quibus tamen apprime sic Card. Gerdilius (3) respondit: « Degno di un apostata si è questo nero sospetto, che tenta quì lo Spatalese di spargere su la buona fede della chiesa, quasichè tanti santi Pontefici, tanti venerabili Padri adunati nei concilii avessero conspirato per una sì lunga serie di secoli ad usurpare una incompetente autorità lesiva de' dritti della podestà civile, nè avessero temuto di chiamare lo Spirito Santo in patrocinatore di questa da loro conosciuta usurpazione, promulgando sotto l'invocazione di lui le ordinazioni fatte da essi riguardo al matrimonio, come provenienti da autorità ricevuta da Dio, e diretta e regolata dallo Spirito suo. Stolta imprudenza, che scuopre la malignità dell' ani-

(a) Art. XX concord. ult. ann. 1818 comprobatur, in quo ad praescriptum Trid. causas matrimoniales dijudicandas esse dicitur.

(1) *Lege Bullar. 1. 2.*

(2) *Cit. loc.*

(3) *Tract. de matrim. 6. 1. §. 12.*

mo, senza pure giovare all' intento. Egli è assioma di universale giurisprudenza, fondata sull' equità naturale, che un pacifico possesso da lunghissimo tempo mantenuto, ed esercitato senza interruzione per mezzo di frequentissimi atti notorii, con perfetta acquiescenza delle parti interessate, fa presumere un qualunque più giusto titolo, e che a togliere il dritto, non basta un dubbio anche probabile in contrario, ma esser d' uopo, che la mala fede sia conchiudentemente provata da chi si prende a contrastarla ». Retegant ergo, subdimus, adversarii artes et machinationes, quibus Ecclesia usurpationem illam molita sit, assignent tempus quando invasio fieri caepit, ejusque auctores designent. At hoc agere illos certe nemo expectat, nisi qui in re ludos facere velint; quibus tamen denique restat nobis dicere, eccur ex iis, quorum intererat, nullus de violato jure clamavit? nullus ex principibus, ex tot aulicis assentatoribus principum nullus? Praestat hinc in jus Ecclesiae se concedere, et Pontificis Greg. XVI, quem semper Deus bono illius sospitet, incolumemque tueatur, vocibus personantibus adhuc (1) plausum facere: *Memores* (populi) *sacris illud* (matrimonium) *rebus adnumerari*, *et Ecclesiae proinde subjici*, *praestitutas de ipso ejusdem Ecclesiae leges habeant in oculos*, *iisque pareant sancte accurateque*, *ex quarum executione omnino pendent ejusdem connubii vis*, *robur ac justa consociatio*.

Verum, quatenus pro actu aut conventione sumitur Matrimonium, passim adnumeratur contractibus: matrimonium scribit D. Thomas *in quantum est officium naturae statuitur lege naturae*; *in quantum*

(1) *In Encyclic. 15 August. 1832.*

est Sacramentum statuitur jure divino; in quantum est officium communitatis statuitur lege civili (1): nimirum ex forma civili, quae supervenit contractui naturali et Sacramento, nec est nisi accidentalis et extrinseca, proinde mutationibus obnoxia: unde lege regitur civili, quoad effectus tantum civiles, nunquam quoad vinculum et essentiam ejus. Longe hinc a vero abierunt Neoterici seu pseudo-politici S. Doctoris auctoritate (2) abuti non cessantes; is enim post citata verba sic colligit: *Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium contrahendum illegitima*; talis enim ex lege civili illegitima esse potest, at quoad effectus, quibus eadem lege perfruuntur, scilicet tantum civiles: sibi aliter contradixisset S. Doctor, qui sic docuit (3) *prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi auctoritas Ecclesiae interveniat, quae idem etiam interdicit.* Quae ergo ordinem succedendi, ac jura temporalium tum conjugum, tum prolium attingunt, statui ultro concedimus civili lege (a).

Probe igitur ad forum sacrum causas matrimonia-

(a) Si quod est caput disciplinae ecclesiasticae, in quo nexus quidem cum re politica concipi possit, certe istud est, quod matrimonii leges complectitur. Ecclesia proin legibus Principum pluries se conformavit hac in re, et quoad effectus Ecclesiasticos; sed quatenus tamen ipsa adoptavit illas; nam et pluries easdem vel non admisit, vel correxit, quod videre est apud ipsum Jo. Fridericum Bockelmann protestantem *de differentiis juris civilis et canonici.* Quod si non defuere leges Impp. vinculum matrimonii spectantes, has ut vindices et custodes legum canonicarum, tulisse constat, ut nempe ecclesiasticas sancirent magis.

(1) *Suppl. 1. q. 50. a. unic. ad 4.*

(2) *Cit. loco.*

(3) *In IV. dist. 42. q. 2. a. 2.*

les pertinere tota declaravit antiquitas, et Trid. definivit (1) (a).

(a) Nos non latet neotericos sive pseudo-regalistas aliquos male interpretatos fuisse canonem ipsum XII Trid. : quasi non omnium matrimonii causarum judex sit oportet ecclesiasticus; sed placet eos gravi pudore suffundere verbis Pii VI immort. mem. in epist. sub forma brevis ad Episcop. Motulensem. « Ignotum » nobis non est, ait, quosdam adesse, qui saecularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus can. XII » captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut » quoniam Tridentini PP. hac dicendi formula usi non fuerint; » *ad solos judices ecclesiasticos*, aut *omnes causas matrimoniales*, » potestatem relinquerent judicibus laicis cognoscendi saltem » causas matrimoniales, quae sunt *meri facti*. Sed scimus etiam » hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita *generalia* sunt, *omnes*, » ut causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive » ratio legis adeo patet, ut nullum exceptioni, aut limitationi locum relinquat. Si enim hae causae non alia ratione pertinent » ad unum Ecclesiae judicium, nisi quia contractus matrimonii » est vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis, sicut haec Sacramenti ratio est communis *omnibus* » causis matrimonialibus, ita *omnes* hac causae spectare unice » debent ad judices Ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae juribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim ut verbis utamur Van-Espenii (*Juris eccl. P. III. tit. 2. c. 1. n. 4. et n. 11. et 12.*). » *Unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse mere ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum ad judicem ecclesiasticum privative spectare, nihilque circa eorum* » *validitatem, vel invaliditatem judicem saecularem posse decernere, eo quod ex natura sua sunt mere spirituales. Et sane, si* » *quaestio versatur de validitate ipsius matrimonii, solus judex* » *ecclesiasticus est competens, ipseque solus de hac quaestione cognoscere potest* ».

Observandum demum restat, quod quaestiones etiam facti, connexae tamen cum matrimonio, si quidem ipsum attingatur, ad sacrum pertinent forum; ex. gr. quando agitur de sponsalibus de im-

(1) *Cit. sess. c. 12.*

Nec vero quisquis, jurisdictione ecclesiastica pollens, ad eas causas cognoscendas sufficit. Etenim sic reperitur in jure statutum (1) *non sunt causae matrimonii tractandae per quoslibet, sed per judices diversos, qui potestatem habent judicandi, et statuta canonum non ignorent*. Hinc Trid. (2) *causae matrimoniales, et criminales, non decani, archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquantur*. Ejus Vicarius vel Generalis vel Specialis, vel Capitulum sede vacante non excluditur inde ab hoc jure.

CONCLUSIO TERTIA

Quomodo causae matrimoniales expediantur et definiantur explicatur.

Qualitates suas habent causae matrimoniales, et praeterquamquod ex officio ab Episcopo, ut celeriter

---

pedimentis, denuntiationibus, juribus, et obligationibus ex matrimonio provenientibus. Ceterum quae super his causis matrimoniorum et sponsalium cadant, vel emergant lites quum civiles, de arrhis, largitionibus etc., tum criminales de adulterio, raptu etc. judicio herciscundae jurisdictionis finiendae sunt. Hinc limitata manet regula juris communis, quae judicem principalis causae jubet cognoscere incidenter adnexa omnia, quamvis foro suo aliena *l. 1. c. de ord. judic. et l. quoties 3. c. de judicis*, proindeque in foro laico abstinet laicus cognoscere spiritualem controversiam de matrimonio ac sponsalibus incidentem: et vicissim Judex ecclesiasticus.

Articulis 150, et 151 civilium legum municipalium distinguuntur qualitates, et conditiones necessariae in conjugibus, salvis tamen juribus Ecclesiae, item quae praecedere matrimonium debent ejus jura, et obligationes, ac effectus civiles.

(1) *C. 1. in fin. de consang. et affin.*
(2) *Cit. c. 20. de reform.*

expediantur, tractari possunt *summarie* (1) 1.° eaedem causis *arduis* annumerantur, et suo modo publicis (2), imo criminalibus aequiparantur (3); hinc usus accusationum proprius criminum, adhibetur etiam ad allegationem, et denuntiationem impedimentorum; quorum ideo ante matrimonium contractum canones suppeditant *denuntiationem*, *accusationem* vero post contractum matrimonium (a): 2.° ut irritum declaretur

(a) Praetereundus non est hic Tit. 18. l. IV Decretalium, quo distinguuntur qui matrimonium accusare, vel contra illud testari possunt, quin concinne interpretetur. Hinc praeter dicta notandum, quod si agitur de dissolutione matrimonii propter aliquod impedimentum, tunc pro diversitate impedimenti, diversi admittuntur. Nam 1.° si matrimonium accusetur propter impotentiam, vel defectum consensus, aut propter metum, vel tale impedimentum, cui contrahentes possunt renuntiare, uti est conditio, error etc. tunc tantum iterum admittuntur ipsi conjuges. Ratio est, tum quia ipsi tantum sciunt impotentiam, et ipsi invicem, si velint, possunt cohabitare, si non ut conjuges, saltem ut frater, et soror (*cap. 4. de frig. et malef.*), et cognito errore, novum consensum ponere, qui etiam praesumitur, si scienter ac sponte utantur conjugio (*c. 2. de conjug. sero.*) Addesis quod ad separationem thori, seu quod cohabitationem ex. gr. propter adulterium tantum conjux innocens ad accusandum admittitur, ad ejus enim favorem principaliter conceditur, cui si vult potest renunciare. 2.° Si impugnatur matrimonium propter impedimentum publicae honestatis, aut consanguineitatis, affinitatis, ipsi conjuges admittuntur, dein eorum parentes, hisque deficientibus, proximiores consanguinei, et post cognatos admittuntur extranei, sed antiquiores e vicinia, quibus constat consanguineitas etc. (*c. 1. et 2. caus. 35. q. 6.*) 3.° Propter aliud impedimentum impugnare potest matrimonium quicumque alius qui non est suspectae fidei, et quidem in perpetuum, uti dictum fuit etiam ob peccatum vitandum. Suspecti vero censentur, qui diu ante tacuerunt, conjugibus quiete et sine quaestione cohabitantibus c. 1. *qui matrimonium ac-*

(1) *Clem. 2. de judiciis.*
(2) *C. fin. de procurat. in 6.*
(3) *C. 9. in fin. de in interg. rect.*

matrimonium contractum, et sit facultas aliud ineundi, plenissima requiritur probatio ob possessionem

---

cus. Item repelluntur qui ad accusandum, vel desistendum ab accusatione pecuniam acceperunt c. 5. eod. Susceptum demum est testimonium eorum, quorum praecipue interest illud contrahi et valere c. 21. *de testibus.* 4.° Omnes ii, qui sunt idonei ad accusandum matrimonium sunt et idonei ad testificandum sive agatur de dissolvendo, sive conjungendo.

Quot vero et quales esse testes debeant restat videre, et quidem non solum unus sufficit testis cum de matrimonio agitur contrahendo uti dictum fuit, sed hic quamvis vilis; dummodo de facto clandestino agatur omni alia probatione destituto, quod et intelligitur de eo qui de sua turpitudine testaret ex. gr. de carnali commercio cum suae sponsae consanguinea in gradu prohibito. Utroque casu de certa scientia opus est ut denunciet, non ex auditu, nisi probet consanguineitatem in suis gradibus, nec dicat a majoribus auditum, et per distinctos gradus, salvo semper prudenti judicio judicis. De hac denunciatione non solum ex unius testis fide, sed ex publica fama matrimonium contrahendum impeditur. (*c.* cum in tua *de sponsal. et matrim.*) Salvo jure conjunctorum contra asserta, jurato probandi cit. loc.

Cum autem de matrimonio solvendo sit causa, ex cit. Inn. III *c. licet*: testes si admittantur de auditu, sint tamen oportet: 1.° *bonae famae*, 2.° ut ante motam litem cognitionem ex. gr. consanguineitatis habuerint, vel a majoribus scilicet ascendentibus, vel a conjugibus, 3.° ut contestus sit testium, 4.° ut pro veritate dicant testari nunquam ob invidiam sive odium, 5.° ut per nomina propria, appellativa, demonstrativa vel per circumlocutiones sufficientes distinguantur gradus et unus ab alio discretus, 6.° ut dicant ita esse, ita se credere, 7.° ut de familiaritate et conversatione consanguineorum testentur, qui antiquitus uti tales sint cogniti, 8.° ut jurato haec deponant. Praeterea accusatio debet esse personalis; solae enim literae praesumptionem quidem faciunt, non tamen sufficiunt ad ferendam sententiam, nisi alia accedant adminicula c. 2. cit. tit. *quo matrim. accus.* Demum notandum quod si unus, vel uterque conjux asserat seu confiteatur inter se dari impedimentum dirimens, vel non dari; tunc si petant matrimonium dissolvi, et alio modo non probent impedimentum, non est ipsis credendum propter periculum collusionis c. 5. *de eo qui cognovit.* Si vero non petant dissolutionem, sed dispensationem in impedimento, oportet ipsis credere.

conjugum, et praesumtionem pro valore actus; verum pro matrimonio in defectu plenissimae probationis pronuntiari solet (1), ne quod Deus conjunxit homo separet. Ne autem hoc impediatur matrimonium, sufficit unius testis denuntiatio fide tamen digni, aut semiplena probatio; (2) *Tolerabilius enim est*, ait Innocent. III (3) *aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare*: 3.° sententia pro valore matrimonii lata nunquam tran-

---

Non abs re ducimus etiam addere quae juris civilis spectant praesertim ad hoc argumentum. Equidem comprobans illud cognitionem impedimentorum judicis ecclesiastici esse, quoad impedimentum defectu consensus parentum, de quo jus canonicum tacet, uti deinceps explicatum ibimus, parentibus ipsis concedit accusare illos apud magistratum civilem; nimirum patri matrive avo et avia et sic omnibus ascendentibus; nunquam vero collateralibus dummodo futurus sponsus non sit demens, vel si minor viginti unum annorum sine ascendentibus, nec de consilio familiae consensu velit contrahere. Insuper decret. 10 Januar. 1828 fuit sic provisum. « 1.° Le opposizioni alle sollenni promesse di matrimonio potranno dedursi nel termine di giorni quindeci destinato all' art. 68. delle leggi civili per l' affissione della notificazione, e nel termine dei tre giorni susseccutivi richiesto dall' art. 77. delle medesime leggi civili per potersi devenire alla celebrazione della sollenne promessa di matrimonio, 2.° se nel quarto giorno dopo il termine dell' affissione della notificazione le parti non adempieno alla sollenne promessa di matrimonio innanzi all' uffiziale dello stato civile, potranno solamente dopo il periodo di tempo indicato nell' art. precedente dedursi nell' interesse privato quelle opposizioni, i motivi delle quali siano posteriori al periodo anzidetto. Sarà perciò unito all' atto di opposizione un documento giustificativo del motivo avvenuto ».

(1) *Arg. c. fin. de sent. et re jud.*
(2) *C. 12. de sponsal. c. 2. de consang. et affin.*
(3) *C. licet ex quadam 47. de test. et attest.*

sit in rem judicatam (1), neque ulla quoad valorem aut nullitatem habet locum praescriptio, transactio, compromissum, juramentum, restitutio in integrum. Unde recusatio etiam post longissimum tempus fieri potest, nisi conjuges sint jam mortui, et liberis moveatur quaestio status. Quo casu praescriptio locum habet, uti in aliis actionibus civilibus, vel criminalibus. 4.° Contra contumaciter absentem agi potest ad declarandam matrimonii nullitatem, et si testes et probationes suppetant, usque ad definitivam sententiam (2); non tamen ad divortium faciendum ex causa adulterii (3) (a).

Dummodo limitibus nobis propositis non obstet, cum de judiciis erit sermo, ad usum revocabimus hos canones cum convenientibus formulis suis.

(a) Judex ecclesiasticus si impedimentum est manifestum et publicum, sua auctoritate nemine denuntiante vel accusante inquirit, et illegitimas conjunctiones dirimit. c. 3. *de divortiis.* Si autem causa nullitatis matrimonii ad Judicem defertur, maxime cavendum ne nimis facile dissolvantur matrimonia, quod contigisse conqueritur Bened. XIV in const. *Dei miseratione* tom. 1. Bullar. n. 33. Ob id providet 1.° ut in singulis dioecesibus eligatur aliquis si fieri potest ecclesiasticus, qui sit defensor matrimoniorum data Episcopo facultate eum removendi et alium substituendi, 2.° ut lis de nullitate matrimonii nunquam fieri possit per unam instantiam, sed si in ea de nullitate contra matrimonii valorem pronuntiatum fuerit, necessario appellatio a dicto defensore interponi debeat donec saltem duae conformes sententiae de nullitate habeantur. Si in prima instantia pro valore pronuntiatum est, defensor appellare non debet, 3.° Conjugibus interdicuntur aliae nuptiae sub poena polygamiae donec lis in utraque instantia finita sit.

(1) *C. 7. cit.*
(2) *C. 1. qui matrim. accus. etc.*
(3) *C. 1. ut lite non constet.*

CAPUT XV.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII, UBI ET DE DIVORTIO FIT MENTIO.

CONCLUSIO PRIMA

Unitas matrimonio conveniens ostenditur Polygamia ei adversa reprobatur.

Bonum fidei quod ad matrimonium pertinet, unitatem commendat propriam nuptiarum, hinc polygamiam reprobat (a). Hoc ex primaeva conjugii institutione comprobatur; unum enim Adamum cum una Heva conjunctum postquam tradidit Moyses, subdit (1): *Quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*: quae verba referens Christus ipse, qui jam ordinavit matrimonium ad significandam incarnationem, seu unionem unius Christi cum una Ecclesia (2), conclusit (3): *itaque jam non sunt duo, sed una caro*. Quod Hieronymus sic exponit (4): *etiam de Paradiso expulsus Adam, unam uxorem habuit. Primus Lamech maledictus et sanguinarius, et de Cain stirpe descendens unam costam distinxit in duas*. Trid. denique definivit (5). « Si quis

(a) Polygamia in *successivam*, et *simultaneam* distinguitur: illa dicitur, quum decedente alterutro conjuge, alter ad secundas transit nuptias. *Simultanea* autem *polygamia* dicitur, qua vir sibi plures foeminas simul et semel matrimonio jungit. Si vero foemina sibi simul jungit plures viros, tunc habetur *Polyandria*.

(1) *Gen. 11. 24.*

(2) *Eph. 5.*

(3) *Matth. 19. 6.*

(4) *Epist. V. ad Salvinam de servanda viduitate.*

(5) *Sess. XIV. c. 2.*

» dixerit licere Christianis plures simul habere uxo-
» res, et hoc nulla lege prohibitum, anathema sit ». Praeterea supposita saltem institutione praedicta matrimonii, polygamiam jure naturae esse prohibitam DD. tenent, imo sensus communis fere omnium gentium; unde pro barbaris, ac male moratis eos habent, apud quos obtinet illa; et ratio est, quia nemo potest jus ad sui corporis usum alteri tribuere, nisi prout dederit Deus, qui directam habet corporum potestatem. Adde quod Ethnici ipsi velut abominandam turpitudinem, ac naturae adversam execrati eam fuerunt. Igitur patet unitati matrimonium commendatum a Deo; nec unquam licuisse, ut uni foeminae plures essent viri, ut probat Augustinus (1) eo quod maxime id repugnet altero primario fini matrimonii, scilicet bono prolis.

At ultro concedimus divina dispensatione concessum veteribus ante legem, sive legis tempore viventibus, plures uxores habere, sed vel ad sobolis multiplicationem, vel ad mysterium aliquod significandum (a). Hinc polygamiam juri naturali absolute non esse contrariam, prout blaterat Calvinus cum suis: nec adversari primariis conjugii finibus patet. Verum a Christo illud in nova lege abrogatum fuit. Quae vero contraria argumenta

(a) Apparet hoc Gen. 16. ubi Sara postquam dixit ad Abraham: *ecce conclusit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, si forte saltem ex illa suscipiam filios*, c. 21. 12. dixit Dominus ad Abraham: *omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*. Quinimmo consuetudinem hanc apud Hebraeos ipse Deus innuit. Deut. 21. 15. *Si habuerit homo uxores duas etc.*: unde nec facinus istud a Prophetis unquam genti Judaeorum objectum deprehendimus. Hoc argumentum sic Inn. III in c. *gaudemus* extra *de divortiis* illustrat: *protestamur, quod nulli unquam licuerit insimul plures uxores habere, nisi cui fuit divina revelatione concessum* h. e. Dei revelantis dispensatione.

(1) *Lib. de Con. conjug. c. 17. n. 20.*

proferunt ex supposita felicitate orientalium, polygamiam sectantium; pro pace domestica etc.; annalibus eorum, et experientia refelluntur (a).

Contra Montanistas, et Novatianos sensit Ecclesia, polygamiam successivam permissam esse, Apostolo docente (1): *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus liberata est; cui vult nubat tantum in Domino.* Quamvis ex consilio ejusdem *beatior tamen erit si sic permanserit* (2). De illa Hieronymus ait (3): *ego etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imo, nec trigamiam; et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo et secundo marito nubere: sed quomodo non damnantur istae nuptiae, ita nec praedicantur. Solatia miseriae sunt enim, non laudes continentiae.*

Constat autem PP. Graecos polygamos poenitentiae publicae subjecisse; non ideo tamen quod jure divino prohibitas existimaverint eorum nuptias, sed quia repetita conjugia praepotentis libidinis suspicionem injiciebant (b). Vetus quidem et nova disciplina ratas

---

(a) Confer Comes de Maistre *Du Pape.* lib. 3. c. 2.

(b) Leges civiles quamvis secundas nuptias permittebant, tamen poenis variis multarunt. Theodosius infamia plexit inter alias poenas viduas, quae intra annum luctus secundo nuberent absque dispensatione Principis. Saec. IX praeter alios Leo Philosophus poenam canonicam Concilii Neocaesariensis firmavit in eos, qui ad tertium matrimonium pervenissent. Haec synodus tempus poenitentiae indixit in illos, et presbyteris vetuit interesse conviviis secundarum nuptiarum ann. 304 in can. *de his qui* 8. c. 31. q. 1. Jure decretalium c. IV. et 11. *de secundis nuptiis* nulli poenae fit obnoxia mulier intra annum luctus nubens, neque infamiam contrahit.

(1) *1. Cor. 7. 39.*

(2) *Ibid. v. 40.*

(3) *Apolog. 1. adv. Juvin. seu epist. 50. ad Pammach.*

*

habet secundas nuptias, et merito Bened. XIV (1) sanxit, ne Graeci eas damnarent. Ut nullam vero digamis benedictionem nuptialem impertirentur presbyteri ex antiquo jure cautum fuit (2), quod passim libri Rituales, et praesertim Romanus praescribunt (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Matrimonium indissolubile multiplici jure demonstratur.

Altera matrimonii intrinseca proprietas est indissolubilitas (b), quae etsi Theologorum argumentum sit, tamen quia saepe occurrit in decidendis causis, fas jusque

---

(a) Benedictio solemnis nuptiarum, est accidentalis, et extrinseca Sacramento. Haec a Sacerdote legitimo assistente impertienda, et quidem inter missarum solemnia; licet ubi fert usus impertiri sufficiat etiam ante altare, imo etiam in domo privata c. 1. seq. can. 30. q. 5. Trid. sess. 24. *de reform. matrim.* c. 7. De jure tamen, cit. can. nuptiae secundae non sunt benedicendae si nimirum vel uterque, vel unus saltem ad secunda vota transiens hanc benedictionem jam semel recepit; quia ut major sit benedictionum solemnium reverentia, eas Ecclesia non vult repeti respectu ejusdem rei, vel personae. Vi tamen consuetudinis, vel statuti, etiam secundae nuptiae alicubi benedicuntur, saltem si unus conjugum nunquam recepit benedictionem.

(b) Dissolutio matrimoni alia dicitur *propria*, *impropria* alia: *propria* est qua conjuges priori libertati ita restituuntur ut alias possint nuptias contrahere, vocaturque *dissolutio quoad vinculum*: *impropria* quae *divortium* dicitur est ea qua vel conjuges ab usu matrimonii fiunt immunes, et dissolutio quoad thorum appellatur sive lectum; vel a necessitate simul habitandi eximuntur; et tunc nuncupatur *dissolutio quoad habitationem*.

(1) *Const.* Etsi pastoralis *57. t. 1. Bullar.*

(2) *Alexand. III. in c. 1. et Urban. III. in c. 3. de servandis nuptiis.*

nostrum etiam erit commentari. « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum, ex Trid. (1), « primus humani generis parens divini spiritus instinctu pronunciavit, cum dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*. . . ejusdem nexus firmitatem ab Adamo multo ante pronunciatam, his verbis confirmavit Christus Dominus: *Quod ergo Deus conjunxit homo non separet* ». Unde sustulit libellum repudii olim Judaeis concessum (2). Laudatum Concil. aliis canonibus idem definivit (3), imo ex scripturis ipsis colligitur (4), quas Ecclesia intelligendas declarat de matrimonio consummato, quod significant ex D. Paulo (5), et communi interpretatione indissolubilem conjunctionem Christi cum Ecclesia per assumptionem carnis humanae. *Hujus procul dubio* ait Augustinus (6) *Sacramenti res est, ut mas et foemina connubio copulati, quamdiu vivunt inseparabiliter perseverent* (a).

(a) Nonnisi ergo per mortem naturalem unius conjugis quoad vinculum dissolvitur matrimonium ex D. Paulo ad Rom. 7. ita ut si mortuus resurgeret, non esset priori matrimonio obstrictus.

Matrimonium igitur ipsum infidelium etiam indissolubile; quia juxta communem et praesertim Vasquez sententiam a Bened. XIV citatam eamdem conjunctionem Christi cum Ecclesia figurat. Sacramentum conjugii proin ab Inn. III vocatur in c. *gaudemus* 8. de divort. Hinc si uterque conjux matrimonio consummato ad fidem

(1) *Sess. XXIV. in proem. de matrim.*

(2) *Matth. 5. 32. et c. 19. v. 8. et 9.*

(3) *C. 5. et 7. cit. sess.*

(4) *Luc. 16. 18. Mar. 10. Matth. 14. v. 8. et 9. 1. Corinth. 7. 10. et 11.*

(5) *Ephes. 5. 32.*

(6) *Ibid. de nupt. et concup. c. X. n. 11.*

Ex ipsa sui institutione etiam jure naturali firmum et indissolubile videtur matrimonium (quamvis aliqui inter Thologos negent) sive ut arctius ac certius servetur conjunctio in individua societate ; sive ut certae proli , ejusque necessariae educationi provideatur. His argumentis nec discordiae conjugum , quo animum suum adversi ad se invicem referunt , aut sterilitas , aegritudo , senectus , vel captivitas alterutrius conjugis matrimonium uti dissolubile traducere poterunt , et jus quod propugnatur officere ; nam praeterquamquod in legibus attendendum , quod omnibus prosit, non quod accidentaliter aliquibus noceat ; semper inde nihilominus aliquid commodi est : et quidem in sterilibus adest saltem remedium infirmitatis , et individua vitae societas eis per se prodest , sicut et senibus, atque captivis : discordes vero ipsi prolem etiam habere possunt : contra, qualis in familiis motus, et perturbatio , si conjuges ob aliquod incommodum separari possent (a) ?

---

convertatur, eodem vinculo obstricti manent, nec Pontifex dissolvit. Porro matrimonium fidelis cum cathecumena nondum baptizata ex dispensatione Summi Pontificis contractum ex parte neutrius dissolvi potest.

(a) Novatores 1.° jus philosophicum pro more suo obgerunt, sed potius sua libidine, et concupiscentia ducti ajunt, contractus natura sua omnem conventionem admittere. 2.° Jus sociale appellant , ex quo inferunt sicut mutuo consensu societas cessare potest, ita et matrimonium mutuo dissensu. 3.° Denique jus publicum sic invocant : principibus leges dant potestatem praescribendi contractibus, potestatem dant societates dirimendi aut laesos in integrum restituendi. Ast quis non videt matrimonium illis idem esse, ac concubinatum ? imo a vaga scortatione non differre , cum totum a voluntate illud pendere putent; sicque matrimonium iniri poterit diurnum, menstruum , annuum ; ipsaque prolis educatio aliis committi a parentibus. Adhaec societas conjugalis non ab hominibus inventa , sed a natura, seu potius ab ejus auctore instituta, certisque honestatis legibus informata indissolubilem se prostat. Ipsique fuere Romani

Quid ergo dicendum de matrimonio consummato infidelis ad religionem conversi? quid de matrimonio fidelium rato solubili post professionem religiosam unius conjugis? uno verbo : quibus in causis, et quonam modo matrimonium solvi possit, nec ne, sequentibus discutietur conclusionibus.

CONCLUSIO TERTIA

Matrimonium ab infidelibus legitime contractum, quoad vinculum dissolvi potest, si alterutro conjuge ad fidem converso, nolit alter cum eo pacifice vivere.

Prob. ex Apostoli verbis (1) : *Si quis frater uxorem habet infidelem; et haec consentiet habitare cum illo, non dimittat illam. Et si qua mulier fidelis virum habet infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat. . . Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.* Quod vero de solutione quoad vinculum Apostolus loquatur, comprehenditur ex antithesi quam instituit inter conjugia fidelium, et illa in infidelitate contracta ex dispari conditione, quam inter ea intercedere declarat; sicut ergo inter fideles eadem absolute indissolubilia quoad vinculum dicit, inter in-

---

qui uti Tertullianus in apolog. testatur per annos fere sexcentos nullum libellum repudii dederunt. Nec praetereundum quod S. Hieronymus epist. de morte Fabiolae dixit : *aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi. Aliud Papinianus aliud Paulus noster praecipit.* Vide opus egregium D. Bonoald *du divorce etc.*, et Drach de veteris Sinagogae vera de divortio sententia.

(1) *1. Cor. VII.*

fideles dissolubilia asserit : *Quod si infidelis discedit discedat* nullam conditionem adjiciens, imo rationem asserens dissolutionis : *Non enim servituti etc.*

Hanc D. Pauli doctrinam Innocentius III exponens ait (1): *Si alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur ; altero vel nullo modo, vel saltem non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum ei cohabitare volente, fideli ad alias nuptias transeundi facultas permissa est* (a). Subdit (2) rationem : nam etsi ma-

---

(a) Quo puncto temporis conjugii vinculum dissolvitur, sunt qui dubitant. Ceterum Bened. XIV ex quodam decreto Cong. Concil. ostendit longe probabilius conjugium dirimi nec ante, nec postquam contractum fuerit ; sed quando contrahitur secundum, non quum fidelis baptizatur. Vide S. Thom. *in suppl. qu. 5. a. 5. ad 2*. Ex his resolves I.° Vir infidelis ad fidem conversus uxorem duxit. Statim hac decedente, prior uxor ab infidelitate fidem quoque amplexa est. Haud ille ad eam ; tum fidelem tenetur accedere, soluto jam vinculo prioris matrimonii. II.° Infidelis conjux baptizatus haud alias contraxit nuptias. Quae in infidelitate remansit alteri nupsit. Nunc eadem baptizata, ab altero hoc separanda est. Remanente enim adhuc vinculo cum priore viro non potuit ad alias nuptias in infidelitate convolare. Solvendi enim matrimonii privilegium fideli, non infideli datum est. III.° Fidele nuptias contrahente, vinculum ex parte etiam infidelis rumpitur, ut valide iterum nubat in infidelitate. IV.° Si vir infidelis occidat maritum uxoris fidelis seu christianae ejusdem machinationibus, et insidiis ; non potest dein illam ducere in uxorem, etiam si haec istud fecerit, ut vir infidelis, inito cum ipsa matrimonio, ad fidem convertatur. Ita expresse habetur c. 1. *de convers. conjug.* Nam hoc ipso quod talis uxor, cujus maritus ipsius insidiis per infidelem fuit occisus, incurrat tale impedimentum criminis, etiam infidelis ligatur, cum matrimonium, si ex una parte est invalidum, ex neutra valet.

Non abs re heic observandum, quod si uxor infidelis fiat catholica, marito remanente in infidelitate, debet proles communis, si

(1) *In c. quando VII. Extra* de divortio.

(2) *Cit. c.* quanto.

trimonium sit verum, quod inter infideles existat, non est tamen ratum (a). Et hic casus est unicus divina auctoritate exceptus, quo matrimonium semel validum et consummatum dissolvi potest quoad vinculum: uti videre est apud Theologos qui fuse hoc pertractant argumentum et vindicant (b).

---

nondum rationis sit capax, adeoque Religionem eligere non possit, educari apud parentem fidelem. Ita c. 2. cit. tit. non enim valet ratio civilis et patria potestas, ubi de bono fidei agitur, et salute animae.

(a) Matrimonium ab infidelibus legitime contractum nunquam dissolvi posse, vix unquam fuit, qui ante medium anteactum saeculum effutivit. Hoc aevo quoniam celebris fuit causa cujusdam Judaei Borak Levi, cui ad fidem converso officialis D. de Fitz-James Episcopi Suessionensis denegavit facultatem ad secundum matrimonium convolandi, etsi contenderet uxorem ipsius in infidelitate perseverantem nolle pacifice secum habitare. Supremus Senatus Parisiensis, ad quem Borak Levi appellaverat, pronunciavit die 2. Januar. 1758, nullum esse abusum in sententia Suessionensis officialis. Ceterum Rituale Suessionense ab ipso D. de Fitz-James editum p. 246 doctrinam communem de facultate neophitis concessa admittebat. Verisimile tamen esse observat praecl. Lequeux *manuale compend. q. c. t. 2. tract. 2. sect. 1. c. 9. §. 998. not. 1.* ut ex teste coetaneo ipse audivit, Borak Levi suspectum fuisse, quod religionis velo libidinem voluisset obtegere.

Attamen ex hoc tempore plures prodiere libelli pro indissolubilitate ejusmodi conjugiorum, omnes fere in indicem librorum prohibitorum relati, et quorum auctores plerique aut Janseni asseclae sunt, aut aulicae curiae addicti. His se accommodat auctor. Instit. Theolog. Lugduni edit.

(b) Solutio matrimonii non statim sequitur baptismum alterius conjugis, hic enim postquam conjugem alterum interpellaverit, num et ipse catholicam vellet religionem amplecti, moram si quaesierit ei facere debet, quod etsi juridice fecerit, melius erit. Hinc si conversus statim aliud contraheret matrimonium, nec valide contraheret juxta Bened. XIV de Synod. Dioeces. l. 6. c. 4. n. 3. et in constitutione *Apostolici Muneris.* Casu autem quo pars infidelis multum distaret, Pontifici recurrere opus erit.

Glossa (1) his versibus exponit causas, ex quibus jus est fideli ad fidem converso petendi solutionem vinculi matrimoni contracti cum infidele.

Desere spernentem, vel blasphemare volentem,
Vel te credentem scelus ad mortale trahentem.
Nam sunt absque mora, sic vincula rupta priora.

CONCLUSIO QUARTA

Matrimonium ratum sed non consummatum, etiam quoad vinculum per professionem Religiosam unius conjugum dissolvi potest.

A Trid. argumentum hoc jam definitum habetur (2) contra Protestantes hanc praxim Ecclesiae perstringentes; quamvis non agatur nisi de re ad disciplinam spectante, ut placet aliquibus DD.: quia tamen haec cum jure conjuncta videtur, recte anathema in eos dixit his verbis: « Si quis dixerit matrimonium ratum » et non consummatum, per solemnem Religionis » professionem alterius conjugum non dirimi, anathe» ma sit (a) ». Trid. Synodo praeiverant Summo-

(a) Post ratum matrimonium conceditur ab Alexand. III in c. *ex public.* bimestre tempus utrique conjugi ad deliberandum, utrum velit religionem ingredi. Intra quod tempus si unus deliberare voluerit quid ei esse faciendum, et conjugale debitum alteri interim negare, et Religionem ingredi tenetur. Qui vero in saeculo remanet commonendus est, velit ne continentiam servare; si nolit, expectare debet annum probationis, postquam juxta Trident. sess. XXV. c. 15. *de Regularib.* solemnis professio emittenda est. Immo si desponsata puella fuerit duodennis, quum ipsa ex Trid. *non ante XVI annum expletum* profiteri possit, eatenus expectandum est.

(1) *In c.* Quando 7. *de divortiis.*

(2) *Sess. XXIV. c. 6. de matrim.*

rum Pontificum decreta: Alexander enim III (1) ann. 1179; et Innocentius III (2) non solum declararunt, id licite fieri posse, sed et exemplo Sanctorum id confirmarunt; ac proinde verba Christi: *Non licet viro uxorem nisi fornicationis causa dimittere* de matrimonio consummato intelligi debere affirmarunt. Insuper laudatus Pontifex Alexander III (3), etiam verba illa *erunt duo in carne una* de matrimonio tantum consummato intelligenda esse tradit et Innoc. III (4), se non novam doctrinam invehere, verum a decessoribus suis acceptam sequi testatur; cumque posteriores Pontifices secuti, id ipsum constanter tenuerunt. Nec igitur ferenda, quae vi furoris potius, atque erroris Protestantes contra effutiunt; quum ex Augustini regula *Quod tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare insolentissimae insaniae est* (a).

(a) Ne longus sim in adversariorum figmentis diluendis, sufficit quaedam observare 1.° ab auctoritate divina qua Deus hanc fecit facultatem Ecclesiae suae, ac praecipue Vicario suo R. Pont. jam hoc jus descendere; quod quidem traditione nobis innotuit. 2.° Ecclesiam directe nihil posse in substantiam Sacramentorum, sed plura statuisse ad legitimam administrationem illorum. 3.° Suis in matrimoniis Christianos conjuges mutuam sibi invicem sui corporis potestatem absolute non facere, verum sub tacita saltem hac conditione, ut liceat ante matrimonium consummatum per religiosam professionem sese Deo consecrare; cum enim solemni totius Ecclesiae judicio definitum sit, hoc fieri posse, nemo Christianus est, qui in contrahendo matrimonio hanc velit conjugi potestatem denegare, vel possit. 4.° Contractum sub conditione susceptum, per consummationem matrimonii, transire in absolutum, Sacramentum porro sequi naturam contractus. 5.° Per in-

(1) *In Concil. Later. III. c.* Verum. *Extra de convers. conjug.*
(2) *In c.* Ex parte *de convers. conjug.*
(3) *C. ex publico 7. cit. loc.*
(4) *Cit. loc.*

Num vero etiam per dispensationem Pontificis matrimonii vinculum dissolvi possit difficile non erit ex dictis colligere: sic enim DD. fere omnes, et recentiores, exceptis Pontio et Reiffenstuel, passim contra aliquos argumentantur; Professione Religiosa dissolvitur matrimonii rati vinculum, ergo et dispensatione Pontificis dissolvi potest, tum quia Professio Religiosa hanc vim obtinet ex jure Ecclesiastico, tum quia Pontifex per dispensationem potest tollere vinculum ipsius professionis religiosae: *Si vinco* dicit notum axioma, *vincentem te*, *multo magis vinco te* (1). Addesis actum, ex quo recte de potentia concluditur. Et certe jam saepius dispensarunt Pontifices in matrimonio rato, et ut refert ipse *Carrière* a Martino V usque ad Pium VII ad usum dispensationes istae revocatae fuerunt. Imo a Greg. VII Adrian IV ante Martinum cit.: imo Greg. XIII, ut Clericatus testatur (2), uno die undecies dispensavit ab hoc vinculo. Num ergo in re tam gravi erit catholicum asserere tot, tantosque Pontifices, non dissentiente, imo tacite saltem consentiente Ecclesia universa, errasse? quinimmo juxta Bened. XIV (3) de Pontificis potestate, uno ore confiteri opus est, postquam

---

gressum unius in monasterium ante consummationem matrimonii, non fieri injuriam alteri conjugi, qui forte erit invitus, teste Alexand. III in cit. c. *verum*. Si enim potest alter invito altero, periculo se mortis objicere, causa martyrii, aut ob defensionem patriae; ecquid non poterit perfectioris status ratione? 6.° Discrimen esse inter solemne castitatis votum, et emissum in professione religiosa, et illud quod fit in susceptione ordinum: per primum perfecte nuncium mittimus saeculo, et valedicimus negotiis saecularibus, ac per secundum V. Suarez de Relig. t. 3. l. 9. c. 25.

(1) *Arg. l. 14. §. 9. ff. de divers. et temp. praescr.*

(2) *De Sacr. Matrim. dec. 15. n. 27.*

(3) *Confer Veracrux, in Specul. P. 1. a. 27.*

dispensavit, dubitare instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare, quod non satis Ecclesiae suae providisset (a).

CONCLUSIO QUINTA

Ob adulterium nullo modo dissolvi matrimonium potest, sed divortium perpetuum institui quoad torum et habitationem fas est, temporale vero ob plures causas quae declarantur.

Dimittebant Judaei ex causa etiam levissima uxores et alias praeterea ducebant. His Christus veram opponens doctrinam, non dimittendam uxorem dixit (1) nisi gravi de ratione, cujusmodi est violatio tori conjugalis: at etiam juste dimissa priore, moechari illum qui aliam duceret uxorem, docuit: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur.* Illa verba *nisi ob fornicationem* vides nonnisi ad priorem partem orationis referenda esse, seu ad *quicumque dimiserit*; non ad posteriorem, seu *et aliam duxerit* (b). Ita semper Ecclesia intellexit

---

(a) Confer const. Bened. XIV *Dei miseratione* t. 1. n. 33. Ubi declaratur, quomodo et quo ritu matrimonium ratum a S. Sede Apostolica dissolvitur.

(b) Apud Hebraeos, Deo sic permittente, per *libellum repudii* conjugale vinculum solvebatur. *Si acceperit homo* ita Moyses Deuter. 24. 1. *uxorem, et habuerit eam, et non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam foeditatem, scribet libellum repudii, et dabit in manu illius, et dimittet eam a domo sua*, et mox vers. 4. de repudiata ab uno, et ab altero subdit: *non poterit prior maritus recipere eam in uxorem.* Christus vero causam hujus dispensationis declaravit (*Matth. 19. 8.*): *Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.*

Plura vero requirebantur. 1.° Non uxori marito, sed marito dare

(1) *Matth. 19. 5.*

haec verba Christi : ita et ex aliis scripturis idem intelligi clare colligitur. Lucas enim exceptionem illam *nisi ob fornicationem* non retulit cum ait (1) : *omnis qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit moechatur.* Marcus vero sic se habet (2): *quicumque dimiserit uxorem suam et alteram duxerit, adulterium committit.* Demum Paulus generatim dixit (3): *igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

Hinc Sancta Trid. Synodus (4) plane definivit : » Si quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et do-» cet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam » propter adulterium alterius conjugum, matrimonii » vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam » innocentem, qui causam adulterio non dedit, non » posse, altero conjuge vivente, aliud matrimonium » contrahere; moecharique eum, qui dimissa adulte-» ra, aliam duxerit; et eam quae dimisso adultero, » alii nupserit; anathema sit ». Statuitur ergo Evangelicam et Apostolicam doctrinam esse, nimirum per adulterium matrimonium non dissolvi quoad vinculum (a).

---

licebat libellum uxori, et in scripto. 2.° A publicis scribis erat exarandus ut ad sedandam iracundiam viri aliquid temporis daretur, quo legitima executeretur causa. 3.° Libellus dabatur ne adulteriis, aut litibus pateret via. 4.° Causa nomine foeditatis exprimebatur, scilicet omnis turpitudo erat gravis sive animi, sive corporis. Vide Abulensem in Matth. qu. 52. 56. et seqq.

(a) Superioribus saeculis quaestionem hanc non fuisse eliquatam, nec ullo judicio Ecclesiae diremptam constat: unde nonnul-

(1) *XVI. 8.*

(2) *X. 11.*

(3) *Rom. VII. 3.*

(4) *Can. VII. sess. XXIV. de Matrim.*

Verum Tridentinum ipsum, divortium quoad torum, vel quoad habitationem multas ob causas inter conjuges fieri posse ad certum, incertumve tempus decernit; anathemate plectens illos, qui errasse hoc decreto dixerit (1): Et revera *perpetuum* instituere licet *regulariter* conjugi innocenti, propter alterius sive viri sive mulieris, ut ut invitae, vel reconciliationem petentis, fornicationem seu adulterium h. e. propter copulam carnalem, et perfectam cum alio, aut alia habitam, satisque cognitam: et habetur ex Matth. (2), et jure Eccl. (3): imo ipsa ratio probat, quia frangenti fidem, fides servanda non est (a).

---

li Patres, et concilia aut provincialia aut nationalia in diversas abiere sententias. Porro apud Graecos invaluerat sententia de dissolutione matrimonii ob adulterium. Et consuetudo fuit illud dirimendi ob ipsum adulterium. Apud latinos contraria sententia et praxis praesertim in Ecclesia R. viguit: quin tamen Graeci Latinis molestiam dederint propria consuetudine contenti. Cum vero Protestantes insurrexerint, et Ecclesiam erroris ob hanc doctrinam accusaverint, Concilium Trid. directe adversus eos canonem hunc emisit; et indirecte ut erronea et prava traduceretur sententia et praxis Graecorum ita definivit.

Ast Bened. XIV const. *Etsi pastoralis* ann. 1742 exponens quid de Italo-Graecis credendum sit; §. 8. agens de matrimonio, *divortia quoad vinculum, et si qua de facto praecesserunt nulla* declaravit. Quod si Graeci pergant sentire oppositum, dum ita se gerunt, peccant, et in hoc casu Ecclesia tolerat illos ut alios peccatores.

(a) Diximus *regulariter* nam excipitur 1.° si adulterium non fuerit formale, nimirum non scienter, vel non libere commissum: an vero hoc etiam procedat, si per metum gravem fuit adacta mulier, disputatur. Nobis arridet sententia affirmans, quia talis metus non tollit peccatum coram Deo, insuper et ex hoc scilicet, quod jus divertendi, utpote non solum jure ecclesiastico a quo observando excusare pos-

(1) *Cit. sess. c. 8.*
(2) *C. 5. v. 32.*
(3) *C. 4. 5. 8. de divortiis.*

Divortium autem temporale quoad torum, et cohabitationem, seu dum durat causa, quae multiplex esse potest ex DD. institui potest nimirum 1.° ob adulterium spirituale seu lapsum unius in haeresim; vel A-

set metus, sed etiam jure divino et naturali est concessum. 2.° Si injuria fuerit remissa expresse vel tacite. 3.° Si una pars alteri dederit causam adulterii saltem indirecte ex. gr. diu negando debitum conjugale, vel consenserit in adulterium alterius scilicet, non impediendo, cum facile potuisset, vel suadendo etc. 4.° Si postea etiam pars innocens labatur in adulterium, et fornicetur aperte vel occulte; quia paria delicta mutua compensatione tolluntur c. 4. 5. 6. *de divort.* c. fin. *de adult.* Id quod probabilius procedit etiam juxta Barb. Covarr. Conzal. aliosque contra Layman et alios si divortium prius per sententiam judicis fuisset factum; sententia enim judicis intelligitur conditionate, sicut et jus scilicet, nisi et innocens postea simile delictum patret. Praeterea diximus *innocenti*; nam pars rea non potest divertere si toleretur ab illo; imo licet dimissa, semper tenetur redire ad matrimoniale consortium quandocumque innocens petierit. Dictum denique *satis cognitam* h. e. saltem moraliter certam vel publice, vel privatim, vel per legitimam probationem in judicio.

Cum vero adulterium soleat esse occultum, hinc sufficiunt praesumptiones violentae, seu indicia, spectatis circumstantiis, valde gravia, quae cum tali delicto solent esse conjuncta puta; si uxor, alias jam suspecta, inveniatur sola cum solo in loco clauso, et ad peccandum apto etc. Lege Sanchez l. 10. *de matrim.* d. 12. a n. 40.

Nec abs re erit observandum dein, quod instituto divortio perpetuo, auctoritate Judicis ecclesiastici, licet innocenti suscipere S. Ordinem, vel ingredi religionem, non tamen nocenti; quia ille nunquam tenetur per se recipere nocentem ad torum et cohabitationem. Quod si post latam sententiam innocens mutaverit statum profitendo religionem, vel suscipiendo sacrum ordinem ac postea appareat, sententiam fuisse male latam, debebit, non obstante professione facta, vel ordine suscepto restitui alteri conjugi, quia Ecclesia non vult persistere in sententia male lata, nec conjux spoliata propter vota religiosa (cum professio fuerit nulla) vel etiam sacros ordines, suo jure quaesito revera spoliari debet. Ita cum S. Thom. fere communis sententia.

postastasiam a fide ob periculum subversionis (1); 2.° ob grave periculum animae; puta si compartem vehementer conjux instiget ad grave peccatum scilicet sodomiam, apostasiam, veneficium, furtum etc. (2); 3.° ob grave periculum vitae, et salutis corporis, nimirum si una pars alteri struat insidias, aut si merito timeat infectionem ex morbo contagioso etc.; 4.° saevities mariti, justae sunt causae hujus divortii, aut graves et frequentes discordiae, aut rixae quae nimis molestam reddunt cohabitationem inter conjuges (3). Et in his casibus licitum est conjugi innocenti divertere, accedente tamen sententia Judicis ecclesiastici, nisi periculum sit in mora; tunc enim statim fugere potest, nec tenetur redire, donec periculum cesset, et sufficiens cautio ipsi praestetur de malo in posterum non inferendo. Ita fuse Sanchez (4), Reiffestuel (5) et alii.

CONCLUSIO SEXTA

Quomodo instituatur divortium ob adulterium exponitur: a quibus proles post divortium alenda declaratur.

Quumprimum conjux innocens certitudinem habuit saltem moralem adulterii alterius conjugis, jus est illi se ab ipso separandi, quoad torum quidem propria auctoritate uti dictum jam fuit; quoad cohabitationem, solum per sententiam Judicis; nisi adulterium sit ita publicum et notorium ut nulla possit tergi-

(1) *C. 6. et 7. de divortiis.*
(2) *C. 5. caus. 28. q. 1. et can. 2. cit. tit.*
(3) *Per c. 8. et 13. de rest. spol.*
(4) *L. 10. d. 18. n. 2. 5. 11.*
(5) *Num. 29. et seqq. de divortiis.*

versatione celari. Ita Sanchez (1) Pirrh. et alii. Ratio est, quia adulter occultus est in possessione, et sine gravi scandalo separatio quoad cohabitationem regulariter fieri non potest: hinc necessaria est auctoritas publica; nisi quo modo scandalum vitari possit: ex. gr. simulando graves causas, abeat in longinqua etc. Si vero conjux innocens propria auctoritate recessit, et adulter querelam formet de injuria sibi illata, statim quoad cohabitationem mutuam, quoad thorum et debiti redditionem ille eidem restituendus est, donec adulterium plene probatum sit. Colligitur ex jure (2). Conjux vero innocens, etsi jubeatur per sententiam judicis etiam sub excommunicatione dimisso conjugi se reddere, non tamen tenetur ei parere, et debitum reddere, neque excommunicationem ob id incurrit, modo habeat moralem certitudinem adulterii commissi; nam sententia et praeceptum ex falsa praesumptione latum non obligat. Propter scandalum tamen ut cohabitet oportet, nisi praetextus aliquis honestus discedendi inveniri possit. Ita cum aliis Sanchez (3).

Divortio facto, ante sententiam judicis alenda est proles apud illum et illius expensis, qui alias, si divortium non fuisset, alere debuisset; lex enim poenalis non obligat, judicis sententia non praecedente, juxta DD. Post sententiam vero regulariter ali debet proles apud innocentem, sed expensis nocentis (4) (a). Si vero divortium neutrius conjugis culpa factum sit,

---

(a) Excipitur si innocens non sit idoneus ut infidelis, Mater secundo nubens etc. Sanchez l. cit. n. 4.

(1) *L. 10. de Matrim. D. 12. n. 25.*

(2) *Ex c. 4. de divortiis c. 2. 5. 6. et 10. de rest. spoliat.*

(3) *Ibid. n. 6. c. 14.*

(4) *Auth. Si Pater c. divortio facto et Nov. 117. c. 7.*

vel utriusque ex. gr. si unus haeresim, alter adulterium commisisset tunc servanda lex *Nec filium* (1), nempe ut puer minor triennio a matre, major vero a patre educetur, nisi judex aliud arbitretur (a)

CAPUT XVI.

DE SOLEMNIBUS, QUAE MATRIMONIUM PRAECEDUNT ET QUAE ILLUD COMITANTUR.

CONCLUSIO PRIMA

Natura sponsaliorum et effectus eorumdem declarantur.

Sponsalia (b) dicuntur jure civili mentio et repromissio nuptiarum futurarum (2). Civili sacrum jus

---

(a) Jure codicis nostri novissimi art. 233 sic sancitur. « Qualunque sia la persona, a cui saranno i figli affidati il padre, e la madre conserveranno rispettivamente il diritto di vegliare sopra il mantenimento di essi, e sopra la loro educazione, e saranno tenuti a contribuirvi in proporzione delle loro forze ».

Quod si matrimonium bona fide initum, reperiatur invalidum tunc filius conceptus, communibus alendus expensis c. 2. *qui filii sint legitimi.* Praescindendo autem a divortio, per se prolem educare debet in bonis moribus, vera religione, pietate et artibus Pater: Mater autem in ejus defectu nisi secundo nubat, tunc enim Tutoribus incumbit. Alimentatio ejusdem praecipue onerat Patrem, et in defectum hujus ascendentes paternos tangit; his deficientibus denique Matrem; hac mortua ad ascendentes maternos transit, vel his etiam deficientibus obligantur fratres et sorores. Procedit hoc etiam de prole spuria, quia quoad alimenta jus civile correctum est a canonico, cum etiam jure naturali proli debeantur alimenta. Cessat denique obligatio alendi liberos 1.° si aliunde hi habeant sufficientem sustentationem; 2.° si liberi in parentes ingrati fuerint et ob id exhaeredari possint. L. 5. §. 7. et 11. *de agnoscend. et alendis liberis.* — Quid sanciatur a jure nostri codicis novissimi vide art. 193 et seqq.

(b) Sponsalia a *spondere*, idest spontanee promittere. Mos Romanorum fuit, ut qui sub cura aut potestate puellam habebat,

(1) *C. de patria potest.*

(2) *1. ff. de sponsal.*

concordat et eadem dicit esse: futurarum nuptiarum promissionem. (1) Accuratius definiuntur promissio vera, voluntaria, ac mutua, signo sensibili expressa futuri matrimonii, inter personas jure habiles.

Equidem in iis ratio *contractus* aut certe *pacti* in genere cum non desit, hujus essentialia nec deesse possunt et 1.° *Vera* promissio sit oportet; scilicet interno consensu non destituta, non ficta; verbo: cum advertentia, et deliberatione tanta, quanta sufficit ad peccandum: pro foro externo tamen, nisi quis fictionem probet (a), consensus verus, et internus ex verbis et signis externis jure praesumitur quod ait (2), *nemo existimandus est dixisse quod non mente cogitaverit, nisi ex circumstantiis et modo tendendi facile potuisset colligi fictio vel jocus*. In foro interno ficte promittens, promisso non obligatur, sunt enim sponsalia contractus consensualis non realis, proindeque sine consensu nulla; nec *debet aliquis verba consi-*

---

alteri in uxorem sponderet. Quare qui spondebat *Sponsor*; quae spondebatur *Sponsa*, ille cui spondebatur *Sponsus* dicebatur.

Sponsalia triplici sensu accipi possunt; 1.° vel ut significent *Munera* quae Sponsus dat Sponsae, et quidem sensu minus proprio; 2.° *Matrimonium* antequam sit consummatum, sive matrimonium *ratum* aut *sponsalia de praesenti*; 3.° et communiter promissionem matrimonii primum ineundi, et sponsalia de futuro dicuntur.

Sponsalia de presenti sunt: actus *executivus* quo jus ad actus conjugales jam translatum traditumque est; Sponsalia de futuro sunt: actus promissorius qui mutuo dissensu dissolvi potest, etsi juramento firmatus, quique conditionem in se continet si *potero*, aut *rebus sic stantibus et notabiliter non mutatis*.

(a) Quam vix aliter probare poterit, nisi per juramentum, quod tamen ipsi deferendum non est, nisi ex circumstantiis aut tenore promissionis, conjectura saltem probabilis, aut aliqua praesumptio fictionis appareat.

(1) *C. 5. caus. 30. q. 5.*

(2) *L. 7. §. 2. D. de suppel. leg.*

derare, *sed animum*, *et intentionem* dicit jus (1). Verum, quia decipit in re gravi peccat graviter, et ad damna tenetur resarcienda alteri parti, si forte inde passa est (2). 2.° *Voluntaria*, et a compote rationis praestita, sine errore aut coactione, liberum tollente consensum (3) (a). 3.° *Mutua* ita, ut promissio

---

(a) Utrum metus tollat voluntarium ad sponsalia, lis vertitur inter DD. Qui affirmant, proindeque sic inita non valere sponsalia dicunt, his momentis nituntur 1.° cap. 11. *de sponsalibus impub.* permittitur puellae, quae *nolens*, *et invita*, *et minis parentum* contraxit sponsalia cum puero, alteri nubere etiam non expectata pubertate illius. 2.° Matrimonium metu gravi injuste incusso non valet; ergo nec sponsalia; quod enim in jure de matrimonio statuitur, ad sponsalia extenditur. 3.° Deficit consensus a jure requisitus in matrimonio contracto metu gravi, igitur etiam in sponsalibus. 4.° Si valerent haec sponsalia, ad actum nullum obligarent, scilicet ad matrimonium invalidum, quia per metum extortum; quod si metus cessaret in matrimonio contrahendo, ille tamen in hoc influeret, quia causa causae est etiam causati. Qui vero negant, meditantur jure naturae non irritari sponsalia metu contracta; nam consensum validum retinent: nec ullo jure positivo, aut efficaci ratione evinci oppositum dicunt. Respondent proinde ad 1. Pontificem dispensasse relaxando, et rescindendo sponsalia, quarum mentio ibi. Ad 2. non valere argumentum; quia textus clarus extat de matrimonio (*c. 14. et 15. de sponsal. etc.*) quod sit nullum: at haec lex irritans, utpote odiosa, non debet extendi a casu expresso ad non expressum, etiam propter identitatem et paritatem rationis, quae revera in casu non reperitur, nam semel validum matrimonium non potest amplius rescindi, sponsalia autem licet valida per metum gravem, possunt rescindi per actionem *quod metus causa*, vel per exceptionem *quod metus causa*. Ad 3. non deesse consensum de jure naturae requisitum ad sponsalia. Ad 4. negant *sequelam*; non enim absolute obligant ad matrimonium, et similiter negant influere adhuc, postquam cessavit metus in matrimonium.

(1) *Ex c.* Tua nos *26. de sponsal. et* Humanae aures *11. cap. 22. qu. 3.*

(2) *C.* Si culpa *9. de injuriis et damno dato.*

(3) *C. 25. in fin. de sponsal.*

interveniat unius, et repromissio alterius, nec sufficit hujus mera acceptatio promissionis; sponsalibus enim promittitur, quod per matrimonium traditur, nempe jus mutuum in corpus; sicut ergo matrimonium non consistit sine mutuo consensu ita sponsalia (a). Hic autem dummodo sit certus, et declaratus nihil refert expressus sit verbis aut signis (1); aut nutu assentiatur aut silentio ex. gr. parentibus pro filio respondentibus (b). Dubio vero superveniente, si verba, vel signa obscura sint, ea secundum communem intelligentiam, et locorum consuetudinem sunt accipienda (2).

Consensus vel inter praesentes, vel inter absentes sponsos, valet; *denique omnia* dixit Gothofredus (3) *et absentem responderi posse*, *et hoc quotidie fieri*. Mandato aut literis demum jus non impedit, quin sponsalia fiant (4).

Unusquisque, modo usu rationis et discretione potiatur (c), in futurum matrimonium consentire po-

---

(a) Hinc promittens puellae se eam ducturam, quae acceptat, sed non repromittit, vi hujus promissionis ad nihil obligatur cum nulla intercesserint sponsalia. Quod si non animo contrahendi sponsalia; sed gratuito, et absolute promittit, puella promissionem acceptante, vi liberalis promissionis acceptatae, saltem in foro conscientiae teneretur ut fidem datam servaret.

(b) In sponsalibus de futuro ex singulari juris dispositione *c. un. §. 2. in 6. de sponsalib.* liberi censentur per os patris, et matris loqui; ita ut valida sint, si parentis consensum exhibeant praesente, et tacente filio aut filia.

(c) Sponsalia non valent nisi pars utraque septennium compleverit, etsi jure naturali et divino certa aetas ad ea non praescribatur; neque impedimentum publicae honestatis producunt, neque etiam spectatur an malitia suppleverit aetatem cap. 4. et 5. 13. X. et cap. 1. *de desponsatione impub.* nec satis est si vel

(1) *C. 23. tit. cit.*

(2) *C. 7. eod.*

(3) *In l. 4. ff. de sponsal.*

(4) *L. 18. ff. ibid.*

test (a).

Ab impuberibus, idest masculis ante quatuordecim; femellis ante duodecim annos, sponsalia contracta rescindi possunt adepta pubertate; ita ut pars impubes cum ad pubertatem pervenerit resilire poterit, si velit ab illis (1) (b).

Effectus sponsaliorum duplex est: impedimentum scilicet publicae honestatis, et obligatio sub gravi standi invicem promissis (2). Et primo quae jure civi-

---

una pars septennio sit major cap. 13. et c. 1. in 6. deficit enim consensus in iis. Verum sunt alii DD. qui tenent etiam ante septennium esse valida, si malitia suppleat aetatem, quod in sponsalibus evenit, cum ante tempus a jure praescriptum adest sufficiens usus rationis.

(a) Ex quolibet impedimento matrimonia dirimente, quoties ante sponsalia illud obstiterit, invitus nemo cogitur dispensationem apostolicam pro eo amovendo impetrare. At qui post sponsalia causam dederit impedimento hujusmodi postea exorto; novum subit onus procurandae dispensationis Sanchez l. 1. *de matrim. disp.* 56. n. 14.

(b) Jus hoc resiliendi competit 1.° etsi sponsalia fuerint jurata; quia lege publica concessum est favore tenerae aetatis et ob onera status matrimonialis; 2.° ante pubertatem impletam non datur. Hinc expectanda pubertas legalis est; nec ante eam nova fieri sponsalia possunt cit. 7. et 8. eod.; 3.° nec competit ei qui jam pubes, cum impubere contraxit c. 7. eod. nisi ex alio capite ex. gr. vi et metu cap. 9. et 11. eod.; 4.° ne datur si commixtio carnalis ante pubertatem legalem intervenerit, malitia supplente aetatem c. 8. in fine; 5.° etsi pars pubes facta resiliat, manet tamen impedimentum publicae honestatis cap. 5. X. et c. 1. §. 1. in 6. eod.; 6.° cessat jus resiliendi si impubes post *14 annum aetatis suae vel circa finem 14 anni consentit* in nuptias promissas c. 10. eod.; 7.° sola adveniente pubertate non cessat jus resiliendi, sed novo post eam praestito consensu; quem si jurato diffitetur pubes factus, etiam postea resilire, et ad alias transire nuptias permittitur. Hic casus deciditur c. 10. eod.

(1) *C. 7. et 8. de despons. impub.*

(2) *S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 1. ad 2.*

li appellari solet quasi affinitas (1) ea in jure sacro appellatur *justitia publicae honestatis* (a) quae tamquam impedimentum dirimens non solum ex matrimonio rato, sive ex sponsalibus *de praesenti*, uti suo loco dicemus, contrahitur, sed et ex sponsalibus *de futuro* absolute, et cum persona determinata contractis at validis tantum (b), et ad primum dumtaxat gradum inter consanguineos sponsi et sponsae ; ita ut dissolutis morte , mutuo consensu , aut quacumque ex causa sponsalibus , sponsus non possit in matrimonio ducere matrem , filiam , vel sororem prioris sponsae , nec sponsa nubere possit patri , filio , vel fratri prioris sponsi ex Trid. (2). Alter effectus est obligatio standi invicem promissis. Hinc pars deficiens coram Judice ecclesiastico conveniri potest , et ad poenam canonicam condemnari ex Alexand. III, qui sub poena excommunicationis adstrinxit sponsum , ut sponsam in uxorem duceret ; nisi tamen in contrarium *rationabilis causa extiterit* (3). Caeterum potius monitione quam coactione hac in re procedendum est , maxime

---

(a) Revera si qua affinitas contrahitur sponsalibus, orta non ex corporum conjunctione, ut in vera affinitate, sed animorum ; illa conjugio cum consanguineis sponsorum obstat ; sicut enim inhonestum est jungi matrimonio cum consanguinea ejus , cui ipse erat conjunctus corpore, et factus vere affinis , ita inhonestum quoque visum est Ecclesiae jungi matrimonio cum consanguinea ejus, cui quis animo per promissionem matrimonii prius erat conjunctus.

(b) Jus antiquum etiam invalidis sponsalibus, dummodo non fuissent nulla defectu consensus , impedimentum publicae honestati alligaverat illis c. un. in 6. *de sponsalib.*

(1) *L. de nupt. 1. 12. §. 1. 2. 3. et l. 14. D. de R. N.*

(2) *Sess. XXIV. c. 3. de reform.*

(3) *In c. ex literis extra de sponsal.*

quum coactiones soleant difficiles exitus habere, ut admonuit Lucius III (1) (a).

De conditione, modo, causa, ceterisque circumstantiis sponsaliorum, videsis Theologos morales, qui fuse hoc pertractant.

Moribus legibusque gentium, et praesertim Ecclesiae inducta fuerunt sponsalia, quae haec velut tyrocinium voluit status conjugalis, ut eo tempore deprehendi non solum possit nihil ne sit, quod futurum matrimonium dirimat, vel prohibeat, sed ut sponsi oneribus conjugatorum erudiantur, ad Sacramenti gratiam percipiendam comparentur, et conditiones, si quae sunt, in sponsalibus adpositae per ipsos adimpleantur. Hinc quamvis validum matrimonium, illicitum tamen, si absque iis praeviis celebretur. Verum quia nihil ad solemnitatem eorumdem sponsaliorum in jure, et praesertim a Tridentino statutum, privatim si celebrentur valent, uti probat Fagnanus (2) nec proinde nisi ex laudabili usu, et praecepto Ecclesiae, non ex mera sive intrinseca necessitate, et testes et Parochi praesentia etiam requiruntur (b).

(a) Jus civile municipale art. 148 cavit, sponsalia nullam parere obligationem nec ad adimplendam eamdem, nec ad praestandum id quod in poenam pars deficiens promisit, utpote bonis moribus oppositum: unde statuit promissum coram Officiale municipali datum nullam coactivam vim habere ad matrimonium contrahendum articul. 78.

(b) Synod. Neap. Provinc. Card. Candel. tit. 3. c. 9. n. 2. statuit, *ut ante denunciationes in Ecclesia faciendas Parochi, in quorum Paroecia degunt, sponsorum voluntatem, et libere praestandum contrahendi matrimonii consensum, explorent; simulque eos de fidei rudimentis percontentur.*

Synodis etiam Dioecesanis munus est demandatum Parochis

(1) *C.* Requisivit *17. cit. tit.*

(2) *In cap. die illis de dispen. impuberum num. 48.*

CONCLUSIO SECUNDA

Causae dissolvendi sponsalia designantur; cujus auctoritate dissolvantur aperitur.

Indissolubile non est vinculum sponsaliorum; etsi ergo rite sint contracta, dissolutionem pati possunt, quae per se est odiosa, nam contra gravem obligationem justitiae. Causae justae horum dissolvendorum vel sunt communes omnibus contractibus, qui natura sua solvi possunt; vel propriae sponsaliorum. Ob causas communes 1.° mutuo consensu solvuntur, quo pertinet regula juris, *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, etiam si jurejurandi religione confirmata sint (1); 2.° lapsu temporis pro finienda obligatione definiti (2). 3.° Conditione non impleta. His causis communibus accensenda rescissio judicis, et dispensatio superioris praesertim ex causa publica. Sunt vero propriae dissolvendi sponsalia causae 1.° matrimonium quod sponsorum alter, injuria quidem, sed valide cum alio vel alia contraxerit (3). Verum si tertia haec moriatur priore adhuc soluta, sponsalium obligatio ex parte illius, qui promissis non stetit, reviviscit (4). 2.° Factum partis unius, quo ipsa impedimentum ponit matrimonio promisso, aut animum juri suo renuntiandi manifestat; ex. gr. post sponsalia edit votum Religionis, ordi-

---

bono publico, ut sponsalia coram ipsis quoque ante nuptias ineunda singulatim describant in peculiari libro, unde valeat res gesta patefieri in judicio.

(1) *Cap. 2. ex de sponsalib.*
(2) *Cap. 5. et 22. de desponsal. cap. 6. de dolo.*
(3) *Cap. 5. et 22. de sponsal.*
(4) *Zipaeus in jure nostro de Sponsal.*

num, caelibatus, aut novitiatum ingreditur (a): si contrahat affinitatem cum sponsa; si discedat in terras remotas; si incidat in haeresim; si morbus immedicabilis vel contagiosus superveniat; si stuprum vel fornicationem admittat (b). Sed ut uno verbo dicam: omne quod post matrimonium contractum sufficit ad divortium perpetuum vel temporale, censendum a potiori sufficere ad dissolvenda sponsalia (c).

Ad dissolvenda sponsalia occulte inita opus non est auctoritate judicis ecclesiastici, si causa sit occulta. Hac vero publica et notoria, nec ejusdem judicis auctoritas requiritur ut dissolvantur illa; nullum jus est enim saltem commune ex quo cautum sit: nec scandalum ex tali dissolutione oritur. Idem intelligitur si mutuo dissolvantur consensu. Verum non ita si causa sit dubia; nam quia vi contractus sponsalitii, sponsus est in possessione juris acquisiti de quo deturbare in dubio nemini propria auctoritate licet, debet proinde tali casu auctoritas accedere judicis ecclesiastici. Hic autem, nisi plena sit probatio, agitur namque de praejudicio tertii (1), dissolvendi sponsa-

---

(a) Quousque religionis emittitur professio, conversi obligatio potius in suspenso est, quam solvitur; relictus vero ab initio liberatur.

(b) De fornicatione tum antecedente, tum superveniente vide DD. morales, qui disputant de hoc argumento.

(c) Animadvertendum tamen 1.° his casibus fere uni parti praeberi causam resiliendi, permanente alterius obligatione. 2.° Si factum istud praecesserit sponsalia, sed ab altera parte fuerit ignoratum, valet axioma: paria sunt ignoranter praecedere ac supervenire arg. c. 4. *de except.* et c. fin. *qui matrim. accus.* 3.° Ejusmodi causa superveniens aut ignoranter praecedens, sufficit ad solvenda sponsalia etiam jurata c. 25. *de jurej.*

(1) *C. 3. de testib. l. 9. cod.*

lia ferre non debet sententiam. At ubi agitur de vitando peccato sufficit semiplena probatio (1)(a).

CONCLUSIO TERTIA

De consensu parentum disseritur.

Ætas infirma juvenum, erga filios amor parentum, horum consensum ad matrimonium filiorum, utpote actum perquam difficilem, atque efficacem, requirunt ex honestate. Leges sacrae illum postulant: civiles etiam quamvis aliter: illae nempe ut licite iniri possit matrimonium, hunc requirunt consensum, non ad valorem ejus, ut leges civiles (b). Hinc ex Tridentino (2): *Sancta Dei Ecclesia*

(a) In Archiepiscopali Curia hujus Archid. Neap. ex dioecesana lege nisi tres saltem testes rite deponant promissionem, repromissionemque futuri matrimonii coram seipsis a viro, et foemina gestam, non satis probata judicantur sponsalia.

(b) Hoc regno Cod. Civ. P. 1. Tit. V. a. 163. ut de aliis taceamus ita se habet. Filiifamilias ante 25 aetatis annum, filiaeque ante 21 Matrimonium inire prohibentur absque Parentum consensu: ita tamen ut consensus Patris praevaleat illi Matris, at exacta hac aetate triplicem obsequiosum actum parentibus invitis rite praestare debent art. 166 ibid. quibus impletis, liberum erit ipsis matrimonium inire. Quod si contrahentium pater sit mortuus, aut consensum in illorum nuptias negaverit, tunc et Avi paterni et Matris consensus requiritur: si vero isti dissentiant sufficiet consensus Avi paterni. Art. 164 ibid. Adhaec si sponsi vel ascendentibus sint orbati; vel habeant ascendentes, sed hi voluntatem suam declarare nequeant, tunc illis jus est si sint minores annis 21, cognatos et affines, Judice praesidente ad concilium familias convocare, ut ab his consensus praestetur art. 274. Praeterea filii mere naturales, nullum Parentum recognitionis actum habentes, vel post recognitionis actum parentibus orbati, matrimonium contrahere neque-

(1) *C. 22. cod. c. 12. de sponsal.*

(2) *Sess. XXIV. de reform. c. 1.*

ex justissimis causis illa (sine consensu parentum matrimonia) *semper detestata est*, *atque prohibuit.* Verum ipsum S. Trid. anathema iis incussit, qui adfirmarunt *matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta*, *irrita esse* , *et parentes ea rata* , *vel irrita facere posse*. Revera nec jus naturale, quod hominem judicio et aetate pollentem liberum esse jubet in iis, quae personalem praesertim statum spectant, invalidas nuptias dicit filiorum sine consensu parentum initas. Nec divinum eo quod Esau tres uxores Judith et Basemath (1) atque inde Maheleth (2); Jacob praeter Rachelem , Liam quoque ,

---

unt ante annos 21 suae aetatis , nisi a speciali Tutore ipsis a Judice constituto, consensum ipsum exquirant art. 173. Denique cum parentum , vel avi paterni dissensus sit injustus , et filiorum bono oppositus. Rex re cognita eorum consensus defectum supplebit art. 165. Verum ut hic consensus obtineatur , sunt servanda quae rescripto 6. Maii 1820 disposita sunt nimirum :

1.° Che tutte le dimande dirette ad ottener dispensa al consenso di un ascendente al Matrimonio di un figlio minore saranno rimesse al Regio Procuratore del Tribunale Civile della provincia o valle nella quale è domiciliato l' ascendente che nega il consenso al matrimonio del figlio o nipote.

2.° Che questo magistrato in unione del Presidente dello stesso tribunale esamineranno extragiudizialmente le parti , ricevendo dalle medesime in iscritto , qualora vogliano farlo , le rispettive domande e risposte , e raccoglieranno tutte le ragioni e tutti i documenti su quali le medesime sono fondate.

3.° Che verrà disteso un controprocesso verbale delle cose rispettivamente espresse , e documenti o carte presentate.

4.° Che questo processo verbale sarà trasmesso originalmente al Segretario di Stato , Ministro di grazia e giustizia corredato dalle osservazioni de' Magistrati suddetti , e delle dimande e carte ec.

5.° In vista di tutto ciò la M. S. prenderà le sue sovrane determinazioni ec.

(1) *Gen. 26. 34.*
(2) *Ibid. 28. 9.*

Balam aliasque sibi copulavit (1) Tobias Saram accepit (2). Nec conjugia hujusmodi quae insciis parentibus contracta legimus, infirmata proinde fuisse accepimus. Nec jus denique ecclesiasticum; non enim immutavit illud cit. Trid. sed declaravit argumentum, ac sensum Ecclesiae pro certo posuit. Ex quo fit ut a veterum sententia ipsum non recessisse pateat, ac exprobrasse matrimonium filiorumfamilias absque parentum consensu. Tum constat verba antiquorum canonumquae contrarium affirmare videntur et PP. Ecclesiae intelligi de matrimonio non per se invalido, sed illicito coram Ecclesia et in foro externo; quippe primitus non erant expressae rerum distinctiones, quae deinde obtinuerunt. Demum contra Tournely (3) qui videtur oppositum tueri est animadvertendum, si qui fuerint canones oppositum statuentes, Synodorum particularium certe fuisse, ex quibus totius Ecclesiae sententia oppido non cognoscitur.

Peccant ideo filii contra pietatem parentum et illicitum ineunt matrimonium ignorantibus et rationabiliter invitis parentibus; nunquam tamen invalidum. In iis enim quae ad Sacramentum pertinent, patria cessat potestas (a).

(a) Nec vero juxta aliquos DD. necessarius hic consensus probatur ex quarto praecepto Decalogi; alias etiam consensus Matris ad valorem fuisset necessarius ut ille Patris, quod nec Lutheranis placet.

(1) *Cit. loc. 29. et seqq.*

(2) *Tob. 7.*

(3) *Q. 6. art. 3. de Sacr. matrim.*

CONCLUSIO QUARTA

Quae proclamationes spectant adnotantur declaranturque.

Concil. Trid. proclamationes, quas Lateranense matrimonium praeire jussit (1), disertius sic sanxit (2): » Sancta Synodus praecepit ut in posterum, ante» quam matrimonium contrahatur, ter a proprio con» trahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis » in Ecclesia intra missarum solemnia publice denun» tietur inter quos matrimonium sit contrahendum : » quibus denuntiationibus factis ; si nullum legiti» mum opponatur impedimentum ad celebrationem » matrimonii in facie Ecclesiae procedatur (a) ». Ex quo canone significatur 1.° tempus earumdem proclamationum nimirum ante matrimonium; 2.° diebus tri-

(a) De clandestina desponsatione in Decretalibus agitur L. IV. tit. 3. quae praesertim non sponsalia sed Matrimonium significat, clam initum seu sine solemnitatibus a jure requisitis ad valorem illius, nimirum intrinsecis et substantialibus. Attamen datur solemnitas extrinseca et accidentalis, ut illud licitum etiam celebretur, de qua hic sermo est, atque consistit 1.° in praeviis denuntiationibus, quae sunt proclamationes futuri matrimonii, eum in finem faciendae, ut si quis sciat impedimentum inter contrahentes illud manifestet Parocho etc. 2.° in benedictione sacerdotali nuptiarum quae sunt precationes sacrae in actuali conjunctione sponsorum, faciendae a Sacerdote assistente ad impetrandas novis conjugibus ampliores gratias ad onera matrimonii facilius sustinenda et ad sobolis christianam educationem. Haec solemnitas si desit matrimonium clandestinum secundum quid dicitur.

De benedictione jam dictum fuit concl. 2. pag. 244. Nunc de proclamationibus agimus, quas generaliter sanxit Trid. servandas; nisi Ordinarius remittendas judicaverit, nam ejus judicio et prudentiae reliquit S. Synodus *cit. loc.* sub quo nomine Ordinarii venit Episco-

(1) *C. III. de Cland. despon.*

(2) *Sess. XXIV. c. 1. de reform. Matrim.*

bus festivis faciendae nempe de praecepto observandis, et continuis(a)(1); 3.° adimplendae intra missarum solemnia nempe quae parochialis dicitur; 4.° proclamandæ eo in loco in quo unusquisque contrahentium habet do-

pus et Praelatus inferior qui jurisdictione gaudet quasi episcopali *privative ad Episcopum*, ut ait Fagnanus in c. *quum inibitio* 3. *de clandestin. despons.* n. 7. h. e. si praesit plebi in quam nullam habet Episcopus jurisdictionem, item Capitulum sede vacante, et Vicarius generalis juxta DD. et praxim : non vero Parochus etiam in casu necessitatis nisi urgentis per quandam epiikiam ex. gr. si moribundus vellet ducere concubinam ad prolem legitimandam nec superest tempus petendi dispensationem, ita tamen ut cessante ex. gr. periculo mortis, dein suppleatur, et antequam fiant, usus conjugii inhibeatur sponsis, licet moraliter certum esse videatur nullum inter illos impedimentum subesse propter prohibitionem Ecclesiae in re gravi, nisi tamen etiam ordinarius quoad hoc dispenset. Quod in ejusmodi casibus fieri merito solet. Sunt vero causae ut possit Ordinarius dispensare 1.° erubescentia et pudor, ut si quis cum valde dispari quoad statum vel aetatem vellet contrahere; 2.° moralis certitudo nullum subesse impedimentum, vel id aliunde detegendum; moralis inutilitas denuntiationum ut si contrahant vagi, vel penitus ignoti. Et ut paucis dicam: quando vel contrahentibus vel communitati per dispensationem procuratur bonum ex. gr. honoris fortunarum etc., aut grave avertitur malum ex. gr. periculum infamiae, incontinentiae aut si differtur matrimonium instante quadragesima, vel timeatur ne alterutra pars resiliat injuste, defloratam corruptam iterum deserat etc.

(a) Juxta Aversa tamen non videtur grave festum inter medium omittere, vel denuntiare extra missarum solemnia, aut in concursu populi etiam extra Ecclesiam : modo fiat a Parocho, vel ex ejus commissione ab alio etiam non Sacerdote.

Pluribus Ritualibus tamen saltem una dies intercedat oportet inter unam et alteram denuntiationem, aut inter unam et alias dies duas; et post ultimam denuntiationum diem, Parochus fidem faciat de nominibus, cognominibus, patria, volentium contrahere Parochia, deque impedimentis si qua fuerit apposita. Si vero post denuntiationes, intra bimestre tempus nec ipse ut fidem faciat fuerit rogatus, nec matrimonium celebratum fuerit, denuntiationes denuo fiant : nisi aliter Ordinarius censuerit.

(1) *Synod. Prov. Neap. c. 43.*

micilium ad contrahendum sufficiens (1), at si ad diversas pertineant Parochias, in utrasque faciendas esse denuntiationes declaravit S. Congr. a Greg. XIII confirmata. E contra si pertineant ad diversas dioeceses et Episcopus unius dispensaverit in denuntiationibus, tunc juxta Sanchez (2) etiam quoad alterum est dispensatum, quia dispensatio haec ordinatur ad matrimonium quod individuum est, constans ex duplici extremo; 5.° a proprio Parocho fieri intelliguntur contrahentium, vel ab eo delegato. Proinde non sufficit denuntiatio quae fieret ab officiario civili (a); quia promulgationes praemittuntur ad detegendum impedimentum, si quod forte lateret, nec una ex tribus studiose omitti potest: tum quia ratio legis aequae pugnat pro tertia, ac prima et secunda, cum fieri possit ut quis ultimam expectaret ad impedimentum detegendum; tum quia lex non cessat, etsi in casu particulari ratio legis cessaret. Demum qui scit impedimentum sive impediens sive dirimens, licet esset occultum, imo et sub secreto jurato sibi notum; tamen tenetur sub gravi manifestare illud; praevalet enim hic valor Sacramenti, et salus proximi, etiamsi non posset illud probare, nam id in praesenti non requiritur (b). Poenae vero statutae in illos qui sine justa causa et dispensatione contrahunt ma-

---

(a) Jure civili art. 68. Cod. tit. 11. ante celebrationem matrimonii praemittendae sunt civiles denuntiationes, quae tamen imminente alterutrius contrahentis vitae periculo et ab ipsis praestito jurejurando nullum legitimum impedimentum extare, omitti possunt. Cod. civ. tit. 11. art. 179.

(b) Impedimentum delatum post denuntiationes ad Parochum, hunc impedit quominus conjungat sponsos etiamsi dispensati fuerint in illud, attamen pro foro conscientiae tantum juxta Sanchez L. 3. de Matrim. D. 16. n. 15. quem aliqui sequuntur.

(1) *Confer quae diximus concl. 2. cap. 1. pag. 13.*

(2) *L. 3. de Matrim. D. 7. n. 7.*

trimonium, non praemissis denuntiationibus, sunt praecipue duae 1.ª poena est haec proles si forte contrahatur matrimonium nullum ratione latentis impedimenti, sunt illigitimae non obstante quod uterque contrahens bona fide ignoraverint impedimentum (1): nam Trid. (2) tales comparet scienter contrahentibus cum impedimento. 2.ª Poena est ut ita contrahentes si cum impedimento etiam ignoranter contraxerint., separentur, et dispensationem difficiliter impetrabunt, si postea latuisse constiterit, ex Trid. (3). Hinc si petatur dispensatio, exprimendum an praemissae sint dispensationes. Respectu vero Parochi, vel alterius Sacerdotis assistentis ejusmodi matrimonio, poena est suspensio triennalis ab officio, sed ferendae sententiae.

CONCLUSIO QUINTA

Consensus contrahentium matrimonium pro qualitatibus suis distinguitur.

Consensus qualis requiritur in sponsalibus de futuro videlicet verus et internus, voluntarius, expressus, ut antea dictum fuit, a fortiori ad matrimonium talis sit oportet, cui consensus essentialis solemnitas est et ut contractus, et uti Sacramentum. *Nubat cui vult*, dixit Apostolus. Insuper carere debet omni errore substantiali; non sit extortus metu gravi injuste incusso; sit personalis id est ab ipsis personis contrahentibus positus vel expressus, nullo impedimento dirimente la-

(1) *C. fin. de clandest. despons. §. Si quis.*
(2) *Cit. Sess. XXIV. cod. de reform. Matrim.*
(3) *Cit. loco.*

borantibus (a); sponsalia de praesenti significet, ita ut declaret vir se nunc assumere in uxorem hanc mulierem, et vicissim; absolutus, quaecumque enim apponeretur conditio, esset contra constantem usum Ecclesiae, et in incerto relinqueret substantiam Sacramenti (b); demum, publicus: verum ne clandestinus sit, tantum ipsis conjugibus, an aliis etiam debeat consensus patefieri et qua forma, sicut in ceteris contractibus, hoc definiendum ab humanis legibus; Reipublicae enim et Ecclesiae interest cognoscere et fovere conjugium sine cujusque injuria, suum cuique jus

---

(a) Probabilius non valet matrimonium a Parentibus contractum, praesentibus liberis, nisi ad id speciale mandatum vel consensum ab his habeant. Ipsa arduitas negotii, et electio status perpetui, videtur exigere consensum positivum, unde non sufficit mera taciturnitas, argumentum est; ita ut neque valeat paritas cum sponsalibus, quae uti dictum fuit ex jure valent inita a Parentibus, tacentibus et praesentibus liberis; eo vel magis quod sponsalia non sunt contractus ita indissolubilis ut matrimonium. Differt vero ab hoc casus, quo matrimonium sicut et sponsalia contrahantur per procuratorem, qui habet speciale mandatum, determinatum ad certam personam, non revocatum eo tempore quo procurator exequitur mandatum, qui illud exequi, saltem quoad matrimonium per seipsum debet. cap. fin. *de procurat.* in 6. Consensui expresso demum opponitur praesumptus qui non sufficit. Olim tamen ante decretum Concilii Trid. de matrimoniis clandestinis, et nunc etiam in locis ubi illud non viget, si quis post sponsalia de futuro carnaliter sponsam cognoverat, praesumebatur consensum de praesenti in matrimonium praestitisse, et quidem praesuntione juris et de jure, contra quam non admittebatur probatio c. 15. et 3. *de sponsalib.* Similiter si post sponsalia conditionata secuta esset copula carnalis inter sponsos, has praesumebatur a conditione recessisse, et consensum de praesenti exibuisse c. 6. *de conditionib. appos.*

(b) Quandonam autem conditiones appositae sint contra valorem Sacramenti, plane exponunt Theologi morales. De illis quae sponsalia de futuro comitari possunt dictum antea fuit. Videsis etiam titulum juris canonici *de conditionibus appositis.*

*

reddere, contra infidos divortia sine causa prohibere, polygamias, prolisque projectiones. Et revera tum Ecclesia tum saeculi leges ut publice stabilirentur nuptiae conspirarunt: attamen quamvis ob id multa constituissent solemnia in matrimoniis celebrandis, quia clandestina non rescindebant, sub specie matrimonii saepissime concubinatus latebat, aliaque nutriebantur crimina. Hinc novo jure Tridentini (1) quodvis occultum conjugium jure meritoque irritum definitum fuit, quoties in faciem Ecclesiae, scilicet coram Parocho alterutrius contrahentium proprio duobusque saltem testibus non celebratur; uti nostrum erit interpretari, cum impedimenta matrimonii deinceps fusius exponemus. Nunc tantum erit colligere recte ab Ecclesia cautum, ut Parochus de his omnibus, quibus semper constare possit de matrimonii valore, actum conficiat, et ut constet etiam de circumstantiis ejusdem, describat in libro authentico nomen contrahentium et testium etc. Igitur nec sine causa matrimonia quae dicuntur *conscientiae*, quae scilicet occulte coram Parocho tantum et duobus testibus contraherentur, illicita generatim habenda sunt. De his tamen sit.

(1) *Sess. XXIV. de reform. Matrim. c. 1.*

CONCLUSIO SEXTA

Matrimonia conscientiae *exponuntur. Quae ad ea pertinent subnotantur.*

Matrimonium *conscientiae* nullo prorsus clandestinae desponsationis vitio laborare judicatur; proinde verum est Sacramentum, contra Protestantes in contrarium blaterantes; nam etsi occultum ceteris mortalibus, non tamen ita ut desint illi solemnitates essentiales, quibus opus habet ne subjiciatur malis in matrimoniis vere clandestinis occurrentibus; etenim formam refert canonicam in substantia, quia in faciem Ecclesiae celebratur, coram nempe Parocho cum benedictione sacerdotali, duobusque fidei testibus. Hinc hujusmodi matrimonia sic a Bened. XIV describuntur (1): « in more positum est, ea celebrari nullis » praeviis factis denuntiationibus, coram solo paro- » cho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita » praesentia tantum duorum testium apposite a con- » trahentibus advocatorum, quorum fides nemini il- » lorum est suspecta; remque peragi extra Ecclesiam, » quandoque etiam intra illam, januis tamen clausis, » vel eo temporis momento, quo remota alterius cu- » jusque praesentia, scientia initi matrimonii, prae- » ter parochi, contrahentium, testiumque personas, » alios penitus effugiat (a) ».

(a) Matrimonia dicta ad *morgenaticam* et disparagia, utpote etiam occulta concurrunt cum illo conscientiae, quod tamen a Benedicto XIV ab illis, citat. const. distinguitur. Differunt vero etiam inter sese ad *morgenaticam* matrimonia, et *disparagia*: nam illa fere ineuntur a viris illustribus, ad evitandam fornicationem, cum foemina inferioris conditionis coram Parocho et testibus, eo pacto ut,

(1) *Const.* satis nobis. *t. 1. Bullar.*

Luctuosis tamen effectibus et periculis obnoxia haec conjugia (a). His obviam ire studuit idem providentissimus Benedictus XIV (1) (b). Qui universos Episcopos sic monuit ut si qua permittere existiment hujusmodi matrimonia; 1.° nonnisi ex causa gravissima; ut alienae vitentur injuriae, non ut fiant potius alicui: sint perraro ad illa matrimonia indulgendæ, dispensationes petitae super publicatione; inquirant tamen an petens sint sui juris, liberi, filiifamilias, clerici, beneficiati; 2.° ut nonnisi Parochus alterutrius contrahentium, vel gravi causa impellente sacerdos alius idoneus, et non extraneus mutuo consensui praesideat, quique commonere debet sponsos ut curent procreandam sobolem rite, et quam citissime baptizari, eamque legitimam agnoscere, atque educare, et ut frui patiantur bonis ad

---

conjux et liberi ex ea suscepti *Mongergeba* seu dono nuptiali, aut alia certa portione ad suam sustentationem necessaria sint contenti, conditionem tamen mariti non participent, atque ceteris bonis paternis titulisque et insignibus abstineant, scilicet in favorem primae uxoris, et liberorum ex ea genitorum: iniri autem possunt etiam inter personas paris conditionis saltem cum principis consensu quo antecedenter derogetur publicis legibus de juribus et successione liberorum. In *disparagiis* vero sive matrimoniis inaequalibus coram etiam Parocho et testibus initis liberi excluduntur a certis juribus non ex pacto, sed ex legibus jure particulari publico constitutis, et saepe etiam municipalibus.

(a) Puta: Matrimonium alterum contrahere vel promittere adhuc vivente uxore, qua cum initum occulte primum fuerit, aut secreto novum contrahere, post aliud similiter secretum contractum et a quo nondum conjux si solutus. Item retinere beneficia ecclesiastica, si quae habet clericus in minoribus, post occultum contractum matrimonium. Denique ne de aliis dicam; ex his occultis matrimoniis damnum saepe prolis sequitur.

(b) Promulgatio hujus constitutionis hoc in Regno permisit Carolus Rex rescripto Martii ann. 1742 adjecta conditione, ut quod ad effectus civiles nullum praejudicium inferri valeat juribus Regiae

(1) *Cit. loc.*

eam ex testamento cujusque, vel ab intestato delatis aut deferendis; exibeant insuper documentum Episcopo initi matrimonii, temporis, loci, cum nominibus testium et contrahentium; 3.° utque patres ejus denuntient Episcopo dioecesano aut oretenus per sese; aut per alium fide dignum nativitatem prolis, et baptismi ejusque tempus, non exclusis parentum patrinorum baptizantis nominibus; non enim haec Parocho exponuntur; 4.° si quis vero haec facere negligat, publicetur occultum matrimonium; 5.° in quovis tribunali eadem habenda fides libris ob id existentibus in cancellaria Episcopali, ac in illis in parochia relate ad matrimonia, et baptismum (a).

Potestatis. Quae constitutio adhuc viget, ita tamen ut Episcopi moneant sponsos, hujusmodi matrimonia quoad effectus civiles non valere. At poenis statutis LL. pen. art. 83. non subjici ex rescripto Maj 1820 et 1823 Parochos celebrantes matrimonium non requisito actu status civilis; solemnis nempe promissio coram Officiali Municipali nuptias in faciem Ecclesiae contrahendi cautum art. 189. Cod. Civ.

(a) Duo propterea libri in Episcopali curia cujusque dioecesis servari debent apud ministrum ab Episcopo deputandum probiorem, clausi et bene obsignati, in quorum altero Matrimonia ejusmodi occulta cum requisitis et dictis circumstantis describi debent; in altero similiter baptizatorum. Eosque nunquam patiatur Episcopus aperiri, nisi ubi necessitas postulaverit desumendi documenta, deficientibus aliunde probationibus, quae sint ostensura jus alicui quaesitum et in judicio reddendum. Attestationes Parochorum aliorumque de initis sic matrimoniis in loco secretiori Episcopus apud semetipsum servet.

CAPUT XVII.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

CONCLUSIO PRIMA

Jure proprio et intrinseco Ecclesia impedimenta Matrimonii dirimentia statuere potest, atque in iis dispensare.

Ob triplicem quam habet relationem Matrimonium fini scilicet et officio naturae, quae ad propagandum et conservandum genus humanum illud statuit; societati civium, cui quodammodo immortalitatem donat; et dignitati Sacramenti ad quam ex catholica fide a Christo elevatum fuit; triplici legum genere regitur, naturalibus ac divinis, ecclesiasticis, denique civilibus. Quod demonstratum ex D. Thoma fuit (1). Ex triplici idcirco jure impedimenta nuptiis obveniri possunt (a). Quia tamen ratione vinculi, matrimonium Sacramenti rationem habet, impedimenta dirimentia statuere quae vinculum ipsum spectant, solius Ecclesiae potestatis esse constat; nec nisi quoad effectus civiles tantum

(a) Impedimenti nomine heic comprehenditur omne quod obstat quominus matrimonium valide aut licite contrahi possit. Illud quod obstat ne matrimonium valide contrahatur, dicitur impedimentum dirimens, cujus natura est ut quamdiu subsistat nedum Sacramentum abest; sed et contractus naturalis irritus est, et effectu carens, nullumque vinculum efficit si contractum matrimonialem antecedat; verum non ita si superveniat jam inito matrimonio, quamvis per illud usus ejusdem ex parte nocentis saepissime reddatur illicitus si illum petat, ut ex Trid. sess. 24. c. 1. *de reform. matrim.* colligitur. Illud vero quod obstat ne licite contrahatur, impedimentum prohibens vocatur.

(1) *L. 4. contra gentes.*

pro fidelibus quidem subditis, penes potestatem politicam est impedimenta matrimonii constituere. Equidem Christus qui auctor est Sacramentorum, quippe de ipsorum administratione nec quae ut sint valida requiruntur, nec sub qua conditione definivit, potestas ergo disponendi de iis Ecclesiae tantum convenit: nec dubium esse potest, quia solummodo eadem contractum matrimonii quasi materiam Sacramenti per leges suas afficere potest. Hinc Trid. definivit (1). *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse; anathema sit.* Et paulo post (2): *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos anathema sit.* Quod aliud argumentum praestat nimirum, quia in matrimoniali causa nemo fidelium forum sortitur politicum, secundum receptam juris regulam, cujus quis in aliqua causa non sortitur forum, ejus neque legibus ligatur (a).

Patet et ex perpetua traditione, quam nonnisi sequens laudatum Concilium, definitionem superallatam dedit: ex ea enim constat Ecclesiam semper auctoritatem suam, et jurisdictionem exercuisse in approbandis vel rejiciendis matrimoniis etiam contra politicas leges (b).

(a) Confer c. 14. concl. 2. p. 230. ubi quoad vinculum matrimonium a legibus Ecclesiae tantum regi demonstratum fuit. Ibidem quae objici solent in favorem politicae potestatis vel potius assentationis caussa, atque odio ecclesiasticae potestatis eversa habes.

(b) Clandestina Matrimonia aut sine consensu parentum, vel sine praeviis inita denuntiationibus, uti irrita habebantur et nulla, legibus quorundam regnorum. At Trident. cit. loc. decla-

(1) *Sess. XXIV. c. 4.*

(2) *Ibid. c. 12.*

Ast consiliis suis accommodatos Lutheranorum errores, cum Van-Espen simul (1) aliisque, sub personati catholici nomine Launonius sequens, audacter asserere non erubuit ex indulgentia Principum potuisse Ecclesiam ea impedimenta statuere. A quo principe tamen eam potestatem accipere Ecclesia potuit, vel quo tempore accepit, nec unquam oppido dici. Dicant saltem quomodo ab omnibus principibus haec indulgeri poterat? Imo ipsi catholici principes nonne PP. Tridentinos solicitarunt per oratores suos, ut clandestina matrimonia redderent nulla, et raptum inter impedimenta derimentia referrent (a)? Ad preces pro facto non devenissent, si jus ipsis fuisset hujus de rebus decernere: nec Concilio recusare, et contradicere liberum fuisset. Verum illud contrarium defini-

---

ravit illa rata et vera *quamdiu Ecclesia irrita non fecit.* Hoc et ex can. *quaedam lex* 29. XXXV. qu. 2. et 3. constat. Denique prae omnibus aliis quae ad rem nostram faciunt sit decisio decretalium, c. 8. *de divortio*, de paganis qui uxores in secundo vel tertio vel ulteriore gradu sibi conjunctas acceperant; qua dicitur *in favorem fidei — fideles hujusmodi matrimonialiter copulati libere possunt et licite remanere conjuncti, cum per Sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur.*

(a) Ipseque Rex Ludovicus XIII, cum Regum Gallorum decreto diserte pronunciatum fuit, *subditos matrimonium valide contrahere non posse sine praecedentibus bannorum proclamationibus*, a clero rogatus ann. 1629 declaravit id intelligi tantummodo debere in foro esterno, et quoad effectus civiles, teste Carolo Richard, qui idem dicit de matrimoniis filiorumfamilias sine consensu parentum, addens demum: *Ita sane intelligunt ejusmodi edicta Galli ipsi jurisconsulti, quorum testimonia profert Ferretius in tract. de abusu L. 5. c. 2.*

Revera quis ignorat Carolum IX Galliae Regem per Oratores suos apud Trid. ipsum egisse ut irrita declararet matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum contracta?

(1) *In suppl. in jus univ. p. 11. tract. 15. c. 1. ad. n. 12.*

vit (1) addita quoque poena anathematis in eos qui negarent non solum antea potuisse, sed adhuc posse impedimenta constituere: nonne ex dictis etiam videtur Ecclesiam exercuisse contra leges politicas potestatem eamdem nullo contradicente, ipsisque principibus annuentibus? Nec interim his argumentis meridiana luce clarioribus cedens Launojus, imo obcaecatus magis, cum animadverterit doctrinam super allatam Trid. nimirum sub anathematis poena hanc potestatem Ecclesiae competere, novo plane ac antea inaudito figmento contendit *Ecclesiae* nomine reges ac principes illud significasse. Sed quam inepte Launojani ipsi comprobant, qui contra Novatores nobiscum propugant eo nomine saepius designari quos *duces in Ecclesia custodes* et *speculatores* Summus Paterfamilias posuit ut advertit Gersonius (2): nec nisi de his intelligi verbum Ecclesiae, cum tribuuntur ipsi jurisdictionis spiritualis actus, patet: ergo cum laud. can. Trid. de Ecclesiae potestate loquitur, et praesertim in qua ipsa errare nequit, certe de Principibus non dicit. Adde illis decretis concilium propositum sibi erat Lutheri errorem proscribere, qui matrimonium uti profanum tantum et contractum pure civile blateravit; indeque principibus saecularibus, non pastoribus Ecclesiae auctoritatem denegabat impedimenta constituendi. Adhaec Concilium in aliis sessionibus Ecclesiae nomen eadem ratione intellexisse constat (3). Tandem cum PP. Trid. impedimenta dixerunt stabilire *Ecclesiam et Sanctam Synodum*, quibus iisdem verbis usi sunt cum catholicum dogma con-

(1) *Can. 3. 4.*

(2) *Serm. in Dominic. 19. post Pentec. consid. 3.*

(3) *Sess. 13. c. 9. 14. c. 15. 21. c. 2. 22. c. 5. et 7. Tam sess. 24. c. 7. 8. 9.*

stituunt ; aut in hoc etiam delegata potestate indigere dicendum , aut in impedimentis statutis non jure usa fuit a principibus delegato, sed proprio et intrinseco.

Huic juri Ecclesiae connexum est illud mutandi et imminuendi eadem impedimenta, itidem et dispensandi (a). Sed observandum manet 1.° disciplina generali in genere constituta : nimirum quod in causa Sacramentorum , ad conservandam praecipue uniformitatem , quaedam impedimenta matrimonii adnumerantur causis majoribus , nomine Ecclesiae hac in re , non singulos intelligi Episcopos ; sed concilia generalia , Summum Pontificem , et inveteratam consuetudinem , quae vim legis habet, et insuper aliquibus Episcopis tale jus vindicat. 2.° Ex tali consuetudine Episcopi non solum dispensant in impedimentis mere impedientibus, nisi provenerint ex votis perpetuae castitatis , aut ingrediendae religionis Summo Pontifici reservatis , vel ex sponsalibus cum altero initis, quae hoc invito sine injuria relaxari nequeunt; sed etiam in casu extraordinario etiam in impedimentis dirimentibus ecclesiasticis, si scilicet hae circumstantiae concurrant 1.° si impedimentum sit occul-

---

(a) Quod a Lateranensi concilio factum est circa gradus consanguineitatis et affinitatis, et a Trid. circa impedimentum publicae honestatis et cognationis spiritualis. Greg. M. sec. VI Anglorum genti quae recens Christi fidem amplexa fuerat permisit in tertio consanguineitatis gradu matrimonium, quod tunc eo gradu irritum erat ; aliique Pontifices deinceps similiter ; ita ut laud. Trid. sartam tectam esse voluit potestatem qua semper Apostolica Sedes usa fuerat removendi dirimentia matrimonii impedimenta : ideoque *regulas in materia dispensationis ac signanter super impedimentis matrimonii praescriptas ad Rom. Pontificem spectare praecipue dixerit* ; uti post Du-Cassium *de jurisd. Eccl.* observat ipse Van-Espen 9. 2. p. 2. 5. 1. t. 14. c. 1.

Confer. tamen concl. 4. cap. III. alterius vol. p. 277. ubi fuse de hoc jure egimus.

tum, nec periculum adsit, ne publicetur, et in quo alius soleat dispensari. 2.° Si sit periculum in mora, seu adsit gravis causa, et sit difficilis recursus ad Pontificem. 3.° Si matrimonium jam sit contractum et quidem cum bona fide saltem ex una parte, et cum denuntiationibus, vel earum dispensatione. Ratio est quia ita bonum commune exigit. Insuper Episcopus universim pro foro interno dispensat in jure ecclesiastico, si id exigat bonum animarum, juxta DD. Demum praxis et consuetudo hoc comprobat, quam scit Roma nec improbat. 4.° Si agatur de matrimonio *proxime* contrahendo, sive quando tales urgent circumstantiae, ut nec Summus Pontifex consuli, nec matrimonii contractus, ad quem omnia sunt disposita possit transferri sine scandalo, et paratorum ad nuptias infamia; tum putant nonnulli DD. Episcopum dispensare posse ex praesumpta voluntate Summi Pontificis (a). 5.° Demum vi specialis privilegii uti constat de facultatibus quinquennalibus Episcoporum Germaniae (b).

(a) Hunc casum memorat, non approbat Benedictus XIV *de Synod. dioec.* l. 7. c. 31. n. 2. Tum aliqui DD. observant heic non valere praesumptionem voluntatis Summi Pontificis, qua Episcopus dispensare possit; nam dicunt praesumptio ex urgente causa sive Epichia licitum facere potest quod est illicitum, non autem conferre jurisdictionem quae necessaria est ad actum, et quae pro casu urgentis necessitatis non fulcitur vi legitimae consuetudinis.

(b) In his casibus debent Episcopi dispensare *gratis*, et simul addere, quod dispensent ex *potestate delegata*, adjuncta hac clausula: *si mulier non sit rapta.*

CONCLUSIO SECUNDA

Ex causis quibus profluunt, impedimentis dirimentibus distinctis, error et conditio expenduntur.

Ex quatuor tantum causis obvenire cuncta impedimenta dirimentia bene observat Gagliardi (1); 1.° defectu consensus; cujusmodi sunt error, simulatio, dementia sive furor, vis, metus, et raptus sponsae; 2.° ex naturae invalidae obstaculo, et sunt defectus aetatis et impotentia; 3.° ex religionis sanctitate, ad quam pertinent cultus disparitas, ordo sacer, professio religiosa, ligamen, defectus Parochi, ac testium; 4.° ex criminibus demum homicidii ac adulterii; et intuitu sanguinis uti sunt cognatio legalis, cognatio spiritualis, adfinitas et publica sponsalium honestas. Horum aliqua juris naturalis sunt impedimenta vel divini; ac juxta communem sententiam sunt error in persona, impotentia perpetua, aetas, ligamen seu esse ligatum actuali matrimonio jam consumato, conconsaguineitas in priore saltem gradu lineae rectae. Reliqua juris ecclesiastici esse, vel scripti, vel consuetudinarii nec unus negat. Omnia tritis his versibus comprehenduntur

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis ordo ligamen honestas,
Amens, affinis, si clandestinus et impos,
Si mulier sit rapta, loco nec reddita tuto,
Haec socianda vetant connubia, facta retraciant.

Numerantur inde quindecim, aut si cognatio accipiatur pro triplici impedimento, prout est triplex, dantur, septendecim.

---

(1) *Inst. L. 11. t. XXI. de Sacram. Matrim.*

Ex dictis obtinet 1.° quod error jure naturali sit impedimentum dirimens, si circa substantiam personae versetur, sive sit antecedens sive concomitans. *Non consentiunt qui errant, quid enim tam contrarium consensui quam error?* dicit Jus (1), et subdit (2). *Nullus est consensus errantis: et errantis nulla voluntas.* Dein nuptias non concubitus, sed *consensus* facit (3). Non tamen *regulariter*, licet sit error antecedens, tollit consensum et vitiat contractum, si de qualitate personae sit error nempe accidentalis; puta circa divitias, nobilitatem, virginitatem etc. (a); non enim tollit consensum quoad substantiam, sed reddit involuntarium secundum quid, nempe circa accidentia personae, et circa rationes impulsivas extrinsece: adhaec ex paritate cum aliis contractibus colligitur, quos error circa qualitates non irritat (4): item ex absurdo ac gravi Reipublicae incommodo, proliumque et conjugum damno, quae aliter sequerentur: equidem circa qualitates passim contrahentes a comparte decipiuntur.

Regulariter diximus quia tum *si error nobilitatis, vel dignitatis redundet in errorem personae* ait S. Thomas (5) h. e. inservit ad determinandam magis

---

(a) Error substantialis dicitur qui circa individuum personae versatur idest circa substantiam objecti: accidentalis qui circa qualitatem vel accidens objecti: antecedens seu dans causam contractui dicitur error, si eo non existente contractus vel actus non fieret: concomitans seu incidens quo existente nihilominus fieret.

(1) *L. 15. D. de jurisd.*
(2) *L. 8. et 9. c. de juris et facti ignorantia.*
(3) *L. 5. c. de R. J.*
(4) *L. 11. §. 1. l. 45. ff. de contr. empt.*
(5) *In Addit. ad 3. p. q. 51. a. 2.*

et distinguendam personam: nempe « si quis idem sub-
» dit (1), directe intendit consentire in filium Regis
» quicumque ille sit, tunc si alius praesentetur ei,
» quam filius Regis, est error personae et impedietur
» matrimonium (a) »; tum si *qualitates* hujusmodi adponuntur tamquam conditiones e quibus pendeat consensus in personam, hunc etiam defecisse tenendum si illae deficiant.

Impedimentum conditionis ignoratae seu status nimirum servilis, Jus ecclesiasticum statuit, uti error qualitatis, consensum reddens nullum (2), eo quod noluit sic errantem, indissolubili vinculo constringere; propter nimiam inaequalitatem contrahentium, ac praejudicium quod personae liberae, imo et ipsi statui matrimoniali crearetur: etenim persona servilis posset perpetuis a domino laboribus occupari; in remotas mitti provincias; vendi etc. (b).

(a) Plures traduntur regulae ut dignoscatur num redundat in substantiam personae error in qualitate nimirum: 1.° si qualitatum narratio fit ut persona alias ignota, cognoscatur, et qualitates non sint communes, sed alicui singulares, ac certum individuum denotantes. 2.° Si qualitas sit unius finis matrimonii, ita ut hoc tamquam unicum medium ineatur propter eam qualitatem ex. gr. si Titius contrahere vellet cum Berta quamvis paupere, sed illustri, unico tamen ut suae familiae accrescat honor affinitatis cum illius familia. Vide Gobat tract. 9. num. 103. et 108. et seqq.

(b) Servi de quibus hic agitur sunt qui ex jure gentium, vel civili contra naturalem libertatem alieno dominio ita sunt subjecti, ut instar aliarum rerum, et patrimonii possideri, vendi et alienari possint; dominis suis acquirunt; iisque ad perpetua sunt obstricti servitia. Fiunt vero tales vel nativitate vel ex captivitate. His tamen non adcensentur *adscriptitii*, seu *glebae* scilicet excolendis certis quibusdam agris addicti; vel *domestici* qui

(1) *Ibid. cit. loc.*

(2) *C. 2. et fin. de conjug. servor.*

Hinc verum datur matrimonium inter servum et ancillam etiam invito domino contractum, modo conditio servilis alterius a libera persona sciatur, quod si una persona sit libera, etiam verum est matrimonium, modo conditio servilis alterus a libera persona sciatur. *In Christo enim Jesu*, jus dicit (1) *neque liber, neque servus est a Sacramentis Ecclesiae arcendus*, cujus est considerare personas in ordine ad matrimonium, quoad naturam suam, secundum quam omnes sunt aequaliter liberi (a).

Votum solemne perpetuae castitatis dirimit matrimonium contrahendum (b). *Illud solum votum* ait Bonifacius VIII (2) *debere dici solemne quantum ad matrimonium contrahendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam adprobatis* (c).

operas suas hero locant, pacta pro iisdem mercede, qui absolute sunt liberi licet arctius, quam ceteri subditi, suis sunt adstricti dominis, et quamdam servitutis speciem praeseferant.

(a) Ecclesia longo tempore prudenter et preciso ad saeculum IX usque (caus. 26. q. 2. c. 8.) toleravit, vel approbavit leges romanas, per quas matrimonium inter servos sine consensu domini consistere non poterat c. fin. 29. q. 2. *de conjug. servor.* sed conturbenium intercedebat l. 3. c. *de incestis nuptiis*, et filii inde nati naturales non legitimi dicebantur, quamvis in servili eadem cognatione, jure ejusdem cognationis et affinitatis agnoscebantur.

(b) Nulla distinctio antiquitus erat inter solemne votum et simplex quae saeculo ferme XI a Pontificibus inducta fuit.

(c) Quamvis canones reprobaverint semper matrimonia ab his contracta, qui se Deo jam devoverunt, uti ex Chalcedonense c. 16. praesertim eruitur; invalida tamen non dijudicata fuere Ecclesiae primordiis; uti videre est ex epist. Innoc. I cap. 12. ad Vitricium ex cit. Synod. Imo S. Augustinus quem S. Bernardus sequitur lib. de praecepto dispens. c. 11. adversatur Africanis, qui illa matrimonia non nuptias, sed adulteria dicebant.

(1) *C. 2. 4. 5. caus. 29. q. 2. c. 1. 2. et fin. cit. loc.*

(2) *In c. quod votum unic. de voto et vot. redempt. in 6.*

Idem confirmarunt Alex. III (1) Inn. II (2), ac tandem Trid. (3). Collige ex his 1.° hoc impedimentum non esse juris naturalis aut divini; nam non dirimit *quatenus votum*, aliter votum etiam simplex castitatis dirimeret; sed quatenus solemne, quod solemne quidem ab Ecclesia fuit introductum (4), et reddit votum tale; ita ut ex eo, et non ex contractu inter Religiosum et Religionem inito, quo ille se tradit Religioni et vicissim, proveniat impedimentum; alias saltem mutuo consensu iterum solvi posset. Adhaec ex Glossa non dirimit matrimonium contractum, votum illius qui dum profitebatur, existimabat adprobatam religionem, quae talis non erat; ergo non ex contractu nec ex voto quatenus votum sed quatenus solemne dirimitur illud. 2°. Votum illud dissolvit etiam matrimonium jam valide contractum, modo tantum sit ratum, et nondum consummatum, ex jure (5), quod etiam Trid. comprobavit (6) (a). 3.° Votum simplex castitatis, Religionis ingrediendae, non nubendi, ordines sacros suscipiendi impedit, quominus matrimonium iniri possit; non solvit postea initum, si excipias vota simplicia Societetis Jesu post biennium probationis,

---

(a) Confer quae dicta sunt concl. 4. pag. 250. Permittitur proinde novis conjugibus spatium duorum mensium, intra quos non tenentur consummare matrimonium; sed deliberare potest etiam unus ipsorum an velit religionem ingredi; imo dissolveretur, per professionem, in ea uti dictum est, modo matrimonium necdum fuisset consummatum.

(1) *C. meminimus III. ex. qui Cler. vel vovent.*
(2) *In Lateran. II. c. 7. et 8.*
(3) *Sess. 24. de matrim. c. 9.*
(4) *C. un. de vot. in 6.*
(5) *C. 2. 7. 14. de convers. conjug.*
(6) *Cit. loc.*

dirimit tamen sponsalia ad contrahendum matrimonium, ne producerent obligationem ad illicita (a).

Quid demum juris, si vota subsequantur matrimonia, vide apud Theologos morales, qui fuse haec pertractant.

CONCLUSIO TERTIA

Cognatio distinguitur: distantia cognatorum carnalium expenditur: quousque matrimonium dirimatur inter eos declaratur.

Cognatio triplex est spiritualis, legalis, et carnalis: hic agitur de cognatione tantum carnali sive naturali, quae est propinquitas seu vinculum personarum, a se, vel communi stipite descendentium carnali propagatione contractum (b): aut ut aliis placet: Vinculum est personarum quae ab eodem stipite seu progenitore, eique propinquo per carnalem generationem descendunt (c). Inde quoniam descendere aliqua persona potest a se

(a) Utrum idem sit de sponsalibus postea contractis, quibus accedat defloratio, unde a sponsa voti ignara pateretur damnum grave, adhuc lis est. Sed probabilius idem tenendum hoc casu.

(b) Propinquitas haec sita est in communione sanguinis, diciturque consanguinitas quasi sanguinis unitas: itaque vel ab utroque parente singuli communem hauriunt sanguinem et *germani* nominantur; vel patre tantum a *consanguinei*; vel a sola matre et *uterini* appellantur. Item qui remotiores sunt à communi stipite per viros aut foeminas cognati esse possunt. Consanguinei jure civili, alii distinguuntur Agnati, qui nempe descendunt a stipite virili et per lineam paternam junguntur: alii cognati, qui per foeminas tantum seu per lineam foemineam descendunt, uti fratres et sorores uterini; adeoque cognatio et genus est et species.

(c) *Propinquo* stipiti additum est, ne colligere quis possit homines omnes quippe ab uno genarcha descendunt, inter se consanguineos esse.

vel immediate, aut mediate; vel si non a se, a communi stipite immediate similiter aut mediate; cognatio proinde exhiberi potest sive per lineam rectam ascendentium et descendentium, sive per duas obliquas seu transversas lateribus junctorum, quae in communem stipitem concurrunt, seu angulum efficiunt. Adhaec propinquitas vel proprior vel remotior esse potest. In cognatione igitur *stipes*, *linea*, *gradus* considerantur (a). *Schema* seu *Arbor consanguinitatis* quae in calce secundi libri habetur adnexa, eadem ac inserta decreto Gratiani (1), exhibet plane quae dicta sunt.

(a) Stipes est persona ex qua aliae ducunt originem, ut ex eodem arboris trunco ducunt originem rami: strictius stipitis denominatio pertinet ad eum qui communis parens est junctorum ex latere, sive in quo duae lineae transversae concurrunt. *Linea* est series personarum. *Gradus* est distantia unius personae prae alia a communi stipite. Linea est *recta* vel *transversa* sive *collateralis*: *recta* est series personarum, quarum una ab alia descendit, et procreata fuit, ex. gr. proavus, avus, pater, filius etc. dicitur linea *descendentium* si a stipite progreditur ad posteros, *ascendentium*, si a posteris pervenitur ad stipitem; *collateralis* est inter personas, quae ab eodem stipite, sed quarum una non ab altera descendit; ut fratres, consobrini etc. Atque vel *aequalis* dicitur quum plures a communi stipite, aequali gradu distant, ut duo fratres; vel *inaequalis* quum diversa est personarum a communi stipite distantia ex. gr. patruus, nepos. Observandum tamen manet 1.° quod linea obliqua si consideretur in se, et abscisse ut ad latus excurrit, nec conferatur cum altera, quando in ea sunt plures personae ex. gr. duo fratres qui generent filios etc. hi singuli constituunt novam lineam rectam. 2.° Quia tota haec propinquitas, in communione sanguinis fundatur; sanguis autem aeque in licito ac illicito coitu communicatur: sequitur proinde ut etiam ad propinquos ex eo ortos pertineat; ac nullum in consanguinitate, ejusque gradibus sit discrimen inter liberos legitime aut illegitime natos.

(1) *Post. caus. 35. q. 5.*

Ut autem dignosci possit distantia graduum inter certas personas, tres in jure sacro extant regulae. *Prima* pro linea recta est: tot gradibus una persona ab altera distat, quot sunt personae una adempta, nimirum stipite communi: seu tot sunt gradus quot sunt generationes (a). *Secunda* regula pro linea collaterali inaequali est: quot gradibus personae singulae (de quarum consanguincitate quaeritur) distant a communi stipite, tot distant inter se (b). *Tertia* regula pro linea collaterali inaequali: quo gradu remotior persona distat a communi stipite, eodem distant inter se (c).

Jus civile autem in hoc distat a sacro quod istud tam

(a) Ex. gr. Filius a suo Patre distat uno gradu, quia, efficiunt unam generationem, suntque personae duae; ab avo distat duobus eadem ratione.

(b) Puta, duo fratres, vel frater et soror inter se distant uno gradu; fratruum vel sororum liberi duobus, horum liberi seu nepotes fratruum et sororum, tribus gradibus etc.

(c) Unde patruus et nepos distant inter se secundo gradu; quia nepos, qui est persona remotior a comuni stipite, nempe ab avo, secundo gradu distat. Hoc unum tamen observandum quod ex const. Pii V *Sanctissimus*. Urb. VIII, et Innoc. III Brev. *Alias pro parte* ad obtinendam dispensationem in gradibus consanguinitatis exprimendus sit non solum gradus remotior, sed et proprior stipiti ex. gr. primus in secundo, primus in tertio etc. Computatio graduum ex jure canonico solum attenditur cum de matrimonio agitur cap. fin. *de consang.*: ex jure vero civili locum habet, cum agitur de successionibus, de titulis etc. etenim Alexandr. III in cap. 2. caus. 35. qu. 1. jam citat. generaliter approbavit computationem graduum juris civilis, et excepit solum matrimonium. Hoc igitur jure bini fratres, aut binae sorores, sive frater et soror ponuntur in secundo gradu; quia haereditates aut pro numero personarum dividuntur, aut ab una ad aliam personam devolvuntur. Hinc eodem jure civili in linea obliqua non datur gradus *primus*; nec in obliqua inaequali, gradus *secundus* aut *impar*.

pro linea recta, quam obliqua unicam statuit regulam, nempe illam quam pro linea recta assignavimus *tot sunt gradus quot generationes* : *tot gradus, quot personae una dempta* (1). Unde tritum est illud :

Per rectum filum concordant utraque jura
Per transversalem superant legalia jura.

Denique dirimit matrimonium cognatio naturalis in linea recta *usque in infinitum* dixit Callixtus I (2), et Nicolaus I ad consulta Bulgarorum (3) a quo non discrepat jus civile, quod receperunt veteri canones (4). Ratio est reverentia progenitoribus debita (a). In linea transversa etsi olim matrimonium usque ad septimum

---

(a) Jure naturae in primo gradu hujus lineae dirimitur matrimonium; etsi saltem spectato jure positivo uti dictum est usque in infinitum dirimi constat; nam in illo gradu repugnat matrimonium auctoritati, quam natura dat parentibus in filios, nec ipsam credibile est dedisse hominibus potestatem transferendi jus et dominium corporum in ordine ad usum, qui perpetuo turpis est, ac rectae rationi, verecundiae, et reverentiae parentibus debitae contrarius. Quoad alios gradus vero nimirum, secundum et ulterius lis adhuc inter DD. vertitur. S. Thomas *c. 2. q. 154. a. 9. ad 3.* sentire videtur tantum in primo gradu jure naturali interdictum matrimonium. Illum sequuntur Sanch. Cont. Fagnan. Clericat. etc. quorum aliqui usque ad quartum, alii ad septimum et ulterius extendunt. Lex mosaica primo generatim vetat, nequis *ad proximum sanguinis sui accedat* Levit. 18. 6. Deinde in linea recta prohibet nuptias inter patrem et filiam, inter matrem et filium ib. v. 7. Inter avum et nepotem, proindeque inter aviam et nepotem v. 10.


(1) *Tit. I. Inst. de grad. cognat. l. 10. §. 9. seqq. ff. de gradib.*
(2) *In c. 2. c. 35. q. 2.*
(3) *Num. 39.*
(4) *§. 1. Inst. de Nupt. l. 83. ff. de Rit. nupt.*

gradum irritabatur (1); dein in Concil. Lateranense IV Inn. III decrevit impedimentum non extendi ultra quartum gradum inclusive, sive ex illicita, sive licita copula ortum habeat consanguinitas (2) (a). Quoniam ait laud. Pontifex *in ulterioribus gradibus, Jam non potest absque dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari*. Hanc regulam vero applicans lineae inaequali decernit (3). « Vir qui a stipite quarto gradu, » et mulier quae ex alio latere distat quinto; possunt » matrimonialiter copulari secundum regulam *quoto* » *gradu remotior differt a stipite etc.* (b) ».

(a) L. 10. §. 13. de grad. sequens observatur casus. *Evenire solet in his qui diversis parentibus nati sunt; ut qui meo fratri frater sit, meus cognatus non sit. Pone me fratrem habere ex eodem tantum patre: illum habere ex eadem matre: illi inter se fratres sunt. Mihi alter cognatus non est.* Hoc intelligas plane si distinguas fratres germani qui sunt, aut consanguinei, aut uterini: quod ex sequenti schemate facile colligas.

(b) Consanguinitas in primo gradu lineae obliquae probabilius videtur quod matrimonium irritum et invalidum reddit jure naturae: nam 1.° omnes fere gentes hujusmodi matrimonium sunt detestatae, teste Aristotile L. 2. Polit. c. 2. et quae illud permittebant fuerunt reprehensae, atque tamquam barbarae notatae, ut re-

(1) *C. 1. 7. 16. 19. q. 2.*
(2) *C. non debet 8. de Consang.*
(3) *Cap. Vir 9. ibid.*



CONCLUSIO QUARTA

Impedimento cognationis spiritualis excusso de cognatione legali disseritur.

Ex Baptismo, quo spiritualis quaedam regeneratio habetur, et Confirmatione, qua illa perficitur, impedimentum hoc matrimonii oritur (1), propter analogiam hujus generationis spiritualis cum generatione carnali, indeque arctior conjunctio inter certas personas contrahitur; quapropter reverentiam sibi invicem debent, ita ut nequeant copulari matrimonio. Et quidem (ut antiquum jus omittamus) ex Trid. (2) inter

---

fert S. August. L. 22. contra Faustum c. 35. Et hinc Levit. 20. conjungitur cum delictis juri naturae contrariis ex. gr. adulterio et eadem punitur poena. 2.° Nullus unquam fuit probus qui tale matrimonium contraxit, et non inierunt, ait idem S. Doctor c. unic. 35. q. 1. *nisi fratres et sorores ex duobus illis primis* (Adam et Eva), *et nulli homines erant.* Hinc vetita matrimonia ex eodem Levit. 18. 22. inter fratrem et sororem. 3.° Ecclesia nunquam dispensat, imo negavit petentibus illud; atque Trid. tantum permittit propter causam publicam cum magnis Principibus dispensare in secundo gradu. Et in c. 8. *de divort.* tantum dicitur infideles in secundo gradu vel ulterioribus consanguinitatis ad fidem conversos non esse separandos.

In linea inaequali Levit. cit. cap. v. 12. 13. prohibet ducere amitam et materteram. Et paritate rationis et gradus S. Ambros. in epist. ad Paternum id extendit ad patruum et avunculum. Alii id prorogant ad amitam magnam, materteram magnam etc.

Jus civile l. 53. D. de R. N. statuit generaliter. *Nuptiae constitui non possunt inter eas personas quae in numero parentum liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint usque in infinitum.* Hinc vide jure civili in linea collaterali etiam respectum parentalem spectari; idque protestantes passim defendunt. At jus sacrum in eadem linea de eo rationem non habet.

(1) *C. fin. de cognat. spirit. in 6.*

(2) *Sess. XXIV. c. 2. de Sacram. Matrim.*

susceptores, et susceptum, ejusque patrem et matrem; nec non ministrum ipsorum Sacramentorum, et eum, cui conferuntur, ejusque patrem, et matrem, matrimonium interdicitur (a). Sunt enim veluti patres spirituales, ministri, et susceptores unde *patrini* et *matrinae* vocantur (b).

Cognatio legalis etsi propinquitas personarum sit ex adoptione perfecta, seu arrogatione proveniens, jure ecclesiastico (1) dirimit matrimonium (c) (2). Impedi-

---

(a) Observandum primum per parentes intelliguntur hic naturales et legitimi. 2.° In baptismo sub conditione, si verus fuerit, verum exurgere impedimentum constat; in dubio autem tutius est dispensationem petere. 3.° Baptismo privato sive domi administrato et non solemni, contrahitur cognatio; quidquid aliqui in contrarium sentiant, sic et in casu necessitatis; unde sive obstetrix sive laicus qui baptizat, excipe patrem, si fecerit ex necessitate eamdem contrahit ex can. *ad limina* 7. caus. 30. qu. 1. *extra* cit. loc.; aut ex ignorantia, c. *si vir* 1. extra cit. loc.; aut etiam ex malitia, ut a conjuge separetur cit. cap. *vir*. Ceterum is conjugale debitum petere non potest, reddere tenetur. 4.° Non a procuratore contrahi sibi spiritualem cognationem, sed a mandante definivit S. Congr. apud Fagnanum in c. *Veniens* 6. *Extra* cit. loc. n. 19. quod consuetudine firmatur. 5.° Contrahunt qui duo ex pluribus fuerint designati a parentibus vel Parocho. At si vel nullus, vel omnes designati fuerint omnes contrahere decidit S. Congr. ibid. in c. *ex litteris* 8. *extra* cit. loc. n. 5. Trident. enim prohibuit ne plures quam duo patrini admitterentur; sed non antiquavit jus vetus quo plures etiam admittebantur. 6.° Inter Christianum et Paganum nulla datur cognatio spiritualis.

(b) Confer quae de Sacramento Confirmationis et Baptismo dicta sunt.

(c) Adoptio est personae extraneae, quae natura filius aut filia non est, in filium aut filiam vel nepotem etc. legitima assumptio. Dicitur personae extraneae id est, talis, quae non sit in potestate adoptantis, etsi sit consanguinea. Dicitur legitima as-

(1) *C. 1. caus. 30. q. 3. c. unic. de Cognat. Legal.*

(2) *C. 1. 5. caus. 30. q. 3. et c. un. de cognat. legali.*

mentum quidem a jure civile profectum (1); sed quia ut S. Thom. ait (2): « Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiae, quae idem etiam interdicit ». Ideo ex Bened. XIV monito (3) Nicolaus I in responsis ad consulta Bulgarorum illud approbavit, et decrevit insuper in omnibus formam ipsius juris civilis in hoc im-

---

sumptio, quia introducta legibus civilibus et a canonibus approbata; hinc ad juris civilis praescriptum conformanda nimirum 1.° Ut adoptans sit sui juris et masculus; nam foemina adoptare non potest nisi ex indulgentia Principis in solatium filiorum amissorum non ut filios, sed haeredes haberet l. 29. §. 3. ff. de inoffic. test. §. 10. Inst. de adopt. 2.° Ut adoptans sit major vigesimoquinto anno et ad generandos filios potens. 3.° Ut ratione aetatis possit esse pater naturalis adoptati, idest decem et octo annis adoptatum praecedat. 4.° Ut adoptatus sit praesens adoptanti, cum adoptatur, et in adoptionem consentiat. 5.° Ut accedat auctoritas Principis, vel Magistratus inferioris, praevia cognitione. 6.° Illis, qui domi filios naturales habent vel adhuc filiis procreandis pares sunt, nempe sexaginta annis minores, nefas erit adoptare l. 15. 17. D. *de adopt.* At non sic qui non possunt generare uti spadones §. 9. Inst. c. 2. ff. *de adopt.* Ita t. 1. ff. et c. *de adopt.* et Inst. eod.

Adoptio alia est *perfecta* et Adrogatio dicitur, per quam adoptatus sui juris existens, auctoritate vel rescripto Pontificis transit in potestatem et familiam adoptantis; ita ut fiat haeres necessarius, non minus ac filii naturales §. 3. Inst. et L. 3. c. cit. loc. *Imperfecta alia est*, seu simplex ac specialis, per quam filiusfamilias seu persona sub patria potestate constituta, et non invita, decreto alicujus Judicis Ordinarii, ita assumitur in filium ut participet assumentis nobilitatem, jus civitatis etc. eique succedat ab intestato, non tamen ut haeres necessarius, neque ut transeat in ejus familiam et potestatem, quia jus naturale Patris praevalet; nisi adoptans sit aliquis ex ascendentibus ex. gr. Avus Paternus vel Maternus; eis namque est jus naturale et reale adoptionis. Quo casu adoptio censeretur perfecta.

(1) *L. XVII. et LV. D. de Ritu nupt. et §. 2. Inst. de nuptiis.*
(2) *In 4. dist. 42. q. 2. a. 2. ad 4.*
(3) *De S. D. l. 9. c. 10. num. 15.*

pedimento observandam. Jus ergo canonicum hanc statuens cognationem pro impedimento matrimonii sequitur et probat leges civiles; quae in codice novissimo hujus regni habentur (1), et ex quo codice effectus adoptionis sunt (2) 1.° cognomen adoptantis adjungitur proprio adoptati. 2.° Obligatio reciproca contrahitur de alimentis praestandis sicuti inter parentes et filios. 3.° Adoptans succedit adoptato, non propinquis ejusdem, quamvis illius sint filii legitimi et naturales post adoptionem nati. 4.° Res ab adoptante datae, vel ex ejus haereditate proventae adoptato praemortuo absque legitimis descendentibus, si extent in specie, ad adoptantem redibunt ejusque descendentes, cum onere contribuendi ad debita solvenda si extent, et sine praejudicio tertii. Ad propinquos autem adoptati alia bona ejus pertinent, uti et praedicta bona quando descendentes non adsint adoptantis. 5.° Huic non ejus descendentibus aut haeredibus debentur omnia a se data, si post mortem adoptati, ejus filii aut descendentes sine prole moriantur. 6.° Impedimentum dirimens contrahitur eodem jure (3) 1.° inter adoptantem et adoptatum, adoptatique descendentes: 2.° inter adoptantem et conjugem adoptati, inter adoptatum, et adoptantis filios quamvis adoptivos (a).

(a) Jure communi oritur hoc idem impedimentum 1.° in linea *recta* inter adoptatum, et adoptati liberos ac descendentes si in ejus potestate existant. Et haec cognatio dicitur *Paternitas* quae indistincte et in perpetuum dirimit matrimonium, etiam soluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati. 2.° In linea *obliqua* inter adoptatum, et liberos adoptantis naturales et legitimos simul, et in adoptantis potestate con-

(1) *Part. 1. lib. 1. tit. 8. c. 2.*
(2) *Art. 271. et seqq.*
(3) *P. 1. art. 159. et 160.*

CONCLUSIO QUINTA

Criminis impedimentum et disparitatis cultus declaratur.

A crimine conjugicidii scilicet adulterii, ut conjuges absterreantur magis, in poenam statuitur *impedimentum hoc criminis*: vi cujus inter complices delicti non quoad alias personas, validum matrimonium etiam soluto priore, iniri nequit, et utrinque duplici modo inducitur illud; unde quatuor existunt casus quibus dirimitur ob id matrimonium; 1.° cum quis adulterium commisit, facta promissione adulteram post mortem ejus mariti in uxorem ducendi (1); 2.° quum conjux mortem suae conjugi intulerit, eo animo, ut cum adultera ineat matrimonium; 3.° quum quis occiderit conjugem, consentiente vel conspirante occisi con-

---

stitutos. Et haec vocatur *fraternitas* quae dirimit matrimonium tantum, quamdiu durat adoptio ex *c. unic. de cognat. leg.* 3.° Inter adoptantem et uxorem adoptati; et vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis. Et haec vocatur *affinitas* quae perpetuo dirimit matrimonium, etiam soluta adoptione. *L. 14. in pr. et L. 55. ff. de ritu nuptiar.* Layman et alii.

Ex his collige 1.° inter adoptantem et parentes filii adoptivi posse consistere matrimonium; 2.° posse filium adoptivum ducere in uxorem filiam legitimam carnalem adoptantis post hujus obitum; 3.° ipsas sorores, ac fratres adoptivos posse inter se matrimonium inire; 4.° filium legitimum carnalem adoptantis posse in uxorem ducere filiam adoptivam ejusdem adoptantis, et vicissim.

Denique observandum non convenire DD. de extensione impedimenti hujus inter adoptantem et adoptatum ejusque discendentes, utrum nempe in infinitum, an ad quartum usque gradum. Sicut an simplex adoptio induceret impedimentum dirimens si non esset cum aliquo ascendentium.

(1) *Innoc. III. in c.* significasti *extra de eo qui in matrim. etc.*

jugis consorte, sine adulterio, etiamsi inde novus conjux ad fidem convertatur: 4.° quum quis demum vivente uxore alteram ducere attentarit, et cum ea conscia prioris conjugis, adulterium patraverit (a).

(a) Observandum quod adulterium sine conjugicidio inducit impedimentum his conditionibus stantibus 1.° ut sit matrimonium cum complice attentatum, vel promissio illud contrahendi: et adulterium commissum manente adhuc priore matrimonio legitimo ex c. 5. 6. et c. fin. *de eo qui duxit* etc. Porro DD. communiter ulterius requirunt; 2.° ut adulterium sit perfectum et formale ex utraque parte, idest utrinque cognitum; 3.° ut adulterium et promissio contigerit eadem legitima conjuge vivente. 4.° ut promissio matrimonii sit vera non ficta, sit absoluta, vel saltem ante mortem purificata, ac acceptata, et juxta Layman L. 5. n. 10. p. 4. c. 10. etiam reciproca; quamvis non desint DD. qui docent non interesse an promissio sit vera vel falsa, quum utraque ad adulterium, vel homicidium impellere possit; sive pura vel conditionata praecedatve adulterium, vel sequatur; 5.° ut non sit revocata ante adulterium sequutum.

Ut autem conjugicidium seu machinatio (uti canones illud vocant) facta in mortem unius conjugis cum proposito contrahendi postea matrimonium cum altero conjuge superstite, sit impedimentum dirimens requiritur, si conjugicidium sit sine adulterio 1.° ut machinatio illa sit efficax et caedes reipsa sequuta can. 5. caus. 31. q. 4.; 2.° ut utraque pars in mortem conjugis conspiret ex c. *Laudabilem* 1. *de convers. infidel.* et quidem vel consilio, vel mandato, vel cooperatione phisica, nec afficit sola ratihabitio alterutrius; 3.° ut machinatio sit facta causa ineundi matrimonium cum conjuge superstite ex una parte, ut communissime DD. dicunt; quia licet jura expresse eam intentionem non requirant, finis legis eamdem supponit esse necessariam. Si conjugicidium vero fuerit cum adulterio, quo casu necesse non est ut uterque cooperatus sit mortis machinationi; nam c. *Significasti* 6. *de eo qui duxit* et ex quo unus tantum sufficit, loquitur de adulterio admisso. Porro lex poenalis extensionem non patitur. Requiritur tamen ut mors allata fuerit a machinante ex intentione conjugii.

Quae cetera ad hoc pertinent argumentum vide apud DD. morales.

Utrum vero hoc impedimentum ab ignorante contrahi possit, controvertitur. Negant aliqui, dicentes poenam ad absterrendos homines a culpa, supponere contumaciam. Neque addunt obstare quod sit inhabilitas illud impedimentum; nam dicunt principaliter intentam tamquam poenam. Attamen, exposita hac sententia, quia impedimentum hoc revera non est tantum poena, nam praeter eam jura respiciunt alium finem, nempe amorem et fidem conjugalem, securitatem conjugum; propterea communior sententia et probabilior tenet hoc impedimentum etiam contrahi a nescientibus illud; sicut reapse alia impedimenta dirimentia ab ignorantibus incurruntur; quae est generalis proprietas legis irritantis (a).

Cultus disparitas seu religionis in conjugibus nempe cum eo qui non profitetur religionem christianam, vel non fuit baptizatus, obstat eorum matrimonio, institutum enim in officium Ecclesiae ejusque conservationem, quod consequitur sanctificatione illorum, susceptione ac educatione prolis. Hinc quamvis non lege naturae, nec veteris nec novi testamenti nuptiae ob disparem cultum prohibeantur (b), Canones a Gra-

(a) In hoc impedimento per se tantum Pontifex dispensat, quia est juris Pontificii. Et quidem si est certum ex conjugicidio jam publicó, tunc Pontifex nunquam dispensat ob enormitatem scandali et delicti. Si autem est occultum, tunc pro foro interno dispensat S. Poenitentiaria, sed difficillime, et nonnisi ex urgentissimis causis. Et tunc executio Confessario per Oratorem eligendo demandatur, ut eumdem Oratorem injuncta prius gravi et diuturna poenitentia absolvat, ac dispenset ut matrimonium de novo, secrete tamen ad evitanda scandala, contrahatur etc. Si vero ortum impedimentum sit ex adulterio, et hoc occultum, tunc dispensat S. Poenitentiaria, sed ob causas minus graves. Tandem si est publicum dispensat Dataria, sed non tam facile. Vide Corrad. in Praxi dispens. L. 8. c. 9. n. 5.

(b) In lege naturae Esau cum mulieri bus Cananaeis se conjunxit *Gen. c. 26. v. 34.* Joseph cum Asenet Ægyptiana *ibid. 41. v.*

tiano collecti (1) revera fidelium cum infidelibus matrimonium prohibent, non ita tamen ut faciant irrita (primis enim temporibus Ecclesia aegre ferebat matrimonia fidelium cum infidelibus, non tamen irritabat). Recte sic disserit Bened. XIV (2): « Omnes » nunc sentiunt ob cultus disparitatem irrita matri- » monia esse, non quidem jure SS. Canonum, sed ge- » nerali Ecclesiae more, qui a pluribus saeculis vim » legis obtinet; illud autem impedimentum vigere in » eorum conjugiis quorum alter baptismi est parti- » ceps, expers omnino alter, quamvis adhuc cate- » chumenus esset, atque ad catholicam fidem acce- » dere statuisset ». Addesis ex eodem laud. Pontif.: quamvis una pars putet se baptizatam, et tamen vere non sit: praeterea casum de hebraeo, qui e secta protestantium uxorem duxerat: nam baptizato hebraeo et muliere ad catholicam fidem reversa renovari debuit inter eos matrimonium (3) haeretici enim legibus Ecclesiae tenentur; sicut transfugae cives ac perduelles privilegiis quidem legum non participant, nihilominus principum auctoritati subjacent.

De conjugio catholicorum cum haereticis dicendum cum de impedimentis prohibentibus sit sermo.

---

45. In veteri Testamento et novo Moyses et Joseph gentilibus, et Esther Assuero; tum Cecilia Valeriano, Monica Patricio, Clotildis Clodoveo Francorum Regi nupserunt.

(1) *Can. 28. q. 1.*

(2) *In brevi ad Card. Eboracensem.*

(3) *Bullar. t. 3. n. 2. const. 8.* singulari nobis.

CONCLUSIO SEXTA

De impedimentis vis, et ordinis disseritur.

Vis metum generat: utrumque libero consensui adversum (1). Imo in nuptiis nec consensus stantibus illos habetur: atque ideo nullae nuptiae si ex vi metuque gravi exterius illato contrahantur (a). Consentiunt quidem qui metu agunt at non omnino libere, et ita ut agere debet contrahens matrimonium, qui *plena debet* ex jure (2) *securitate gaudere, ne per timorem dicat sibi placere quod odit, et sequatur exitus, qui ab invitis solet nuptiis provenire* (b). Metus purgatur spontaneo consensu superveniente (3): aut spontanea cohabitatione (4).

Utrum vero hoc impedimentum sit jure naturae an ecclesiastico disputant DD. Qui adfirmant cum D. Thoma S. Bonav. Reinffestuel, generalibus princi-

(a) Hunc metum distinguens Honorius III in cap. 28. *de sponsal.* ait: *Talis metus inveniatur illatus qui potuit cadere in virum constantem;* nempe ut gravis sit oportet · insuper injuste ab alio incussus ex Alexandr. III in c. *veniens* 15. Extra eod.: demum ex eodem Honor. in cap. *consultationi* 28. incussus ad extorquendum consensum; nam si ad alium finem, et tunc pars altera sponte eligeret matrimonium ad redimendam vexam, aut alterum malum avertendum juxta communiorem, imo ex Sanchez l. 4. D. 12. n. 3. et aliis, juxta certissimam sententiam, matrimonium non irritaret, contra De Lugo et alios. Nihil autem interest utrum ab ipso conjuge, an a patre, an ab alio metus fiat c. 11. ex de desponsat. impub.

(b) Consensus jure nixus dicitur, qui inter consentientes mutuum jus et obligationem continet. Id non fit in his quae vi metuque fiunt. Nam metum inferens, naturalem obligationem habet alterum servandi immunem ab omni gravamine; ergo jus adversus eum non habet: metum passus naturali jure libertatis et immunitatis ab injuria gaudet: ergo nulla obligatione alteri devincitur.

(1) *L. 16. D. de Reg. juris.* (2) *c. Cum locum 14. de sponsal. et Matrim.* (3) *C. 6. de spons.* (4) *C. 21. et 28. eod.*

piis juris nituntur (1) : insuper matrimonium dicunt quippe in conjunctione animorum fundatur, nihil tam adversum, quam violentiam habere. At qui negant cum Suarez, Sanchez et aliis subdunt: jure naturae ad valorem contractus ex citatis principiis non plus requiri quam titulum atque consensum simpliciter liberum, quem metus non tollit(etsi ne spontaneus sit, facit); nam coacta voluntas est voluntas (2), et voluntas interna, quae per quascumque minas potentiae creatae absolute cogi nequit. Addunt: si esset matrimonium istud invalidum defectu consensus; irritaret illud etiam metus gravis juste incussus.

Revalidatur autem propter metum passum invalidum matrimonium per consensum, cessante metu, libere et sponte positum, et vel verbis, vel facto manifestum: imo et per cohabitationem spontaneam diuturnam; aut per usum matrimonii sponte habitum (3); modo in altera parte adhuc perseveret consensus, et pars metum passa sciat matrimonium prius fuisse nullum. Ita Barbosa et alii (a).

Clerici vel ordinum minorum sunt, vel majorum (b):

(a) Vim et metum, matrimonium saltem jure positivo irritare omnibus constat. De sponsalibus id negant non pauci: ita ut rescindi haec a judice possint, non vero per se nulla sint habenda. Quod observandum probe, ne imprudenter statuat quis de impedimento publicae honestatis post contracta sponsalia vi inita aut metu gravi; num scilicet possit contrahere matrimonium pars altera post eorum rescissionem, cum prioris sponsi consanguineo in primo gradu.

(b) De tempore quo subdiaconatus majoribus ordinibus adscriptus fuit jam concl. sexta cap. XI pag. 167 diximus. De conti-

(1) *L. 1. Decret. de his quae vi metuque causa fiunt.*

(2) *L. 21. ff. quod metus caus.*

(3) *C. 4. qui matrim. accusare poss. c. 2. de conjug. servor. c. 21. de sponsal.*

initiati ordinibus, relate ad matrimonium ante, vel post ipsum initum considerari possunt. Ad clericos in sacris et majoribus ordinibus constitutos spectat impedimentum matrimonii quod provenit ex ordine (a).
» Si quis dixerit ait Trid. (1) clericos in sacris ordi-
» nibus constitutos. . . . posse matrimonium contra-
» here, contractumque invalidum non esse, non ob-
» stante lege ecclesiastica . . . . anathema sit (b) ».

Igitur clerici in sacris constituti nec licite nec valide possunt matrimonium contrahere; ita ut neque ipsi Graeci, ex dictis antea, sic ordinati ducere amplius uxorem possunt (c). Quod si matrimonium attentaverint nefarium, praeterquamquod matrimonium nullum esse patet, haec et alia adsunt, 1.° compellendi sunt ad expellendas tales foeminas, et ad poenitentiam

---

nentia subdiaconorum vero non eadem fuit semper Ecclesiae disciplina; canon tamen 27 Apostolorum apud Cotelerium *PP. Apost.* t. 1. et canon 1. 17. l. 6. const. apostolic. c. 21. illam memorant, etsi Graeci hos corrumpant. Insuper S. Epiphanius *exposit. fid. cath.* cap. 21. Justinian. Nov. 22. c. 42. coll. 4. tit. 2. et S. Hieronym. contra Vigilant. n. 2. de lege continentiae loquuntur, qua uti ceteri majores clerici, obstringuntur subdiaconi. Primus S. Leo M. epist. 14. c. 4. legi eidem omnes subdiaconos addixit; quae Decretalis apud omnes non obtinuit. Romae sub Greg. M. Subdiaconi continentiam servare debebant; atque hoc exemplo laud. Pontifex subdiaconos Siculos huic legi obstrinxit.

(a) Sancta Trid. Synodus noluit quaestionem, originem spectantem hujus impedimenti, quam DD. pertractant, definire; num scilicet voto vel lege ecclesiastica ordo dirimat matrimonium. Hinc alternative de hac re dixit *non obstante lege ecclesiastica vel voto*. Vide Espen. I. E. U. t. 2. §. 1. t. 13. *de imped.*

(b) Vide quae de hoc argumento, et de coelibatu sacro ac ejus disciplina dicta sunt concl. 7. et seqq. c. XI. pag. 212.

(c) Quid vero dicendum de ordinatis per vim et metum gravem vide apud Sanchez l. 7. *de matr.* D. 29. et alios DD. Morales.

(1) *Sess. XXIV. de matrim. cap. 9.*

agendam, etiam per suspensionis et excommunicationis sententiam (1): imo ipso facto excommunicati sunt habendi, a qua excommunicatione per Episcopum absolvi possunt (2): 2.° fiunt irregulares, ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores promoveri possint. Ab hac irregularitate potest etiam Episcopus dispensare (3), excipe nisi cum vidua vel corrupta contrahat. 3.° Redduntur suspecti de haeresi. 4.° Incurrunt etiam poenam stupri si virginem violaverint; 5.° Si verba de praesenti ac benedictiones praecesserint, privantur beneficiis, si quae habent, quamvis juxta aliquos non ipso jure. Attamen contracto matrimonio invalido, nullum amittunt privilegium ipso jure (4) (a).

Post contractum matrimonium ex quo *bigamia* vera vel interpretativa contracta est, nemo promovetur ad ordines, ne ad primam quidem tonsuram, seu vi-

(a) Post susceptos minores ordines validum contrahitur matrimonium, et ex causa etiam licitum ex c. 1. *de clericis conjugatis*. Revera nec votum nec lex obligat hos clericos ad statum coelibem. At 1.° amittunt ipso jure prius habita beneficia ex cit. c. 1. ubi dicuntur compellendi *ad beneficia relinquenda, et retinendas uxores*; quia jam illorum quasi dominium amiserunt. Consequenter ante sententiam Judicis tenentur etiam fructus post nuptias forte perceptos restituere cit. c. 1. et 2. Quod si invalide propter aliquod impedimentum contrahant scienter; non ipso facto amittunt beneficia, quia sic contrahens non vult efficaciter contrahere, aut assumere statum incompatibilem cum illis juxta DD. apud Sanchez l. *de matrim.* d. 43. Sunt vero alii qui privatos illos nolunt beneficiis sive scienter, sive ignoranter contraxerint invalide, quia jura cit. locis de matrimonio valido loquuntur. Privilegia amittunt clericalia, exceptis illis *canonis* et *fori* si observent certas conditiones. Confer quae de privilegiis dicta sunt clericorum vol. 2. c. III. concl. 18.

(1) *C. 1.* §. sed si *de cleric. conjug.*
(2) *Clement. un. de consang. et affin.*
(3) *Cap. 1. et 2. qui cleric. vel voventes.*
(4) *Cap. 1. de cleric. conjug.*

vente, seu mortua uxore. Extra casum *bigamiae* uxore vivente, nisi ipsa consentiat, ac insuper ingrediatur Religiosum locum; vel si propter provectam aetatem de incontinentia non sit suspecta saltem voveat castitatem, nemo admittitur nec ad primam tonsuram vel minores ordines; quia juxta canones (1) nemo licite promovetur ad eam, nisi probabilis extet conjectura de intentione ad majores ordines progrediendi, quae dari in conjugato, vel praesumi non potest. Nec eo vel magis promoveri potest ad majores ordines si conjugatus jam sit clericus, et in minoribus constitutus: quod constat ex jure (2) ubi praedictae conditiones requiruntur in conjugato ad sacros ordines promovendo.

Demum ab usu matrimonii jam contracti, tam stricte arcentur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, et subdiaconi, ut si quis ab illo sit filius, pro illegitimo quoad ordines et beneficia declaratur (3).

CONCLUSIO SEPTIMA

Ligaminis et publicae honestatis impedimenta explicantur, et quae ad haec spectant adponuntur.

Pluralitatem uxorum vel virorum reprobant jura utpote adversam unitati, quae est proprietas matrimonii, ut demonstratum jam fuit (4). Ligatus ergo matrimonio cum una; vel ligata cum uno, laborare dicitur *impedimento ligaminis dirimente*. Novum igi-

(1) *Cap. 6. de 77. c. ult. de temp. ord. Trid. sess. XXIV. c. 4. de reform.*

(2) *Cap. feriatim 14. d. 32. c. 2. de cleric. conjug. c. 5. et 8. de convers conjug.*

(3) *C. 14. de Cleric. Conjug.*

(4) *C. XV. concl. 1. pag. 241.*

tur horum conjugium irritum et invalidum habetur, donec de morte prioris conjugis, alter *certum nuntium* receperit, inquit Clem. III (1). Cui concordat lex jam prius a Justiniano lata (2) (a). Secutis vero secundis nuptiis si dubitet uxor adhuc, an vivat, certiora sunt indicia veritatis quaerenda; et interim, ait Lucius III (3) si nupserit bona fide, et alter vir in bona etiam fide perseveret, *debitum non deneget postulanti, quod a se tamen non noverit nullatenus exigendum.*

Publicae honestatis impedimentum, quod jus etiam civile servat, ipsisque gentibus acceptum est (b) contrahitur 1.° per sponsalia de futuro valida, et absoluta (4): etenim per invalida quacumque ex causa impedimentum hoc non contrahitur jure Trid. (5) (c); conditionata vero nonnisi post impletam conditionem juxta ipsum laudatum Trid.; quia tunc fiunt absoluta. Quod impedimentum quidem perpetuum est, nec tollitur, licet sponsalia dissolvantur etiam mutuo con-

---

(a) Certum nuntium habetur non per leves aut probabiles praesumptiones, sed per depositiones plurium, aut saltem duorum testium oculatorum, vel instrumenta authentica ab Episcopo loci in quo defunctus sepultus est, recognita et subscripta.

(b) Ex quadam enim decentia sive honestate oritur. Revera quasi affinitas contrahitur inchoatione matrimonii per conjunctionem non corporum, ut fit in vera affinitate, sed animorum orta; obstans conjugio cum consanguineis ipsorum.

(c) De jure antiquo c. un. *de sponsal.* et alibi publica honestas ex invalidis etiam sponsalibus servabatur, indeque impedimentum contrahebatur, modo non erant invalida defectu consensus.

(1) *C. in praesentia 19. Ex. de spons. et matrim.*

(2) *Auth. hodie c. de repud. et jud.*

(3) *C.* Dominus 2. *de secundis nupt.*

(4) *Trid. sess. XXIV. de reform. matrim. c. 3.*

(5) *Cit. loc.*

sensu (1). Oritur idem impedimentum ex sponsalibus de praesenti, sive matrimonio rato, etiam nondum consummato (a), quamvis invalido, sed non defectu consensus; nam sic contractum nullum erit jure naturae (2). Verum quia hoc impedimentum adhuc manet sub dispositione juris antiqui, quoad sponsalia de praesenti; cum Trid. nihil de his immutavit: proindeque cum consanguineis in primo gradu impedimentum contrahitur ex sponsalibus de futuro ex jure ejusdem Trident.; at non ita ex sponsalibus de praesenti, quae usque ad quartum gradum dirimunt matrimonium: uti declaravit S. Pius V, et ratio comprobat; quia, lex correctoria juris, non est extendenda.

Demum impedimentum istud retro non dirimit scilicet: nihil operatur, si sponsalibus, vel matrimonio jam contracto supervenit, et in hoc differt ab affinitate (3).

(a) Arctior enim animorum conjunctio ex matrimonio rato, quam ex sponsalibus de futuro oritur; hinc quamvis jura antiqua non ita clare et explicite loquuta fuerint de hoc impedimento excepto can. 15. cap. 27. qu. 2. ab omnibus tamen servatum.

(1) *C. 14. et 15. caus. 27. Q. 2. et juxta declarat. Alexandr. XIII. ann. 1658.*

(2) *C. 14. 15. caus. 27. q. 2. cit. c. un. de sponsal. in 6.*

(3) *C. un. de sponsalib. in 6.*

CONCLUSIO OCTAVA

Affinitas definitur : inter quos oritur, declaratur : regula cognoscendi gradus ejus exponitur : quomodo matrimonium dirimat, adnotatur.

Affinitas simulacrum consanguinitatis, hoc modo definitur: propinquitas personarum, ex carnali copula perveniens, omni carens parentela (a). Carnalis nimirum et perfecta, per se apta ad generationem. Verum quia haec copula tum in legitimo matrimonio, tum fornicatione etc. potest contingere; hinc colligere erit 1.° adfinitatem ipsam oriri ex licita nimirum, ac illicita copula, 2.° quia adfinitas provenit ex matrimonio viri et mulieris, ipsos non adfines dicendos, sed principium adfinitatis. 3.° Adfinitatem contrahi inter virum ipsum et consanguineos mulieris, ac inter mulierem et consanguineos viri. 4.° Ipsos consanguineos viri et mulieris non ideo esse affines inter se; quia deest fundamentum in eis scilicet, illa carnis copula, ex qua inter praedictos oritur affinitas, unde vulgo dicitur, *adfi-*

(a) *Omni carens parentela* dictum est, ut a consanguinitate distinguatur; haec enim non ex copula praecise, sed communione sanguinis per generationem habetur, unde oritur parentela. Per affinitatem non idem sanguis communicatur: sed quando vir et mulier una caro fiunt, alter ad fines alterius cognationis accedit, nempe vir ad cognationem mulieris, et mulier ad cognationem viri. At vir et mulier inter se non fiunt adfines; sed velut radix et stipes fundant affinitatem, per hoc quod per suam commixtionem sanguis suorum consanguineorum mediantibus ipsis attingatur, et sanguis unius consanguinitatis ingrediatur quasi fines alterius cognationis. Hinc stipes heic non unus sed duplex est, vir et mulier, inter quos copula intercesserit.

nitas non parit adfinitatem: id est adfines uxoris non fieri adfines viri et vicissim (a).

Ut autem distinguantur adfines primum *linea* attendenda, quae duplex est: *recta* tam ascendens, quam descendens, in qua existunt consanguinei conjugum; *transversa* altera, quae exhibet consanguineos eorumdem in linea transversa. Secundo considerandi gradus qui proprie non sunt affinitatis (1), utpote qui numerantur in generationibus; attamen ex consanguinitate sumuntur et eodem modo utrinque computantur: nempe vir fit affinis consanguineis mulieris, in eo gradu, in quo ii sunt consanguinei eidem mulieri; et mulier fit affinis consanguineis viri in eo gradu in quo hi sunt consanguinei ipsi viro (2). Schema affinitatis, ex quo variae personae adfines distinguuntur linea et gradibus suis, necnon varias appellationes earum exhibebimus, post schema illud consanguinitatis in calce hujus voluminis.

Dirimit matrimonium adfinitas ex copula licita, ortum habens, ex jure positivo (b), et probabilius in linea

(a) Antiquo jure adfinitas pariebat adfinitatem: illud vero antiquavit Innocent. III in Lateran. IV c. Non debet 3. *de consang. et affin.* Quare disciplina, qua vivimus, pater et filius ex una parte ducere possunt matrem et filiam ex altera; et duae sorores cum duobus fratribus conjungi possunt, aut frater et soror cum fratre et sorore; vel filia viri cum filio uxoris nubere possunt. Inter vitricum vero, et uxorem privigni; aut novercam ac virum privignae nullum esse impedimentum adfinitatis decidit S. Congr. ann. 1621 apud Bened. XIV *de Synod. Dioec.* l. 9. c. 13. n. 2. et seqq. adfirmavitque jus civile a jure canon. correctum fuisse.

(b) Valde indecorae sunt nuptiae inter adfines primi gradus in linea recta seu inter novercam et privignum. S. Paulus 1. Cor. 5. utique affirmat, incestum, quo privignus novercam sibi jungere tentavit, nec inter gentes reperiri: et revera talis conjunctio ethnicis ipsis romanorum legibus damnabantur. Heineccius ad

(1) *L. 1. §. 5. ff. de grad. et affin.*

(2) *Ex can. 5. caus. 35. q. 5. et c. 5. de consang. et affin.*

recta usque in infinitum ; quia jus canonicum nullibi correxit, nec contrarium (1) statuit legi civili, quae obstat sine limite matrimoniis adfinium linea recta. Insuper nec ratio propter quam restrinxit hoc impedimentum in linea obliqua, procedit pro linea recta, ubi periculum invalidi matrimonii non est in gradibus remotioribus, sicut in illa. Adfinitas proinde orta ex conjugali copula in linea obliqua dirimit matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, sicut de consanguinitate dictum (2) et hinc correctum est jus antiquum canon. (3) quo extendebatur usque ad septimum gradum. Adfinitas vero orta ex illicita copula seu forni-

---

Pandectas l. 32. t. 2. *de rit. nupt.* At non ita ut Galli praesertim DD. volunt, nimirum legi naturali illam repugnare; proindeque in iis nuptiis Pontificem dispensare non posse; nam primi gradus adfines in linea recta, reipsa parentum ac liberorum rationem non habent sine quadam fictione; nec superioritas et subjectio naturalis in ipsis est. Hinc recte Bened. XIV *de S. D.* l. 9. c. 13. n. 4. opinari videtur affinitatis impedimentum hoc esse juris ecclesiastici, et dispensari in eo posse ex gravissimis causis; licet ipse, dum a secretis esset S. Congr. auctor fuerit *ut a simili dispensatione abstineret, prout abstinuit.* Bened. XIII. In linea autem obliqua etiam primi gradus affinitas, omnibus DD. fatentibus jure ecclesiastico, et non naturali irritum reddit matrimonium; et evincitur ex c. fin. *de divort.*; ex exemplo S. Patriarchae Jacobi duas sorores Rachelem, et Liam sibi jungentis: ex lege Deutor. qua frater viduam fratris sine liberis defuncti uxorem ducebat: item ex pluribus demum dispensationibus Pontificum, inter quas celebris est illa Julii II postmodum a Clem. VII approbata, unde valuisse dicendum est matrimonium, quod Henricus VIII contraxerat cum Catharina Aragonensi fratris Arthuris vidua, quaemadmodum tot etiam in Europa Academiae censuerunt.

(1) *L. 14. §. 4. ff. de rit. nupt. et l. 4. §. 7. ff. de grad.*
(2) *Cit. c. Non debet.*
(3) *L. 7. 15. caus. 35. q. 3.*

caria, jure novo Concilii Trid. (1) dirimit matrimonium tantum ad secundum gradum usque inclusive, si talis quidem copula antecesserit matrimonium; nam si matrimonio jam legitime contracto superveniat, consequenter per adulterium et incestum, non dirimit matrimonium, sed pars nocens in poenam sub mortali privatur jure petendi debitum, licet teneatur reddere; nisi in hoc dispensetur ab habente potestatem (2), aut si commisisset incestum per vim (3), aut ex metu gravi, aut ignorantia consanguinitatis, vel saltem poenae constitutae, juxta sententiam probabilem DD.

CONCLUSIO NONA

Clandestina matrimonia declarantur: eaque irrita jure Trid. demonstrantur (a).

Matrimonia clandestina jure canonum olim fuerunt tantum illicita (4). Postea Tridentinum lege generali non solum prohibita, sed irrita declaravit (5): *qui aliter quam praesente parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium attentabunt, eos*

(a) Clandestinum tum ei opponitur quod publicum est; tum quod solemne. Solemnitas quae requiritur ad valorem matrimonii, non est extrinseca et accidentalis de qua diximus antea, cum de denuntiationibus sermo fuit; sed substantialis et intrinseca; et consistit in praesentia Parochi et duorum vel trium testium, quae si desit, impedimentum clandestinitatis habetur dirimens matrimonium.

(1) *Sess. XXIV. c. 4. de reform. matrim.*
(2) *Ex c. Si quis 1. De eo qui cognovit consanguin. spons.*
(3) *Ex c. Dilectionem 6. ibid.*
(4) *C. 1. seqq. c. 30. q. 5.*
(5) *Sess. 24. c. 1. de de reform. Matrim.*

Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos, ut nullos esse decernit etc. . . . Decernit insuper, ut hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primae publicationis in eadem Parochia numerandos.

Inde collige 1.° legem hanc esse irritantem, cujus ratio fuit generale periculum. Nec epicheia quod presumit, et publicum bonum quod spectat in hoc genere locum habet (a): hinc nec ignorantia nec privata necessitas excusat ab ea; quia actum irritum non faciunt validum, ex. gr. si Parochus esset absens, vel mortuus, vel moriturus, et quis duceret concubinam ad legitimandam prolem; etenim actus esset, sine sua forma quam constituunt praesentia Parochi, et testium in matrimonio (b). 2.° Deduces: ut de clandestino matrimonio decernere quis possit, spectari debeat locus, in quo illud initum fuit; nimirum si inibi fuerit, vel non promulgata lex Trid. Porro ut exponit Bened. XIV (1) *approbante Summo Pontifice, sancitum fuit ad promulgationem comprobandam sufficere diuturnam observantiam ejusdem conciliaris decreti*. Inde patet 1.° non attingi hac lege eos, apud quos non fuit promulgata (c). Idque verum, etsi alter

(a) Puta: ne aliqui conjuges clandestine et valide ductas repudient, et alias in faciem Ecclesiae ducant, atque ita in perpetuis vivant adulteriis, non sine gravi animarum, et boni publici detrimento.

(b) De lege irritante jam dictum fuit vol. I. concl. 4. cap. 8. pag. 99.

(c) Dixit Trid. *ut in unaquaque Parochia* promulgatio fiat ob eam causam, ne scilicet protestantes qui multas jam tum Paro-

(1) *In brevi ad Episcop. Gounum.*

contrahentium legi subjectus existat, utpote domicilium habens in loco, ubi lex promulgata fuit; nam exemptio, quo fruitur alter, ei remanet communicata propter individuitatem contractus (a); 2.° nec eos ipsi legi subjici, quibus coram Parocho impossibile est contrahere, modo coram testibus contrahant (b). Aliud vero est si in casu tantum peculiari parochus desit; 3.° colliges vi ejusdem legis ad valorem matrimonii requiri praesentiam Parochi proprii, vel alterius Sacerdotis de illius, aut Ordinarii licentia. Quis vero proprius sit Parochus cujus praesentia requiritur, jam declaratum

---

chias invaserant, tenuerantque, eodem decreto comprehenderentur nulla emolumenti spe, et non levi majoris perturbationis periculo. Ita Pallavicinus hist. Concil. Trid. l. 22. cap. 4. n. 26. Hinc videtur protestantes non teneri ea lege ubi efformant societates et Ecclesias omnino distinctas respective ad religionem; quamvis promulgatio facta fuisset in Ecclesia catholica. Ad rem valet Bened. XIV declaratio ann. 1 41 Bullar. t. 1. n. 34. circa matrimonia Bollandiae, qua 1.° dixit haereticorum matrimonia inter se esse valida, proinde si contingat utrumque ad catholicae Ecclesiae sinum se restituere, eodem quo antea conjugali vinculo, ipsos teneri, etiamsi mutuus consensus coram Parocho catholico non renovetur; sin autem unus tantum convertatur, neutrum posse ad alias nuptias transire. 2.° Valida esse item matrimonia catholicorum cum acatholicis, quamvis illicita. 3.° Invalida matrimonia catholicorum inter se.

(a) Ita expresse respondit Pius VII in matrimonio Hieronymi Bonaparte cum puella catholica Baltimori contracto, quod etsi Napoleon irritum expetebat declarari, ei obstitit laudatus Pontifex. Vide Artaud hist. de Pie VII t. 2. p. 71.

(b) Ita pluries declaravit curia romana et speciatim Pius VI, quoad matrimonia quae perturbationis Gallicae tempore fuerunt inita; ita Card. Caprara legatus, in celebri Instruct. super revalidatione matrimonii p. 1. n. 1. Impossibile vero dicitur si non possit adiri, nisi Parochus schismaticus, aut periculosissime vel difficillime parochus vel delegatus catholicus.

fuit (1). Requiritur tamen ut sit moraliter praesens ita ut percipiat et intelligat quid agatur; et ut adsit tamquam *testis* ex officio, seu auctorizabilis, unde etiam si non sponte assistat, sufficit ut assistat tamquam testis *adhibitus*, id est ut interpelletur, et moneatur de eo, quod faciunt contrahentes (2); quamvis sit excommunicatus non toleratus, aut suspensus ab officio et beneficio, vel irregularis, vel administratione interdictus; modo actualiter non sit depositus, sed titulum et possessionem beneficii retineat (a) (3). Quantum *ad testes*, ex sacris canonibus optandum, ut sint *circumscripti*, *et omni exceptione majores* (4). Ceterum ad valorem sufficiunt qualescumque, nec in eis aliud requiritur nisi quod jure naturae poscitur, nempe ut rationis usum habeant, et intelligant, atque animadvertant, uti diximus de Pa-

---

(a) Ex licentia mere *praesumpta*, quam facile daret Parochus si peteretur, Sacerdos si assistat matrimonio, hoc esse invalidum patet; quia non assistit legali modo juxta Trid. Nec procedit ad rem regula 10. in 6. *de ratihabitione*. Aliter sentiendum *de consensu tacito* ex. gr. si parochus videat alium Sacerdotem se accingere ad assistendum matrimonio, quem cum facile posset, non impediat. Insuper quia delegatus ad universitatem causarum saltem in certo genere subdelegare potest ad actum specialem, vicarius parochi recte ad casum particularem subdelegat. Data assistendi licentia, haec expirat tum revocatione delegantis, tum morte etiam concedentis, quia ad actum unum speciale potestas delegata, re integra, cessat morte delegantis. Si mors parochi ignoretur, valide assistit ab eo delegatus, quia communis error et ignorantia sustinent valorem eorum, quae a delegato geruntur. Lugo resp. mor. l. 1. dist. 35.

(1) *Cap. 11. concl. 2. et 5. pag. 13.*
(2) *Confer Bened. XIV. de S. D. l. c. 20.*
(3) *Sanchez l. 3. D. 39. n. 9.*
(4) *Cap. 1. de Consanguin.*

rocho, quocumque modo interveniant actui. Hinc in decreto Trid. (1) expuncta sunt verba : *fide digni*, ne innumerabilium conjugiorum efficacia, redderetur ambigua (2). 4.° Deduces: eos qui clandestine contraxerunt invalide, nisi adsit periculum scandali, posse seipsos propria auctoritate separare. Inducit vero tale matrimonium publicae honestatis impedimentum usque ad quartum gradum, ex communiori sententia. Et ad hanc rem extat declaratio S. Cong. (3). 5.° Quia lex praedicta irritans matrimonia propter generale periculum vitandum, pugnat etiam cum egredientibus praecise a loco ubi Trid. receptum est, eo fine ut contrahant clandestine; communior sententia docet matrimonium sic contractum non valere: imo ita Tridentini decretum explicavit declaratio Cardinalium, approbata ab Urbano VIII (4). Validum vero dicendum si e loco, ubi Trid. receptum, se conferant aliquo ubi non est promulgatum, animo figendi domicilium, vel quasi domicilium, et probabiliter etiam negotii causa vel si unus contrahentium sit ibi incola (5) et contrahant.

(1) *De testibus matrimonii.*
(2) *Pallav. Hist. Concil. Trid. l. 22. c. 4. n. 12.*
(3) *Apud Gallemart. ad Trid. sess. XXIV. cap. 4. de reform. Matrim.*
(4) *Brev. die 14. April. 1627. quod ex autographo refert Lugo.*
(5) *Per C. 1. de sponsal. et c. fin. de form. comp.*

CONCLUSIO DECIMA

De impedimentis impotentiae et raptus quaedam breviter adferuntur.

Non impotentia generandi est impedimentum dirimens matrimonium contrahendum; sed impotentia coeundi antecedens et perpetua, jurae naturae (1): obest enim fini extrinseco matrimonii seu generationi prolis; quamvis enim ait S. Thomas (2) *actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii*, potentia tamen ad hoc est de ejus essentia: et revera, nam tradere jus saltem radicale ad usum corporis pertinet ad essentiam matrimonii ex illo Genesis (3): *erunt duo in carne una* (a).

Impotentia qua laborant ex naturali defectu *frigidi*; qui ex maleficio, *maleficiati* appellantur ut matrimonium non debet esse temporalis, quia ope medici (sine peccato tamen et vitae periculo) poterit juvari; nec ut superveniat matrimonio (b); adeo tamen ut si

---

(a) Nec interest utrum haec impotentia sit ex parte viri, vel mulieris; naturalis a vitio congenito, vel accidentalis; morbo, casu, hominum facto inducta; absoluta, scilicet ex parte viri quoad omnes foeminas, e parte foeminae quoad omnes viros; an respectiva relate ad istos conjuges, quae sola tantum dirimit matrimonium respectu eorumdem quorum est, non aliorum.

(b) Qui sunt potentes ad rem uxoriam perfectam habendam valide et licite contrahunt matrimonium, etsi steriles sive natura sua ad prolis generationem impotentes, quia usus illius habet adhuc suum finem secundarium, nempe remedium concupiscentiae, et per accidens finis primarius impeditur; sive ex accidenti steriles uti senes, moribundi etc. quia in his potentia coeundi adhuc perseverat, licet per accidens hic et nunc impedita.

(1) *C. 2. 3. 5. 6. de Frig. etc.*

(2) *In IV. dist. 34. q. u. a. 2. ad 1.*

(3) *12. 24.*

subsequatur illud ratum, et non consummatum etiam dirimat juxta DD. aliquos. Et quia matrimonium ratum nunquam solvitur, nisi vel per professionem religiosam unius conjugum; vel per Apostolicam dispensationem ad non impetrandam ejusmodi impotentia matrimonio tantum rato superveniens potest quidem esse causa sufficiens. Per se tamen et indipendenter a dispensatione, stante illa non solvitur matrimonium juxta communem sententiam, et certam juxta aliquos.

Illum qui certe scit jam ante matrimonium habuisse impotentiam perpetuam, graviter obligari constat, ut abstineat ab omni actu solis conjugibus licito, potest tamen cohabitare, ut frater et soror; modo absit periculum incontinentiae. Si vero velit, potest petere separationem auctoritate Ecclesiae faciendam, propter periculum scandali, et ne temere aliud invalidum contrahatur matrimonium a conjugibus mutuae cohabitationis pertaesis; atque dein aliud matrimonium contrahere respectu cujus non sit impotens (a). Si tamen postea detegeretur impotentiam non fuisse perpetuam etiam respectu primae conjugis, tunc ad primam teneretur redire, relicta secunda (1). In causa enim impotentiae sententia etiam lata nunquam transit in rem judicatam. Illum vero qui jam antecedenter ad matrimonium dubitaret de impotentia perpetua, non posse li-

(a) Quando uterque conjugum fatetur, vel allegat impotentiam, semper et quocumque tempore voluerint, possunt reclamare et separationem petere: si vero unus tantum allegat, alter negat, tunc statim debet allegare, si indicia impotentiae sint dubia ex c. 1. cit. loc. et juxta Glossa: ubi foemina post annum allegans impotentiam viri, dicitur non amplius audienda: licet audiri deberet, si statim post unum vel alterum mensem allegaret. Si vero indicia essent certa vel valde verisimilia tunc semper audiri deberet.

(1) *C. 5. cit. loc.*

cite contrahere matrimonium patet, ne Sacramentum periculo nullitatis exponeret. Si vero matrimonium jam fuerit contractum, potest etiam in foro interno tribus annis continuis tentare matrimonii usum (a). Quod triennium incipit ab usu prima vice tentato; si nempe jam tunc est habita plena pubertas; alias incipit a tempore plenae pubertatis (1).

Manente dubio Ss. canones praeterea decernunt 1.° si utraque pars affirmet impotentiam et sint indicia valde gravia, sed non certa, tunc uterque cum septima manu seu cum septem consanguineis cujuslibet eorum, aut in horum defectu, vicinis bonae famae, tactis sacrosantis evangeliis jurare debent, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti sint: nimirum conjuges jurant de veritate; propinqui de credulitate. His ita sequutis potest sententia pro nullitate matrimonii ferri.

Demum si indicia sint dubia, et triennium elapsum, utraque parte adhuc affirmante impotentiam, examinatur res per testes a Judice designatos, nempe per chirurgos ex parte viri, per foeminas ex parte foeminae, et tunc deciditur secundum eorum testimonia jurata; si haec fuerint diversa, et negativa praevaleant, relinquitur matrimonium in sui possessione valoris. Ita DD. et praesertim morales, quos consulere juvat de aliis quae circa hoc versantur argumentum.

Ad impotentiam reducitur aetas, qua inhabilis sit

(a) C. *laudabilem* 5. ibid. constit. Celestini III. Ast conditio ibi interjecta: *Si frigidius prius probari non possit* ostendit triennio opus non esse, quando signa impotentiae non dubia et praesumptiva, sed necessaria essent, aut verosimiliter evidentia. Saltem Judicis est tempus probationis moderari.

(1) *Ex c. 5.* communiter DD. cum Sanchez *L. 7. de Matrim. D. 110. num. 10.*

contrahens ad concubitum. Lege enim Ecclesiae irritatur matrimonium eorum, qui plenam pubertatem non sint adepti (a) nisi malitia suppleat aetatem, id est nisi natura precox vim generandi praevertat (1). Hujus rei judicium Bened. XIV Episcopo dioecesano reliquit (2).

De raptu (b) ex impedimentis dirimentibus ultimo inter numeratos, sic cautum a Concil. Trid. (3). « Decernit S. Synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum » posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto, et libero constituta, » eum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilhominus raptor ipse, ac omnes illi » consilium, auxilium, et favorem praebentes sint ipso » jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces et si clerici fuerint de » proprio gradu decidant ». His ex verbis fas est colligere 1.° raptum hunc esse violentiae sive phisice, sive moralis per minas et metum gravem *quandiu manserit ipsa in potestate viri*; non simplicis seductio-

(a) Puberes jure Romano censentur mares anno decimoquarto expleto, item foeminae decimosecundo expleto viri potentes habentur per tit. inst. *quibus modis patria potestas solvitur.*

(b) De raptu hic agitur qui contrahendi matrimonii, nec alia ex causa fit; ex.gr. libidinis exercendae; quique a legibus ponitur ac definiri posset violenta abductio foeminae honeste viventis, libidinis exercendae causa; sive violentia foeminae, sive parentibus aut aliis quorum potestati illa subest inferatur. Putant enim DD. cum Sanchez lib. 7. *de matrim. disp.* 13. *n.* 3. raptum libidinis causa, et differt proinde in quibusdam a raptu prout est impedimentum matrimonii non esse impedimentum; quoniam Trid. illud statuens curavit cavere libertati matrimonii.

(1) *C. 9.* de illis *et 14. ex de desp. impub.*

(2) *Const. 51. Bullar. t. 2.*

(3) *Sess. XXIV. de reform.*

nis, 2.° de loco in locum (a), 3.° consentiente foemina, etiam invitis parentibus et reclamantibus, raptum impedimentum non producere (b), 4.° talis abductio foeminae etsi non virginis, sed vel defloratae vel viduae, imo et meretricis ex Sanchez (1) est raptus, 5.° quod de viro rapiente foeminam decretum est, videtur pertinere etiam ad foeminam rapiente virum; sunt enim correlativa, quamvis Sanchez dissentiat (2), 6.° si rapta loco tuto extra potestatem raptoris constituta in ejus matrimonium consenserit, potest illud contrahi.

CONCLUSIO DECIMAPRIMA

Impedimenta matrimonium impedientia discutiuntur.

Sunt et aliae regulae quae personae tantum impediunt quo minus contrahant, sed contractum matrimonium non irritum dicunt. Haec impedimenta dicuntur impedientia: videlicet quae matrimonium certis personis, aut temporibus reddunt illicitum, sic tamen ut si contractum sit pro valido habendum. Jure

---

(a) Non proprie virginis sed virginitatis raptum esse abductio ab una in aliam partem domus notat Gonzalez in c. *Accedens* 7. Ex. de raptor. n. 3.

(b) Hinc si postquam de Matrimonio legitime contrahendo actum est, et sponsalia praecesserunt, mulier abducta sit, hujusmodi abductionem non esse raptum veri nominis definivit Lucius III in c. *quem caussam* 6. ex. de raptor.

Quamvis antiquitus ne consentiente quidem puella aut parentibus, nuptiae constare poterant cum raptore. Ita Constantinus in L. 9. cod. Theodos. tit. 24. Justinuanus in L. unic. c. *de rapt. virg.* Gratianus caus. 36. q. 2.

(1) *Loc. cit.*

(2) *Cit. loc. disp. 12. n. 24. et disp. cit. 13. n. 16.*

antiquo erant duodecim et praeter Catechismum (a) ac crimen, quod septem alia delicta complectitur (b), quatuor haec alia erant quae vigenti disciplina servantur his versiculis expressa

Sacratum tempus vetitum sponsalia votum
Impediunt fieri, permittunt facta teneri

Sacratum tempus seu feriatum hic dicitur illud quo solemnes celebrari nuptiae prohibentur ab Ecclesia, quod tempus etsi antiquitus magis erat extensum (1); jure Synod. Trid. diminutum fuit quae sic statuit (2). » Ab adventu D. N. J. C. usque in diem Epipha- » niae, et a feria quarta Cinerum usque in octavam » Paschatis inclusive, antiquas solemnium nuptiarum

---

(a) *Cathechismi* nomine venit quaedam cognatio spiritualis imperfecta, puta ex solemni instructione neophitis, baptismum antecedente, ac fieri solita ante postes Ecclesiae.

(b) Delicta sunt 1.° incestus a conjugato adultero admissus cum cognatis uxoris, propter quod ea defuncta *perpetuo sine spe conjugi permanebat ex c. Transmissae 4. de* eo qui cognovit etc. 2.° raptus sponsae alienae c. *statutum* 34. caus. 27. q. 2. 3.° Uxoricidium quodlibet, dumtaxat odii et vindictae causa c. *interfectores* 5. 28. q. 2. 4.° susceptio propriae sobolis facta mala fide de sacro fonte. 5.° Presbytericidium nempe assistentis matrimonio presbyteri c. 2. *de poenit. et remiss.* 6.° Poenitentia solemnis propter crimina indicta. 7.° Matrimonium cum moniale attentatum causs. 27. q. 1. omnia his versibus comprehensa, ut in cit. cap. *Qui presbyterum* de poenit. et remiss.

Incestus, raptus sponsae, mors mulieris,
Susceptus propriae prolis, mors presbyteralis.
Vel si poeniteat solemniter, aut monialem,
Accipiat, prohibent haec conjugium sociandum.

(1) *Ex 8. 10. 11. caus. 33. q. 4. et c. Cappellanus 14. de frig.*
(2) *Sess. XXIV. c. 10. de reform. Matrim.*

» prohibitiones ab omnibus observari S. Synodus » praecepit (a) ».

Sponsalia legitime contracta, modo non sint dissoluta illicitum faciunt cum altero matrimonium, etenim non licet fidem datam alicui frangere; contractum vero cum tertia persona non dirimunt, dummodo haec non sit consanguinea in primo gradu; quia fortius est nuptiarum vinculum quam sponsalium (1): verum si ipsa tertia persona moriatur, priore adhuc soluta, Sponsalium obligatio ex parte illius, qui promissis non stetit, reviviscit (2).

Votum scilicet simplex sive castitatis, sive religioni ingrediendae, sive suscipiendi S. Ordines, sive non nubendi impedit matrimonium, non dirimit (3), spectato jure etiam naturali et divino, vi cujus utique

---

(a) Hoc tempore non prohibentur 1.° sponsalia de futuro; 2.° nec fieri denuntiationes uti declaravit S. Congr. Card. 12 Decemb. 1589; 3.° non interdicitur matrimonii antea contracti consummatio ex Bened. XIV Inst. 80. n. 15. Imo si spectare velimus jus commune, nec est illicitum contrahere matrimonium; sed solemnis benedictio sponsae in domum sponsi, externa pompa, publica vanae laetitiae signa, choreae convivia prohibentur c. 8. seq. causs. 35. q. 4. c. 4. de feriis; nam ista tantum repugnant sanctitati praedictorum temporum, quidquid nonnulli de his praedicent. Verum servandus usus contrarius si fortasse sit in diversis dioecesibus, quarum consuetudo vim legis habet. Utrum vero possit Episcopus benedictionem solemnem a canonibus vetitam permittere, negare videtur laud. Pontifex citat. loc. Ceterum Trid. ipsum cit. loc. n. 11. subdit: « Si quis dixerit prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab » ethnicorum superstitione profectam, aut benedictiones aut alias caeremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit: » anathema sit ».

(1) *Cap. 15. et 12. de sponsalib.*

(2) *Zipaeus in jure nov.*

(3) *C. contulit 4. et c. Rursus 6. qui Cleric. vel voven.*

res praesertim voto promissa licite tradi alteri nequit (a).

Vetitum est: prohibitio a R. Pontifice vel ab Episcopo aut a Parocho facta nubere volentibus, ne matrimonium contrahant (b). Id locum habet praesertim cum de nupturis suspicio est, ne aliquo laborent impedimento; vel si quis contrahens rationabiliter intercedat; si timeantur scandala etc. Si non obstante hoc interdicto Ecclesiae, matrimonium contrahatur, id valet: poenitentia tamen inobedientibus imponitur (1).

Ad vetantem legem generalem referuntur matrimonia *mixta*. De his sit igitur.

(a) Communior sententia ex c. 5. *Qui cleri vel voventes* tenet: sponsalia contracta ante hujusmodi votum manere in suo valore, et votum utpote invalide ac in praejudicium alterius emissum non obligare. Attamen licet ex parte voventis non solvantur sponsalia prius inita, alteri comparti datur per hoc potestas libera ab iis resiliendi, eo quod censetur voventem sponsalibus renuntiasse, quod non vovens acceptare potest si velit.

Quoad votum religionis vero monendum, quod obligat voventem illa dissolvere ingrediendo religionem ut eruitur ex cap. 2. et 7. *de convers. conjug.* ubi habetur quod sponsalibus, et matrimonio rato insit haec tacita conditio *nisi statum religiosum elegero.*

(b) *Vetitum* Ecclesiae significare potest vel legem generalem ejus, quae prohibet matrimonium cum certis personis, cui refertur prohibitio, ne quis nubat cum excommunicato denuntiato vel cum haeretico, aut schismatico; vel mandatum speciale de non contrahendo aliquo matrimonio.

(1) *C. 1. de matrim. contracto etc.*

CONCLUSIO DECIMASECUNDA

Mixta matrimonia jure damnavit Ecclesia. Ad ipsam spectat indulgere aliquando adhibitis conditionibus illa contrahere.

Mixta connubia (a) execrarunt, ne dicam de ethnicis (1), ipsi haeretici (b) et ex ceteris Calvinianus Albertus Gentilis in Anglia Jurisconsultus, qui sic loquitur (2): « Matrimonium est divini juris communicatio; quoniam communicare debent conjuges » in verbo eodem, et iisdem Sacramentis. Est societas » divinae domus: nam eadem utrique debet esse Ecclesia; et privatae Ecclesiae domesticae, et privatarum precum communicatio, etiam et sepulchri, quod » religiosi juris est communicatio. . . . Dicam palam. » Non licet nobis commiscere conjugia cum Papistis

---

(a) Quidni ergo! nunc temporis, non sicut prius clanculum et caute malisque artibus et fallaciis; sed facta communi causa, palam matrimonia mixta tuentur, atque cogere Sacerdotes catholicos ausi sunt ad illa exiliis, deportationibus aliisque sevitiis. Sicque dum tolerantes, se jactitant, et indifferentes sunt illamismo judaismo, rationalismo; intollerantes corrumpere, atque pervertere nituntur catholicos mixtis matrimoniis, posthabitis solemnibus et conditionibus quibus Ecclesia indulget aliquando ut celebrantur. Proh Deus! nonnisi in catholicae religionis ruinam extra dubitationis aleam conspirant.

(b) Mixta connubia dicuntur quae contrahuntur a viro catholico, et muliere acatholica; ac vicissim. Nomine acatholicorum comprehenduntur aut haeretici aut schismatici, videlicet omnes qui extra unicam et veram Ecclesiam Christi sunt, aliquam sectam vel schisma sectantes; at communi baptismi ratione, christiani judicantur.

(1) Quorum documenta videre est apud Serarium *de catholicorum cum haereticis matrimonio quaest. c. 2. §. 20. et seqq.*

(2) *Lib. 2. de Nuptiis c. 19.*

» qui nobis sunt antichristiani ». Quod si ita acatholici sentiunt ne correligionarii sui converterentur ad catholicismum; maxime omnium Ecclesia Christi quae arctiorem vitae disciplinam fidelibus praecipit, matrimonia mixta prohibere atque interdicere jure debuit ut monet Benedictus XIV (1) *tum ob flagitiosam communionem in rebus sacris*; *tum ob periculum subversionis catholici conjugis*, *pravamque nasciturae sobolis institutionem* (a).

Et revera prohibita sunt haec matrimonia conciliis plurimis et praecipue Chalcedonensi (2) (b), nec non perpetua traditione PP. et RR. Pontificum canonicis sanctionibus ad regnantem usque adhuc Greg. XVI, quem Deus sospitet (c). Haec autem lex impediens mixta matrimonia congruere patet ordinationibus Dei, qui-

---

(a) Sermo haeretici propter intimam atque perpetuam quae ex conjugio nascitur societatem, in animam facilius serpit et admittitur, eo vel maxime quod commodiorem hujus vitae rationem offert: *Quis dubitat*, ait Tertullianus (*lib.* ad uxorem *c. 3.*) *obliterari quotidie fidem commercio infideli?* Adde quod pars haeretica liberos sibi eripi aegre patitur; et ipsi filii plerumque malos parentum mores emulantur, atque perraro contingere ut ab errore quem nutricis lacte imbiberint ad veritatem revocentur; ne dicam denique de rixis facillime inter conjuges orituris, et quidem acrioribus et diuturnioribus ubi de religione agitur.

(b) Prohibuit quidem, at irrita non declaravit. Sicut enim ipse Deus qui ea prohibuit, nullibi tamen ita ea vetat, ut velit nec invalida haberi; ita nec voluit Ecclesia, quae nec uno canone a se invicem divelli jussit conjuges a quibus contrahuntur.

(c) Confer praeclariss. P. Perrone Societatis Jesu vol. 8. c. 4. *de matrimoniis mixtis* prop. 1. et seqq. qui fuse et erudite hoc pertractat argum.

(1) *Const.* Magnae nobis *ann. 1748. ad Episcop. Polon.*

(2) *Act. 15. c. 14.*

bus non solum ut nemo salutis periculum ingrediatur dixit (1) *Qui amat periculum in illo peribit*; sed in specie Haebreis conjugia cum infidelibus prohibuit eadem ratione, ac cum acatholicis interdicenda videntur, nimirum ob periculum subversionis; nam subdit (2): *quia seducet filium suum ne sequatur me*: in novo testamento autem per Apostolum ordinavit (3) *Haereticum hominem. . . . devita*: et ut in connubiis praecipue hoc servaretur, de his regulam dedit fidelibus dicens (4). *Cui vult nubat tantum in Domino*, id est in vera Ecclesia Domino probante nuptiale foedus.

Extra interim dubitationis aleam positum est, illud periculum quod inest matrimoniis mixtis ejusmodi non esse, ut absolute averti ac removeri non possit. Sed eo ipso exploratum est, quod sola legitima potestas, nempe Rom. Pontifex, uti supremum Ecclesiae caput, jure dispenset, stante justa causa, ut licite iniri possint haec conjugia (a). Ad quem etiam spectat decernere quando, et quousque illud periculum immineat, nec non media ad idem amovendum idonea praescribere, atque inde dispensare in lege ejusdem Ecclesiae. Pontificiae ergo, ait Bened. XIV, auctoritati injuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse

---

(a) Pontius (in Appendice de matrimonio catholici cum haeretico) adductis auctoritatibus Bellarmini l. *de matrim.* c. 2. prop. 4. Estii in 1. Cor. 7. aliorumque concludit. « Insuper ut uno verbo » dicam nullum legi ex his qui scripta evulgarunt, qui diceret ita » illicitum matrimonium catholici, cum haeretica, ut in nullo casu » contrahi posset sine peccato etiam conjuge perseverante infideli».

(1) *Eccl. 3. 27.*

(2) *Deutor. 7. 3.*

(3) *Ad Tit. 13. 10.*

(4) *1. Cor. 7. 39.*

contendunt, ut matrimonia inter partes alteram catholicam, et alteram haereticam licite contrahantur (a).

Hoc jure revera usi sunt Pontifices, exempla sectantes scripturarum (b); quo, ne dicam de aliis, in Germania praesertim et in Hollandia, aut per se, aut facta Episcopis potestate concesserunt, ut mixta matrimonia licite inirentur (c), dummodo conditiones in his servarentur ab ipsis praescriptae (d).

(a) Quapropter si adhuc posita dispensatione periculum perseveret perversionis, nequaquam liceret conjugium iniri; quia naturalis vigeret obligatio, quae sub Pontificis potestate non est, nam haec in lege tantum Ecclesiae dispensat. Quod verificatur tantum cum non omnia adjuncta Pontifici patefacta sint.

(b) Equidem Dei permissu, ac proinde licite inita fuere matrimonia a Judaeis cum infidelibus ut jam vidimus cum sermo fuit de impedimento cultus disparitatis pag. 302. concl. 5. Nec in novo testamento desunt exempla catholicorum conjunctorum matrimonio cum infidelibus, ex. gr. ex S. Luca Eunicem matrem Timothei fidelem quam laudat Paulus, virum habuisse constat infidelem. (Act. 16. 2. et Timot. c. 5.) Sanctam Clotildim nupsisse scimus Clodovaeo ad fidem nondum converso etc.

(c) Prae omnibus exemplo sit dispensatio a Clem. VIII data ann. 1602. Duci Barensi Catholico, ut duceret uxorem Catherinam Henrici IV Francorum Regis sororem, calvinianam sectam profitentem: item illa Urbani VIII ann. 1625 qua concessit Henriciae Ludovici XIII sorori catholicae, ut Carolo I Anglorum Regi Lutherano nuberet; aliaeque ab aliis passim Pontificibus concessae praesertim post habitam sub laudato Clem. VIII Congregationem Cardinalium in qua variis exemplis probatum fuit, similes antea concessas esse a Greg. XIII, promovente S. Carolo Boromeo. Nec praetereundum ducimus emolomentum Ecclesiae ex his dispensationibus obventum, ipsa experientia teste tum alibi, tum in foederatis Provinciis Americae Septentrionalis, et in Anglia.

(d) Quae sunt praesertim 1.° ut conjux promitteret, se effecturam quantum in se erit, ut futurus maritus ad religionem catholicam nimirum convertatur et vicissim; 2.° ut universa proles in religione catholica instituatur. Vide const. Bened. XIV *Magnae nobis* quam ann. 1748 ad Episcopos Polonos scripsit, ad

Qui interim moliuntur ruinam catholicae Religionis, illis conditionibus offensi, in Germania et in Borussia maxime omnium, multas concitarunt difficultates: ibique gubernium civile edicto ann. 1803 statuebat, ut filii in ea educarentur Religione quam profitebatur Pater, et ne qua promissio opposita expeteretur, vetabat. Pius VIII, post multos tractatus edidit ann. 1830 Breve *Litteris altero* (1): quo Episcopis et Parochis regula praescribit, ut fideles nimirum deterreant ab his matrimoniis sacros despicientes canones, quod si coacti sint assistere, passive se gerant, modo nullum adsit impedimentum, et abstineant se ab ullo actu, quo ea approbare censeretur.

Per eas literas, ait Gregorius XVI feliciter regnans S. Sedis *suam eo usque indulgentiam protulerat, ut verissime dici queat illos attigisse limites quos praetergredi nefas est* (2). At illud Pii VIII Breve, gubernium Borussicum publi-

---

quam solet Curia R. se remittere. Ex qua 3.° gravissima etiam et urgentissima causa exigitur; eaque ad publicum bonum pertinens, 4.° ne his matrimoniis benedictio nuptialis impendatur ex laud. Bened. XIV lib. VI. c. 4; *de Synod. D.* et juxta const. Clement. VIII; 5.° expresse a S. Sede requiritur ut extra Ecclesiam absque ulla solemnitate contrahatur matrimonium, ita ut Sacerdos postquam exceperit consensum partium coram testibus, servata forma a Trid. praescripta, ne haec quidem verba addat *Ego conjungo vos in matrimonium.* Confer rescript. Pii VII ad Cardinalem Mecliniensem apud Moser op. *de imped. matrim.* Mechli 1834, et instructionem S. Congr. Card. Concil. Trid. interpretum circa matrimonia mixta die 15 Junii 1793 emissam, a Pio VI approbatam 19 ejusdem mensis, ac ad Pastores Ducatus Clisis missam.

(1) *Vide Amì de la Religion t. 84. p. 428.*

(2) *Allocut. 1. Decemb. 1837. Confer* Esposizione di fatto documentata su quanto ha preceduto e seguito la deportazione di Monsignor Droste Arciv. di Colonia.

ci juris non fecit: imo curavit ut a pluribus Episcopis fieret conventio 10 Julii 1834; eo praesertim fine ut *assistentia passiva* juxta Breve nunquam locum haberet, *fierent vero omnes ritus consueti, licet non praecessisset promissio requisita de liberis catholice educandis*. Conformis conventioni *instructio* inde exarata fuit, quam iidem Episcopi ad vicarios direxerunt suos, ut haec teneretur a Sacerdotibus agendi norma (a). At conventioni adversatus fuit circa ann. 1837. Archiepiscopus Coloniensis D. Droste de Vischering, qui utpote contrariam praedicto Pii VIII Brevi noluit illam observare (b). Quapropter gubernium Borussicum eum expulit, et captivum fecit atque, quasi Sedes vacasset, capitulo jussit eligi vicarium qui administraret, sacros offendens canones; moxque ad alios Episcopos se vertens, et illos persequi non destitit.

Non sine animi sui maxima molestia ipse Greg. XIV haec novit et in cit. alloc. declaravit se reprobare praxim in matrimoniis mixtis introductam contra genuinum sensum Brevis Pii VIII (1).

(a) Verba quibus usus est in allocut. cit. Greg. XVI feliciter regnans juvat heic describere. « Quis porro inquit futurum putaret, ut Pontificia isthaec declaratio (Pii VIII) indulgentissima licet et semel atque iterum per regium in urbe oratorem accepta, eo sensu adhiberetur qui inconcussa catholicae Ecclesiae principia perverteret, et hujus Sedis Apostolicae menti penitus repugnaret? »

(b) Conventio et instructio illa ab ephemeride Ascaffenburgensi ann. 1833 n. 125 publicata fuit. Ibique iidem Episcopi qui ei subscripserunt declararunt n. 150 hoc documentum *opus perfidum esse cujusdam calumniatoris*.

MONITUM.

De militum matrimonio jam diximus concl. 3. cap. 1. pag. 19. Illud tamen militaribus ordinationibus interdictum manet, nisi sub

(1) Vide cit. collect. *Ami de la Religion tom. 100*.

CAPUT XVIII.

DE DISPENSATIONIBUS IN IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

Jus mutandi ac dispensandi leges, connexum est cum illo easdem ferendi. Hinc Ecclesiae potestas est dispensandi matrimonii impedimenta, quia haec statuere ei tantum convenit. Hujus potestatis usus difficilis primordiis saeculorum fuit; non enim a canonibus suis, nisi raro recedebat Ecclesia ipsa (1): et primus qui dispensavit in iis fuit Innocent. III ann. 1598 Religionis bono (2). Deinde, frequens fuit, et adeo ut Trid. matrimonia attentantes in gradu prohibito, dispensatione non obtenta, gravi poena plectit. Quae autem praxim spectant dispensandi, nostrum hic est interpretari seqq. concl. (a).

---

datis conditionibus celebretur. Decreto 17 Martii 1825 sic cautum fuit. « Si può chieder permesso per matrimonio da Maggiore in sopra, facendo costare la condizione e la moralità della Sposa, ma i Capitani ed Uffiziali subalterni non possono passare a nozze se non quando abbiano dimostrato e provato al Ministro Segretario di Stato di guerra e marina un imponibile non minore di duc. 240 annui, netta di affezioni ipotecarie, ed una dote di ugual valore e colla stessa condizione, cioè libera d'ipoteche. I trasgressori e chiunque conviverà con donna, saranno destituti, ed i loro Superiori, che nel termine di sei mesi non facessero conoscere questa trasgressione lo saranno egualmente ».

Quoad dotem alio decreto die 13 Aprilis 1828 dictum fuit « la dote sarà sufficiente, se la rendita annuale fosse di soli ducati ducento.

(a) Vide quae diximus altero volum. Cap. III. de praerogativis Rom. Pont. concl. 4. pag. 27.

(1) *Vide Van Espen jus Eccl. univ. tom. 2. p. 2. sect. 1. tit. 14. edit Neap.*

(2) *Van Espen loc. cit.*

CONCLUSIO PRIMA

Quis dispenset in impedimentis dirimentibus exponitur, et quibus Romae impetrari possit dispensatio designantur.

Quoad usum et praxim distinctis prius dispensationibus quae sunt super impedimentis ad matrimonium contrahendum, vel ad remanendum in matrimonio jam contracto : item super impedimentis juris naturae per se, et juris Ecclesiastici: demum super iisdem vel dirimentibus vel impedientibus, dicimus. 1.° In impedimentis dirimentibus jure naturae per se solus Deus dispensat, ex ratione qua inferior in lege superioris nihil potest nec tamen ullibi constat a Deo Pontifici concessam hanc potestatem. Verum in ejusdem juris naturae impedimentis dummodo sint tantum impedientia matrimonia regulariter et ex justa causa dispensat solus Pontifex ex. gr. sponsalia, votum perfectae et perpetuae castitatis, et religionis ingrediendae; quod constat etiam ex praxi ac traditione Ecclesiae (a). 2.° Haec impedimenta impedientia si juris ecclesiastici sint, dispensat Episopus, Vicarius generalis, et sede vacante, e-

(a) Ex justa causa quae etsi in omnibus dispensationibus est necessaria, tamen dum Superior dispensat in lege sua requiritur ut sit licita; si Papa dispenset in lege divina vel naturali, illa etiam opus habet ut sit validum quod dispensat. Causa vero dispensandi in sponsalibus ubi alicui quaesitum sit jus, fere debet esse publica ex. gr. gravia incommoda quae timerentur ex matrimonio etc. In voto dictae castitatis, valde magnum incontinentiae periculum; majus bonum communitatis quod ex nuptiis speratur etc. Nec mirum quod dispenset Papa votum illud, quod jure naturae impedit matrimonium, quin possit dispensare impedimenta alia juris naturae dirimentia; nam votum est effectus legis, quam ho-

tiam Capitulum (1) uti antea dictum fuit (a). 3.° In impedimentis dirimentibus juris ecclesiastici matrimonium contrahendum regulariter dispensat solus R. Pontifex cum sit dominus ejus, quod vim suam mutuat a voluntate legislatoris. Inferior autem ei nisi expresse, vel tacite sit ipsi concessum non potest (b). In casu extraordinario concurrentibus nimirum aliquibus circumstantiis, potest etiam Episcopus dispensare (c), si de matrimonio jam con-

---

mo sibi libere imponit, et voluntate sua, super quam Pontifex potestatem habet. Hinc dispensando directe tollit illam legem hominis; indirecte tantum et consequenter tollit legem naturalem, et divinam; proindeque hoc jus exercendo, non illud offendit naturae et divinum: sicut esset si in aliis dirimentibus impedimentis juris naturae dispensaret. Confer D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. ad 4.

(a) Excipitur 1.° si Pontifex specialiter aliquod matrimonium interdicat; 2.° impedimentum sponsalium priorum; nam agitur tunc de jure jam sponsae quaesito, quod dispensat tantum Pontifex ex urgenti causa ex. gr. ob bonum publicum; 3.° votum perpetuae castitatis et ingrediendi religionem, utpote Pontifici reservatum.

(b) In quibusdam tamen nunquam dispensat, scilicet in secundo gradu, nisi inter magnos principes et ob publicam causam. Item si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere praesumserit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat. Idque eo magis si etiam consummare ausus illud fuerit. Difficillime autem dispensat in conjugicidio publico: in impedimento cultus disparis, in primo gradu affinitatis praesertim et in secundo mixto, ac consanguinitatis vel affinitatis primo juxta monitum Greg. XVI sub die 22 Novembris 1836. In aliis demum saepe et facile ut in tertio vel quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis aut publicae honestatis etc. item quando matrimonium in faciem Ecclesiae cum impedimento fuit jam contractum.

(c) Casus extraordinarius habetur dum concurrunt haec adjuncta. 1.° Si impedimentum sit occultum, nec periculum adsit, ut pu-

(1) *Ex c. de eo qui cognovit, et ex generali consuetudine.*

tracto agatur: hic universim pro foro interno in jure ecclesiastico dispensat, si id exigat bonum animarum. Quod quidem habetur ex praxi et consuetudine quam scit Roma nec tamen improbat (a). Demum in matrimonio contrahendo, ubi *omnibus ad nuptias paratis*, detegatur impedimentum occultum, adsitque simul urgentissima ratio non differendi, communi ferme sententia Theologorum Episcopus potest dispensare. At si de casibus publicis, dissentiunt illi; pro affirmante parte sunt DD. praesertim Gallicani, qui inde colligunt, in mortis periculo proximo, cum eis qui tali inopia premuntur, ut ne dispensationem quidem petere possint in forma pauperum, aut in simili angustia versantur, posse etiam Episcopum dispensare. At contra eos ait Bened. XIV (1). « Fere communi calculo hanc potestatem denegant Episcopo dispensandi saltem in matrimonii impedimentis publicis. Quinimo sacrae urbis Congregationes, concilii videlicet ac supremae inquisitionis, non semel praescripserunt, tamquam falsam et temerariam, propositionem asserentem Episcopi jus dispensandi super impedimento dirimente publico, quod obsistat matrimonio contrahendo, etiamsi gravis urgeat illud contrahendi necessitas ». Vide S. Liguori (2).

---

blicetur, et in quo alius solet dispensari. 2.° Si periculum sit in mora, seu adsit gravis causa ex. gr. grave periculum scandali, damni, incontinentiae etc. et simul sit difficilis recursus ad Pontificem. 3.° Si matrimonium jam sit contractum, et quidem cum bona fide saltem ex una parte, cum denuntiationibus, vel earum dispensatione.

(a) De dispensationibus quas concedere valent Episcopi jure ordinario, vide quae diximus vol. altero c. X. concl. 7. p. 413. Ex illis quae circa matrimonium potestas sit illis dispensandi colligere fas

(1) *De Synod. l. 9. c. 11. n. 5.*

(2) *Ibid. l. 6. n. 22.*

Summus Pontifex duplex habet Romae erectum Tribunal pro concedendis dispensationibus. Primum est *Sacra Poenitentiaria qua dispensat pro foro interno tantum, et in impedimentis solum occultis* (a) *tam ad contrahendum, quam ad permanendum in contracto aliquibus exceptis* (b).

---

erit; quamvis plura sint quae circa hoc argumentum controvertuntur inter DD. Heic nostrum est tantum addere quid possit Episcopus in dubiis casibus, maxime si sint tales facto. In his quamvis non desint, qui affirment maxime inter Gallicanos DD. posse Episcopos dispensare sive juris sit, sive facti dubium: attamen probabilius, ne dicam communiter, tenent DD. oppositum, si agatur de dubio juris, et maxime ubi valor Sacramenti periclitatur, ut in matrimonio: ita Bened. XIV de Synod. l. 9. c. 11. n. 14. Non item in dubio facti; nam plures sunt, quibus videntur nolle Pontifices in eo fieri recursum ad eum.

(a) Occultum impedimentum habetur, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem, vel octo ex Bened. XIV *Notif. 87. n. 45.* hinc excipi debet, si prudens adsit periculum, quod res sit aliis manifestanda vel ad forum externum deferenda. Ex eod. Bened. XIV *cit. loc. n. 42.* occultum etiam habetur si factum sit publicum, at ignoratur impedimentum exoriri ex facto ex. gr. scitur copula, nescitur vero ex copula impedimentum oriri affinitatis.

(b) Puta impedimentum consanguinitatis, affinitatis ex copula licita, et cognationis spiritualis ad contrahendum matrimonium. Post contractum non potest dispensare in gradibus primo, et secundo, seu secundo tantum consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita etiam in occultis; attamen concurrentibus conditionibus nempe, ut impedimentum per decennium saltem duraverit occultum; ut oratores simul publice contraxerint et convixerint, et uti conjuges reputati fuerint, potest dispensare in secundo tantum gradu tam consanguinitatis quam affinitatis. Si vero impedimentum est publicum, potest dispensare in tertio gradu consanguinitatis, quando obtenta dispensatio fuerit *obreptitia*, vel *subreptitia*; modo falsitas non fuerit in narratione copulae, quae revera non intercesserit. In tertio, et quarto gradu, quando impedimentum est occultum, potest revalidare matrimonium. In matrimoniis tam contractis quam contrahendis in foro conscientiae dispensat in impedimento affinitatis ex copula illicita, licet periculum scandali non

Ab hoc tribunali dispensatio petitur non exprimendo vera nomina dispensandorum, sed fiet ex. gr. *Titius*, *Berta*, aut per literas A. B. C. etc. neque ullae petuntur vel solventur expensae, aut taxa. Altera Dataria quae etiam Officium *minoris gratiae* dicitur, ad quam pertinet etiam *Cancellaria* et *Praefectura Brevium*. Ab illa dispensatur *pro foro externo*, et vera dispensandorum nomina sunt exprimenda (a), et expensae cum taxa pecuniaria solvendae, nisi expediatur dispensatio in *forma pauperum*. Hoc Tribunal expresse declaravit pro dispensationibus matrimonialibus *non recipi attestationes nisi Episcopi* (b). Nonnunquam tamen ad Inquisitionem

---

immineret, sed stante rationabili causa. Insuper in impedimento criminis occulto ex adulterio cum fide matrimonii, sive contractum sit, sive contrahendum matrimonium. Quod si crimen est de homicidio, raro dispensat. Ita Bened. XIV in Bulla *Pastor bonus*, die 13 Aprilis 1744. Demum a S. Poenitentiaria pauperes pro matrimonio contrahendo dispensationes possunt obtinere, quae alias a Dataria essent expediendae, ex vivae vocis oraculo Pii VII. Cardinale Castelionio Poenitentiario, qui postea fuit Pius VIII. Obtenta dispensatione in foro conscientiae, si postea detegitur, et declaratur impedimentum, impetranda est dispensatio in foro externo, et per judicem separandi sunt conjuges, donec obtineant illam.

(a) Si nomen verum ex industria tacetur, aut dissimulatur ab Oratore, qui timet ne sub hoc nomine gratia ipsis denegetur; sic obtenta dispensatio erit *subreptitia*: at si per errorem illius, qui supplicationem scripsit aut officiariorum Curiae Rom. aliud inseratur nomen, valebit dispensatio, modo constet S. Pontificem voluisse vere hanc gratiam oratrici personae, non alteri concedere. Ita Sanchez cum aliis.

(b) *In forma pauperum* qui obtinere volunt dispensationem, debent 1.° esse *pauperes*, id est, tales, qui ultra sustentationem suo statui convenientem, non habent, ex quo compositionem sive jura Officialium Curiae Rom. solvant; 2.° debent simul esse *miserabiles* ita, ut proprio labore et industria tantum vivant juxta Corrad.

recurrendum est, ubi nempe de matrimonio catholici agitur cum haeretica (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Causae dispensationum matrimonialium declarantur.

Causae pro relaxandis impedimentis aliae sunt infamantes, honestae aliae: quae omnes ad has ferme reduci possunt. 1.° Copula carnalis praecedens, et propalata. 2.° Infamia mulieris ob suspectam conversationem cum Oratore agnato. 3.° Angustiae loci; durum enim est praesertim foeminae, deserere locum originis, aut domicilii, aut cogi ad contrahendum cum impari, aut sibi non apto. 4.° Incompetentia, et defectus dotis. 5.° Extinctio litis, vel assistentia in lite super successionem bonorum. 6.° Ætas Oratricis vigesimum quartum annum excedens. 7.° Habitatio ad litus maris, vel inter haereticos. 8.° Compositio inimicitiarum. 9.° Confirmatio pacis. 10.° Multitudo filiorum oratricis viduae. 11.° Spes conversionis ad Religionem. 12.° Conservatio familiae, vel bonorum

---

et alios; nam Pontifex haec sensu copulativo requirit. Modum probandi paupertatem videre est praesertim apud La Croix L. 6. p. 3. n. 861. At ex experientia constat Romam acquiescere, modo testimonium adsit ordinarii de paupertate, cui potest addi illud Parochi.

(a) Quoad dispensationem obtinendam non requiritur consensus ejus, cui prodest, quamvis ab eo postea acceptanda, ut possit ipsa uti. Ita Sanchez. Quando item impedimentum afficit utrumque sponsum, pro uno sufficit petere dispensationem.

in familia. 13.° Excellentia meritorum. 14.° Praerogativa dignitatis (a).

Quandonam autem vera sit, oportet, causa, colligi debet ex principiis, quae in tractatu de legibus exponuntur. Et 1.° DD. communius docent non requiri, ut eo ipso tempore, quo petitur dispensatio, vera sit causa. 2.° Plures etiam negant requiri, ut preces veritate nitantur eo momento, quo Pontifex dirigit mandatum ad Commissarium Apostolicum; quia eo tempore proprie non conceditur dispensatio. Sed probabilius alii affirmant; nam Pontifex inducitur ad illud dandum ex causis tunc allegatis. 3.° Eo tempore causa vera sit, oportet, quo Commissarius Apostolicus mandatum exequitur, et dispensationem concedit. 4.° Si prolata sententia, causa desinat esse vera, communius et probabilius sublatum esse impedimentum tenent: negant tamen alii, quia cessante causa, cessat effectus. De his consule Sanchez (1).

Quoad *formam* sit

CONCLUSIO TERTIA

Multa huc faciunt, quae referuntur ad formam dispensationum.

Ex Dataria, aut ex Poenitentiaria forma dispensationis est *Commissoria*, qua nempe facultas committi-

---

(a) Quandoque dicuntur *sine causa* concessae dispensationes quando scilicet nulla ex his causis intrinseca matrimonio allegatur, et ob id dicuntur dispensationes *sine causa*, et ideo executor non debet in eam inquirere: non quod tunc deest causa, sed ipsa eleemosyna a contrahentibus praestanda causae locum tenet.

(1) *Lib. 8, disput. 30, et S. Lig. cit. loc.*

tur sub certis conditionibus ab executoribus literarum diligentissime perficiendis.

Commissarius, cui ex Dataria solet mandari executio dispensationis, est Ordinarius, quo nomine venit etiam Vicarius generalis, quem literae R. vocant Officialem, nunquam expresso nomine Episcopi, aut Vicarii, ut dispensandi facultas censeatur commissa dignitati, et officio, non personae (a). At si litterae sint inscriptae officiali, hic mortuo Episcopo executionem dare illis non potest: sed DD. Ultramontani contrarium tenent. Sede episcopali vacante, si petitur dispensatio, haec committitur vicino Episcopo, aut ejus vicario (1). Si oratores sint diversae dioecesis, litterae mittuntur ad ordinarium oratricis.

Officialis debet attendere tenorem literarum, et praevia informatione capta de veritate precum et causae, jussa facere. Si informatio non praecedat sententiam Officialis, dispensatio est nulla juxta plu-

---

(a) Officiali diriguntur illae dispensationes, in quibus agitur de impedimentis, quae ad forum contentiosum natura sua pertinent. Committitur ei ut 1.° *de praemissis diligenter informet*; 2.° *Si preces veritate nitantur, auctoritate Apostolica dispenset.* Si inter contrahentes intercesserit copula, idque in supplicatione expressum fuerit, ipsi Officiali committitur, etiam ut imposita poenitentia, ipsos a censuris absolvat. At si officialis sit absens, aut impeditus, ex praxi Dioecesum admittitur etiam vices ejus gerens. Imo ex pluribus DD. Episcopi possunt constituere ad dispensationem exequendam aliquem ad hoc specialiter *Officialem*. Utrum vero valeat Episcopus seipsum designare ut *Officialem ad hoc*, vel etiam ut *vices gerentem*, dubium est. At Sanchez cum multis aliis negat.

Si vero post obtentam dispensationem moriatur Episcopus, num Vicarius capitularis possit exequi rescriptum, non levis est difficultas quod plures negant, ut videre est apud Bened. XIV (*de S. D. l. II. c. 9. n. 5.*).

(1) Confer Bened. XIV cit. loc.

res DD. Sanchez idem sentit, dummodo dispensaret Officialis ignarus veritatis, etiamsi nulla esset falsitas (1). Contrarium tenent alii (a).

(a) Objecta informationis sunt 1.° natura impedimentorum. 2.° Immunitas a quolibet alio impedimento, et praesertim *libertas nupturae*. 3.° Causae dispensationis veritas. Quod si nullam contineat causam rescriptum ; sed datur *ex certis causis animum nostrum moventibus*, de his non debet Judex inquirere, ait Sanchez, *l. 8. disput. 33. n. 24.* 4.° Fortuna contrahentium : praecipue si *in forma pauperum* fuerit dispensatio. At paupertas et miserabilitas utriusque comprobanda est juxta ea, quae de his dicemus postea. 5.° Quando motiva adsint suspicandi de commercio illicito inter conjuges, interrogandi sunt nupturi utrum illud habuerint; et qua intentione ; an ante, vel post preces missas ; an inceptum ante preces, iteratum postea fuit. Quod si detegatur aliquod essentiale vitium, ex. gr. reticentia commercii illiciti inter nupturos, non potest Officialis literas dispensatorias exequi, quin eae fuerint prius revalidatae per alias literas, quae dicuntur *perinde valere*, de quibus infra.

Forma informationis ab officiali faciendae (quae debet *esse aliquo modo juridica* juxta sententiam communiorem) non est eadem ac illa, quae Confessario committitur: haec enim occulta esse debet et sequitur leges fori interni. Officialis interim quia formam aliquo modo judicialem sequi debet, non tenetur ad formam judicii stricti, sed sufficit, ut extrajudicialiter informationem capiat. Hinc solet nunc tantum exigere juramentum a nupturis, et testibus, qui pertinentes ad familiam, nec recusantur ; imo saepe praeferri possunt, ut qui melius omnia cognoscere possunt. Uniuscujusque nomen, aetas, qualitas, et domicilium describantur, singulatim interrogentur, depositionemque subscribent. Informatione capta, et aliquibus ex iis omissis non ideo nutaret valor dispensationis; nam *conscientiae officialis* illa commendatur ; proindeque non adstringi necessario censetur alicui formae.

(1) *L. 8. disput. 34.*

CONCLUSIO QUARTA

Quid exprimendum in precibus dispensationis, exponitur.

Omnes circumstantias facti exprimendas esse simul, et causas exponendas patet ex regulis generalibus ad gratias obtinendas, ita ut nec subreptione nec obreptione preces laborent (a). Hic tamen, quae speciatim juxta stylum Curiae Rom. exprimenda sunt super aliquo impedimento matrimonii, juvat exponere.

Et 1.° quoad matrimonium contrahendum *natura impedimenti* declaretur opus est, ita ut non tantum in genere sed illud nominatim exprimendum sit; item notandum, si peculiare quod sit jus, ostendatur, opus esse, nec majus pro minore impedimentum expositum, sed diversae speciei, invalidam reddere dispensationem, quia hac in re non valet argumentum a minori ad majus. Ita Pyrrhus Corradus (1). Non ita tamen si unum impedimentum, alterum includat. 2.° *Si plura* sint impedimenta, haec in eodem supplici libello aperienda sunt. Ita DD. communiter contra Navarrum. At si impedimentum alterum sit publicum, occultum alterum, illud tantum ad Datariam exponitur, simulque tamen alia supplicatio dirigenda est ad Poenitentiariam, in qua alterum occultum impedimentum exprimatur, et declaretur opus est impedimentum etiam publicum, pro quo supplicatio Datariae oblata jam fuit.

(a) Quamvis Pontifex in jure mere ecclesiastico valide sine causa dispensare possit, nunquam tamen id facit: inferior vero ne valide quidem dispensat, uti diximus, cum de hoc argumento egimus altero vol. Hinc si causa finalis non subsistit, dispensatio est nulla et invalida.

(1) *L. 1. c. 5.*

3.° Si *cognationis naturalis* sit impedimentum, exprimatur in qua linea et in quo gradu: an impedimentum ex duplici capite proveniat, nec ne. Cum autem saepe una persona sit in gradu propinquiore, altera in remotiore, exprimendus est gradus propinquior; qui tamen si non exprimeretur, laederetur quidem stylus, at valida esset dispensatio, nisi forte de *primo* gradu agatur, in quo S. Pontifex nunquam dispensare intendit, ut expresse Bened. XIV indicat (1). Imo exponendus quis sexus sit in gradu proximiore, quia nonnunquam difficilius obtinetur dispensatio, si mulier sit stipiti propinquior. 4.° *In affinitate* ea omnia, quae de cognatione naturali dicta sunt, similiter servari debent; ex gradibus enim cognationis computatur. Insuper num ex copula licita, an ex illicita orta sit, declarari debet. Imo quando in Curia fit mentio affinitatis, intelligitur semper copula licita. 5.° *De honestate publica* exponendum, utrum ex sponsalibus, utrum ex matrimonio rato proveniat, et in quo gradu sint, qui matrimonium contrahere volunt. 6.° Circa *cognationem spiritualem* exprimendam an sit tantum compaternitas, an ex una parte paternitas spiritualis, ex alia filiatio: praeterea an sit duplex ea cognatio, puta si quis eam per baptismum contraxerit, et per confirmationem; vel si quis susceperit e sacro fonte filios illius, qui suos suscepit filios. 7.° Si agatur de *crimine*, exponendum, an uterque esset conjugatus, an adfuerit conjugicidium solum, an solum adulterium, an utrumque, dein an crimen publicum, necne sit; an fuerit ex machinatione conjugis vel cum conspiratione, vel cum adulterio; an ex adulterio sine machinatione conjugis, sed cum promissione, vel attentatione matrimonii, vel

(1) *Const.* Etsi matrimoniales.

simul ex utroque. 8.° Quoties *incestus* inter nupturos intercessit, seu copula cum consanguinea, hic exprimendus est (a) ex stylo curiae, qui facit jus (1), et ex pluribus declarationibus S. Congr. (2), imo ex Bulla Bened. XIV (b). Verum si publice notum sit, in supplicatione Datariae, si autem sit occultum, S. Poenitentiariae id exprimendum est. Si commercium illud locum habuerit ex intentione facilius obtinendae dispensationis, et commercium fuerit publicum, intentio vero occulta, haec fideliter aperiantur Poenitentiariae. Harum circumstantiarum reticentia verosimilius obreptitiam reddit dispensationem. Si forte bona fide et ignoranter commercium illicitum habuerint, quippe prius matrimonio ob vitium ab ipsis ignoratum invalido erant conjuncti, id exprimatur. Itemque dicendum, si cognationem ignoraverint. At quoties commercium illicitum locum habuit ante missas preces, nequaquam necessarium ex-

---

(a) Ex Corrado non tantum a consanguineis dispensationem petentibus et ab affinibus uti omnes tenent, sed a cognatis spiritualibus et honestatis publicae impedimento irretitis: quia incestus etiam dicitur commercium horum illicitum, qui sic devinciuntur.

(b) Incipit illa, *Pastor bonus*, ubi §. 41. statuitur, quod oratores, qui obtinuerunt dispensationem super gradu prohibito cum reticentia copulae, debent recurrere ad majorem Poenitentiarium qui potest, si copula sit adhuc secreta, reconvalidationem in foro conscientiae tantum concedere, facta, quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione 50 ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, nisi prius in forma pauperum gratia expedita fuisset.

(1) *Ex c. Quam gravi de crim.*

(2) *Confer Corradum l. 8. c. 1. n. 37.*

primere id videtur (a). 9.° *Status fortunae* exponendus, quoties de impedimento publico ad datariam recurritur (b). Gratis dispensatio tamen conceditur ab ea oratoribus in extrema paupertate degentibus. Si vero sint pauperes, qui nempe ex labore et industria vivunt, tunc *in forma pauperum* conceditur. (c) Et quidem ex responsis Curiae Rom. « non denegari patet, » etiamsi oratores bona in capitali possideant valoris » trecentorum ducatorum auri de camera, dummodo » ultra montes degant ». Demum si fere sint pauperes, moderata exigitur componenda (d). Obreptitia habenda est dispensatio, si ob fraudem contrahentium

---

(a) Observandum quod si commercium illud incipiat post missas preces usque ad executionem seu fulminationem dispensationis, irrita fieret dispensatio, nisi per literas *perinde valere* validetur ex stylo C. R. Si coeptum ante preces, postea iteretur, distinguunt DD. si dentur literae in forma pauperum, volunt eas irritari; si dentur in forma consueta, alii volunt non irritari; alii omnino dicunt non admitti has distinctiones in C. R. Si post dispensationis executionem incipiatur, aut iteretur commercium, jam sublatum impedimentum, nec tale commercium reputatur incestus.

(b) Solvuntur expensae in C. R. pro aliquibus dispensationibus, et in illis praecipue numerantur jura ipsius *componendae* seu eleemosinae in pia opera impendendae. *Componenda* dicitur *summa* eo quod componendum sit inter partes de pecunia solvenda, antequam gratia concedatur, nec tamen quin gratia sit, officit pecunia data, quia vergit, uti dictum est, ad pia opera ex. gr. missiones apud Paganos etc.

(c) Et tunc solet Dataria expetere duo scuta additis interdum triginta aut quadraginta obolis extra agentiam, et expeditionem.

(d) Si oratores nullimodo sint pauperes, status eorum et fortuna exponenda; attendendo ad onera, ad debita etc. Si praeterea ampla eorum spes et certa sit, tutius est id exponere. Quod si de his omnibus exacta nequit fieri inquisitio, saltem quae sit eorum fortuna, dicatur juxta communem existimationem.

minor exigitur componenda: non enim intendit Tribunal eo modo gratiam concedere (1) (a).

(a) Forma supplicationis ad sacram Poenitentiariam concipi potest his verbis:

Pro votis castitatis, vel religionis.

Eminentissime et Reverendissime Domine.

Titia votum emisit simplex castitatis, et manet in periculo incontinentiae (*aut alia exprimatur causa*) nisi nubat; supplicat sibi votum commutari ad effectum contrahendi matrimonium. Dignetur Eminentia V. rescribere ad N. N. (*hic exprimatur nomen, et cognomen*) Neapolim (*vel indicatur alius locus iterum exprimendo vulgari nomine, nomen oppidi*) et dirigere breve, seu gratiam simplici confessario N. N. (*vel Confessario Theologiae Magistro, vel Parocho: exprimatur nomen et cognomen etc.*) cui aperit suam conscientiam, pro executione ipsius.

Pro impetranda dispensatione super aliud impedimentum.

A. sponsalia contraxit cum B. at cum ejus matre (*vel sorore etc.*) antea vel postea rem habuit. Impedimentum est occultum, et plura evenirent scandala (*aut alia*) si matrimonium non contrahatur. Supplicat Eminentiam V. ut dignetur ei dispensationem concedere; et dirigere etc.

Si matrimonium sit contractum.

N. N. ignarus (*vel conscius*) impedimenti (*exprimatur*) matrimonium contraxit cum A. N. Et quoniam sine gravi periculo scandali non possunt separari, et impedimentum est occultum, supplicat E. V. pro absolutione, et dispensatione.

Plures ejusmodi formulas vide apud Reiffestuel in appendice ad lib. 4. §. 9, n. 426. et seqq.

(1) *Confer Collet* de componenda.

MANTISSA.

De convalidatione matrimonii.

Non semper dispensatio requiritur ad convalidandum matrimonium nullum, sed tantum ob impedimentum consanguinitatis, affinitatis, cognationis, publicae

---

Inscriptio Epistolae erit.

Eminentissimo et Reverendissimo Domino

Domino S. R. E. Cardinali Majori Poenitentiario.

Romam

Ex Dataria cum petitur dispensatio, ubi matrimonium nondum sit contractum, supplicatio dirigitur ad ipsum Papam sic

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestrae pro parte devotorum Oratorum Titii N. laici et Bertae N. amborum dioecesis e. g. Neapolitanae, oppidi Marani (*hic specificatur verum nomen et cognomen, dioecesis, et Oppidi Oratorum si dispensetur ob angustiam loci*) quod cum dicta Oratrix loco praedicto propter angustiam illius, virum non consanguineum, vel non affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat: ideoque hi oratores cupiunt matrimonialiter copulari. At quia (*hic ponitur impedimentum*) ex. gr. tertio et quarto gradu a communi stipite provenientibus gradibus ad invicem conjuncti sunt, supplicant S. V., ut impedimento consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante dispensare velit cum eisdem, ut matrimonium inter se publice servata forma Concilii Trid. contrahere valeant, illudque in faciem Ecclesiae solemnizare, et in eo postmodum libere et licite permanere; distantiam vero tertii gradus non obstare (*si dispensandi a communi stipite aequaliter distant, hoc omittitur*) dignetur clementissime declarare, et prolem inde susceptam legitimam denuntiare. Pro qua gratia etc.

honestatis, voti, ordinis, et criminis. Si est defectu consensus nullum, per novum consensum revalidatur; si conditionis impedimento, per novum consensum post scientiam servitutis; si disparitatis cultu, quando pars infidelis venit ad fidem, denuo consensus ponitur. Si ob impedimentum ligaminis sit invalidum, quando prior conjux moritur, posito novo consensu revalidatur. Si ratione clandestinitatis, per consensum coram Parocho et testibus positum. Si denique per raptum, sufficit, ut puella constituatur in loco tuto et sic liberum consensum ponat. Praxim, qua consensus poni debet aut possit, aliaque de hac re vide apud DD. morales.

Pro convalidando jam contracto his concipienda est verbis.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter (etc. ut supra) quod ipsi alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent, matrimonium inter se inire, per verba de praesenti contraxerunt, adhibitis omnibus solemnitatibus solitis adhiberi (*quod si aliqua* ex. gr. *denuntiationum fuisset omissa, hoc deberet exprimi*) nullo detecto nec denuntiato impedimento, illudque in faciem Ecclesiae solemnizarunt, et copula carnali consumarunt. Postmodum ad eorum notitiam pervenit se secundo affinitatis gradu in linea aequali, et a communi stipite ex copula licite proveniente, invicem attigisse, et nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt (*si post notitiam impedimenti ab ea abstinuissent, apponi deberet.*) Cum autem, SS. Pater, si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala (*si alia sit causa, hic exprimatur*) possent verosimiliter exoriri, hinc humiliter supplicant S. V. Oratores, quatenus eos ab excommunicationis sententia, si quam propter praemissa quomodolibet incurrissent, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem oratoribus in dicto matrimonio clementissime dispensare dignetur, ut libere et licite remanere valeant, prolem susceptam, vel suscipiendam exinde legitimam declarando. Pro quo gratia etc.

CONCLUSIO QUINTA

Quid in executione dispensationum observandum, adnotatur.

Excutor prae oculis ante omnia habeat tenorem literarum Apostolicarum, ac praevia extrajudiciali capta informatione, uti dictum antea fuit, de iis, quae in illis sunt notata, juxta praescriptas clausulas exequi debet dispensationem (a). *Poenitentiaria* committit dispensationem vel Parocho, vel Confessario, quem oratores elegerint (b). Ille vero attendendo ad clausulas discutiat verba 1.° *si ita est*, *si preces veritate nitantur*; in hoc, nisi contrarium constet, poenitenti fidem habeat 2.° *Audita prius sacramentali confessione*: irrita enim esset aliter concessa dispensatio. 3.° *Injuncta gravi poenitentia* interdum *diuturna*, quae sit per annum duratura. Quod si individuata poenitentia sit praescripta, nec Confessarius omittat illam injungere. 4.° Attendat maxime ad clausulas: *modo occultum sit*; *modo aliunde non obstet*, nempe nullum aliud sit impedimentum. 5.° Dispensationem exequatur pronuntiando *Auctoritate Apostolica tolli hoc, vel illud impedimentum*, quod in

(a) Quomodo verba rescriptorum, adjectaeque clausulae intelligendae, videre est apud La Croix l. 6. p. 3. an. 938.

(b) Hic necessario sit, oportet, per se Theologiae, aut SS. Canonum Doctor. (nisi aliud impetraverint ipsi oratores, aut privilegiatus sit ille, uti PP. Societatis Jesu, et qui cum illis communicant in privilegiis.) Adhaec approbatus ab ordinario oratricis, vel saltem in illa dioecesi, in qua fit executio. Denique ab Oratrice, vel latrice specialiter electus juxta tenorem inscriptionis dispensationis a Poenitentiaria datae. Propterea debet Confessarius, vel petens loco oratorum dispensationem, literas acceptas adhuc clausas tradere oratori, vel oratrici, ut plena libertate Confessarium eligant praeditum dictis antea qualitatibus.

specie exprimere non omittat, *ad effectum contrahendi matrimonium* (a). 6.º Tenetur *lacerare literas* Poenitentiariae; sed ad propriam instructionem exemplar illarum retinere permissum est. At Parochus adnotet in libro secreto dispensationem, ad fidem postea, si opus sit, faciendam.

Officialis vero cui committitur a Dataria executio dispensationis ut qui est velut Poenitentiariae commissarius non jurisdictionem, sed nudum ministerium accipit (1) (b).

Informatione peracta *per seipsum* exequitur commissam dispensationem pro utroque foro, si incestus fuerit admissus absolvendo contrahentes a *censuris*, eos ad poenam condamnans pro *foro externo*, remittens vero ipsos ad confessarium, ut pro *interno foro* congruam recipiant poenitentiam et absolutionem a peccato. Demum officialis ne praesumat *aliquod munus recipere etiam oblatum*, quod prohibent literae Apostolicae sub poena excommunicationis incurrendae *ipso facto*.

(a) Delegatus post absolutionem sacramentalem datam addere sic potest. Insuper auctoritate Apostolica mihi concessa dispenso tecum super impedimento (primi vel secundi vel primi et secundi etc.) gradus perveniente ex copula illicita a te habita cum sorore (vel alia consanguinea mulieris, vel exponitur alia causa impedimenti) cum qua contraxisti (aut contrahere intendis), ut matrimonium cum illa rursus contrahere possis renovato consensu (vel ut matrimonium cum illa contrahere possis) et prolem, quam suscepistis, legitimam declaro. In nomine Patris etc.

(b) Si inter contrahentes copula intercesserit illicita, idque fuerit in supplicatione expressum, ipsi quoque committitur, ut imposita poenitentia ipsos a censuris absolvat.

(1) *Ex c.* Quoniam *de offic. jud. deleg.*

MANTISSA.

De dispensatione in radice.

Haec dispensatio a Bened. XIV definitur (1): Abrogatio in casu particulari facta legis impedimentum inducentis, et conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui jam antea ex ea lege sequuti fuerant (a). Qui obtinent hanc dispensationem, sunt in eodem statu, ac si ab initio habiles fuissent, et consensum praestitissent; consensus olim illegitime datus eodem modo se habet, ac si vere ab initio fuisset validus; matrimonium reputatur validum, et prius nati filii legitimi declarantur.

Naturae impedimentorum juris ecclesiastici fundatur haec dispensatio, quibus effectum tantummodo suspensivum tribuere vult Ecclesia.

Causae quibus concedi solet sunt 1.° quando utrique parti innotuit impedimentum, sed una pars nullo modo adduci potest ad renovandum consensum, licet expresse consentiat ad remanendum in matrimonio. 2.° Quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis manifestare non potest comparti, ut frequenter accidit in impedi-

---

(a) Nullitas matrimonii vel eo sensu intelligi potest, quod consensus partium nullam prorsus habeat virtutem, nec ullum unquam sortiatur effectum; vel eo sensu quod suspendatur ejus efficacia ob obicem inter utriusque consensum oppositum: in hoc posteriori sensu *sanari consensus* poterit per sublationem impedimenti, et producet effectum eo ipso instanti, quo obex aufertur: Hoc fit *sanando matrimonium in radice*, ita ut partes non teneantur ad renovandum consensum; imo nesciunt interdum dispensationem fuisse datam. Priori sensu non poterit revalidari consensus.

(1) *Quaest. canonic. 527.*

mento affinitatis ob copulam illicitam. 3.° Quando adest urgens ratio non monendi conjuges de nullitate matrimonii, ex. gr. si Episcopus concessisset dispensationem invalidam.

Conditiones, ut concedatur, sunt 1.° ut conjunctio partium saltem speciem habuerit veri matrimonii; ideo una pars saltem bonae fidei fuerit, oportet, tempore, quo matrimonium initum fit (1). 2.° Ut impedimentum sit tantum de jure ecclesiastico (2). 3.° Ut urgeat magna causa (3). 4.° Ut constet consensum olim datum perseverare.

Quando obtinetur dispensatio in radice, curandum est, ut adibeantur media, quibus constet de revalidatione matrimonii, si quando detegatur impedimentum. Atque haec hactenus de matrimonio.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

(1) *Vide Brev. Etsi matrimonialis Bened. XIV.*
(2) *Cit. Bened. XIV.*
(3) *Ibid. cit. loc.*

CAPUT PRIMUM

DE LOCIS SACRIS, ET RELIGIOSIS.

CONCLUSIO PRIMA

Necessitas, origo, nomen, et distinctio Ecclesiarum exponuntur (a).

Homo anima, et corpore, quibus constat, Deum veneretur, oportet; hinc non solum *corde creditur ad justitiam*, ut ait Apostolus (1), *sed ore fit confessio ad salutem*. Nec tamen quia Deus immensus est, ubique religionis actus homo exercens officii sui partes omnes implet; sed illos statis etiam locis obire debet; est enim animal natura sociale, proindeque societate conjunctus ac publice auctorem suum recognoscat oportet, nimirum in Ecclesia, quam ipse Deus ob id elegit, inhabitat, ac sanctificat *ut sit ibi nomen suum in sempiternum* (2). Religio ipsis gentibus nota, et ab iis professa ideo circulari forma Templa constru-

---

(a) Locus et domus religiosa late accepta, est quaelibet domus ad divinum cultum, pietatem, aut opera misericordiae destinata, et tripliciter distinguitur 1.° *Domus sacra* quae ad cultum divinum et officiorum sacrorum celebrationem est dicata, de qua jam dictum est. 2.° *Domus pia*, quae deputata quidem est ad opus pietatis et misericordiae, sed sine auctoritate Ecclesiastica. De his vide notam (a) pag. 439. alterius vol. 3.° *Domus religiosa* proprie sumpta, quae sine consecratione, sed auctoritate Episcopali ad opera pietatis et misericordiae est dicata, uti Monasteria, Confraternitates, *Xenodochia*, in quibus peregrini, *Nosocomia* aegroti, *Orphanotrophia* orphani, *Gerontotrophia* senes, *Ptochotrophia* pauperes, *Brephotrophia* infantes alendi recipiuntur, et sustentantur. De his hic agere nostra refert.

(1) *Ad Rom. 10. v. 10.*

(2) *Paral. c. 7. 16.*

cta habebat, ut Deus sine principio, et fine sic venerari fas eis esset, uti *Pantheon* Agrippae, et templum Numae, quod Vestae dicavit.

Ecclesia hinc non sensu proprio hic accipitur, quatenus denotet societatem et conventum fidelium; sed per metonymiam nempe quatenus designet locum ipsum auctoritate sacra constructum, in quo conventus christiani agitant suos, ut major majestatis divinae excitetur idea, et veneratio, facilior populi instructio habeatur, certior fundendarum precum exauditio, atque commodior sit orandi facultas. Ita Bellarminus (1) (a).

De Ecclesiarum origine ambigi non potest, quin Apostolorum aevo referatur. Coenaculum ipsum Sion quod nomine *Hyperoon* designatur in actibus Apostolorum, ubi fideles convenire saepe soliti erant, juxta Ss., praesertim Basilium, et Augustinum ipsam Ecclesiam designat, de qua etiam ad Corinthios ait Apostolus (2). *Numquid domum non habetis ad manducandum, et bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis?* Quod et ex monumentis demum

(b) Ecclesia in antiquis monumentis non templum dicitur, ne Gentilium vocabula usurparentur, quibus celeberrimum erat nomen templi. Pluribus vero nominibus designatur: dicitur *Dominica*, *Domus Dei*, a Deo, cui dedicatur. A fine vero *Oratorium*, et *domus orationis*; etsi aliquando nomine *Oratorii* veniunt sacella in privatarum familiarum commodum exstructa. Sed de his vide, quae diximus p. 110. concl. V. c. VIII. Insuper quae sepulcro, aut reliquiis, aut memoriae erant decoratae alicujus martyris, Apostoli, aut Prophetae, vocantur *martyria, Apostolea*, aut *Prophetea*.

Basilicae dicuntur digniores, et majores Ecclesiae; latine enim significant Regias, et aedes amplissimas judicibus, aliisque magnis conventibus destinatas, ideoque habebant interius porticus, peristilia, unde adstantes perspicere, et audire poterant, quae intra fiebant.

(1) *1. de cultu SS. c. 4.*

(2) *Cap. 11. v. 22.*

antiquorum PP. et omnium maxime S. Clementis R. et Tertulliani (1) plenissime comprobatur (a).

Forma earumdem antiquitus non eadem semper fuit: ut plurimum erat oblonga, et navi similis (2). Circularem exhibet Eusebius (3). Evagrius, et Cedrenus ad crucis formam (4). Ecclesiae frons seu praecipuus introitus ejus ad occidentem, Sanctuarium sive Ara ad orientem spectabat; quod Christiani versum orientem precabantur (b).

(a) Confer Devoti inst. Can. t. 2. pag. 294. edit. R.

Contendunt contra Boemmerus, et alii ejusdem furfuris, primis tribus saeculis non fuisse proprie sic dictas Ecclesias, quibus etsi Minucii Felicis, Arnobii, et Lactantii aliquae expressiones favere videntur, reipsa nullo suffragantur modo; ex illis enim colligi tantum fas est, uti Medus probat, christianos non habuisse templa, qualia gentes habebant; nunquam vero defuisse ipsis quamvis humilia, et simplicia, ut simplex, et durus christianorum status persecutionum tempore postulabat.

(b) Saeculis obolventibus non tantum loci rationem habebant, sed ut divisa interioribus esset Ecclesia, et exterioribus partibus quarum illae tres erant, scilicet *Narthex* seu *ferula* quod aedificium oblongum erat instar ferulae in quo sub portarum ingressum consistebant tempore sacrarum lectionum et praedicationis infideles, haeretici, cathecumeni, et poenitentes dicti *audientes*. *Navis*, quae sequebatur, a *narthece* repagulis ligneis separata, tempore missae excipiebat poenitentes genuflectentes, et consistentes, et deinceps fideles omnes, sed mares a foeminis separati erant scilicet a dextris illi, hae a sinistris, et ut in Rituali R. habetur, ab *Australi* parte primi, *a boreali* alterae; sic et virgines divisae erant a nuptis, monachi a secularibus.

In hac parte erat Ambo a graeco Anabenin *ascendere*, locus scilicet, ad quem ascendebatur per gradus, alio nomine pulpitum et tribunal dictus: utpote lectoribus ad legendum, et cantoribus ad

(1) *De corona militum cap. 3.*

(2) *Ex constitutionib. Apostol. l. 2. c. 57.*

(3) *Vita Costantini l. 3. c. 58. et 50.*

(6) *Hist. l. 1. cap. 14. Cedren. vero Vita Justini in compend. Histor.*

Quoad usum autem distinguuntur aliae Cathedrales, collegiatae aliae, item Parochiales, et Matrices, Baptismales, et Filiales (a).

---

canendum, et moderatam armoniam addictus. Hinc et *chorus* etiam vocatus a *Corona*, quia Clerici canebant circulariter dispositi ibi, et ante altare. *Sanctuarium* denique dictum quoque *Bema*, utpote excelsior pars, separabatur a navi, inacessum omnibus, praeter Episcopum, presbyteros, et diaconos tempore sacrae liturgiae; propterea *Presbyterium* vocatum: in medio ejus Altare *Sanctum Sanctorum* dictum collocatum erat, alias *Ara, mensa sacra*, quod circumseptum cancellis dicebatur etiam *Sanctuarium*. Erat Altare initio ligneum, inde lapideum, et pace Ecclesiae data saepe fuit argento, vel auro coopertum. Solebat poni ita, ut celebrans facie staret conversa ad populum. Imminebat altari *Ciborium* seu turrita aedicula quatuor ad minimum columnis innixa, qua totum altare tegebatur. In medio vero hujus crux stabat. Unum in unaquaque Ecclesia erat altare ad unitatem sacerdotii indicandum. Una missa ferme in unaquaque Ecclesia primis saeculis celebrabatur, quod si plures ob aliquam causam celebrari deberent, pluribus non egebant altaribus; non enim eodem tempore videntur celebratae. At ubi privatae missae praesertim multiplicatae sunt, usus inolevit contrarius, non tamen a Graecis receptus.

Ad exteriorem partem pertinebat *Vestibulum*, quod ab Ecclesia *Atrium* separabat, sive 1.° *Impluvium* porticibus septum; in cujus medio erant aquae salientes, seu putei, aut conchae, in quibus Christiani in Ecclesiam ingressuri manus, et ora lavabant. Euseb. *hist. Eccl. l. X. c. 4.* 2.° *Baptisterium* divisum in vestibulum ubi scilicet fiebant abrenuntiationes a cathecumenis, et *interior domus*, ubi ablutiones exequebantur; 3.° *Secretarium* seu *Diaconicon*, in quo servabantur a Diaconis pretiosa, dictum etiam *cimiliarchion*; demum *pastophoria* seu aedificia ad utrumque latus Ecclesiae constructa ad servandas post omnium communionem Eucharistiae reliquias. Inter alios de his vide ampl. Card. Bona *rerum Liturg.* lib. II. et Mamachium *Antiq. Christianae.*

(a) Cathedrales quia conjunctam habent sedem Episcopi, thronum Supremi Pastoris civitatis et dioecesis antonomastice dictae *Duomo*. Collegiatae dicuntur, quae communitatem clericorum comprehendunt, cui convenit se capitulariter congregare, et agere usu libero sigilli Barb. *l. 2. I. E. N. c. 6. n. 6.* Hae non

possunt nisi a Pontifice erigi, quia collegium non ab aliis, nisi a Principe supremo erigi potest. Innoc. in c. *Postulasti* de Jure Patron. n. 1. et alii. Excipe, si post canonice creatam accidentaliter deficeret, puta morte omnium canonicorum; cessaret enim sic solum in actu: hinc Episcopus posset tali casu repristinare illam. Conditiones vero, quibus stantibus nunquam resistit S. Congregatio Concilii cui solet R. Pontifex supplicem libellum pro erectione Collegiatae remittere, sunt 1.° ut locus, ubi erigi petitur, sit amplissimus, 2.° ut populum contineat, et clerum satis numero magnum, 3.° ut habeat Ecclesiam simul decentem et ornatam, 4.° ut haec supellectilibus pretiosis praedita sit, 5.° nec dos desit ad praebendas Canonicorum sufficientes, non minores sexdecim scutorum Romanorum, exceptis distributionibus solitis, 6.° ut limites legis serventur, et conditiones fundationis, nec in praejudicium sit aliorum, 7.° ut approbet Episcopus. Vide Monacell. *t. 2. tit. 10. Form. 6. n. 8.*

Solvi denique possunt ipsae vel omnibus consentientibus, qui illam efformant, vel dissentientibus a Supremo Pastore, vel morte omnium canonicorum. c. *Dilecta de excessib. Praelator.* Hoc tamen salvo quod uno remanente canonicorum eorumdem, Collegiata cum omnibus privilegiis suis existeret ex S. Congr. Concil. sub die 6 Aprilis 1621. Ei praecedentia debetur si sit *Insignis* prae omnibus aliis etiam antiquitus erectis, ait S. Congr. Rit. 24 Maji 1612. Dicitur *Insignis* si matrix loci sit, antiqua, et spectabilis quoad structuram materialem, et numerum canonicorum, sacrorumque ministrorum, ut terram nobilem occupet populo abundantem, et eruditis. Barbosa in c. *Transmissae* 37. de verb. signif. et de I. E. lib. 2. c. 6. n. 15. ubi quae cetera ad hoc spectant argumentum, videre est.

Parochialis est, in qua proprius presbyter sub Episcopo curam exercet animarum. *Matrix* Ecclesia etsi unica et realiter sit Cathedralis, ipsa quippe Mater et Magistra omnium aliarum Ecclesiarum Dioecesis, tamen matrices etiam dicuntur quae supereminent aliquando inferioribus et dominantur, fontem baptismalem habentes, quamvis curae superiori commissae sint, quippe filiales proinde nominari possunt. Rota p. 1. decis. 272. num. 3. Gloss. in Clem. de baptism. *Conventuales* sunt Ecclesiae Monachorum, et Regularium, in quorum peculiarem usum primum extructae sunt. Demum Capellae dictae sunt sacella in agris, aut civitatibus, aut magnatum domibus extructae, et sacris extra-

CONCLUSIO SECUNDA

Requisita in aedificandis Ecclesiis, et causae, quibus execrantur vel polluuntur; pluraque ad reconciliationem, et reparationem earumdem spectantia congeruntur (a).

Ad novam Ecclesiam aedificandam requiruntur 1.° consensus Episcopi (1) (b); aliquid enim adgredi ad religionem pertinens, nefas est illo inconsulto, quovis

---

ordinariis addictae. Aliquando Capella appellatur quaelibet Ecclesia etiam Parochialis, dummodo non sit collegialis; aliquando vero habetur pro Ecclesia parochiali unita seu incorporata monasterio, sive Ecclesiae regulari, de qua haec tenenda; 1.° quod si unita sit ipsi quoad temporalia tantum, quoad spiritualem debet administrari per clericum saecularem ad Monasterii fere praesentationem praeficiendum. Ita Layman. in c. 2. de suppl. neglig. Prael. n. 7. 2.° Si autem sit incorporata *pleno jure*, non prohibentur Abbates ibi constituere Vicarium Regularem, ab Episcopo tamen approbandum, nisi in literis fundationis expressum sit, ut per Vicarium saecularem Parochia administretur, vel consuetudo diuturna hoc exigat. Ceterum notandum 1.° si Regularis exponetur, id fieri debet, ut habeat socium c. 2. *de capellis monach.* 2.° Ejusmodi Vicarium Religiosum amovere potest Abbas seu Praelatus ejus; quamvis Episcopus ex justa causa possit a Praelato ipso petere ut amoveatur, si non videatur idoneus, qui tamen in rebus quae ad curam Ecclesiae Parochianorum, et administrationem Sacramentorum pertinent, subest eidem Episcopo ita, ut in his ab eo visitari, corrigi, et puniri possit. Trid. *Sess. XXV. c. 11. de reform.* Si autem sit parochia *plenissimo jure* incorporata quoad omnia scilicet, ita ut populus etiam sit ab Episcopi jurisdictione exemptus; tunc Dioecesanus Episcopus nihil juris habet in eo loco. Ita Innoc. in c. 1. cit. loc.

(a) Vide quae dicta sunt vol. 2. c. XV. concl. 1. pag. 518.

(b) Jure civili consensus Regis etiam necessarius est ex decr. 9 Aprilis 1749, et 2 Martii 1784.

(1) *Concil. Calced. c. 4. c. pastoralis de priv.*

privilegio non obstante (1) ex Trid. (2) Episcopo tantum injuste renuente, potest adiri Superior, puta Archiepiscopus, qui eum compellat ad consentiendum (3). Ut in loco exempto aedificari possit, Summi Pontificis consensus necessarius est (4), praesertim pro nova Ecclesia collegiata, multoque magis cathedrali (5). 2.° Episcopus vel per se, vel per alium atrium pro Ecclesia designet, oportet, ibique crucem figat, et primum lapidem ponat (6). Unde DD. aliqui tenent consensum tacitum illius non esse sufficientem. 3.° Justa causa, ne turpi quaestu fiat (7), sed propter necessitates parochianorum (a). 4.° Ne cui praejudi-

---

(a) Ex c. 120. *de consecr.* et Trid. *Sess. XXI. c. 4. de reform.* Justa causa requiritur, qualis est ex. gr. nimia distantia, vel alia magna difficultas adeundi Ecclesiam parochialem c. 3. *de Eccles. aedific.* vel si periculum immineat, ut parochiani sine sacramentis decedant. Cujusmodi eventum non expectandum esse, sed praeveniendum satius duxit S. Congr. apud Fagn. in cit. c. ad *audientiam* 3. extra de Eccl. aedifi. vel ob necessitatem leprosorum etc. c. 2. eod. Ad novam tamen Ecclesiam Parochialem erigendam necesse est 1.° ut ad minimum decem Parochiani adsint, quia decem faciunt plebem. Arg. can. 3. caus. 1. q. 3. 2.° consensus capituli c. 3. 8. et seqq. de his quae fiunt a Prael. 3.° ut citetur Rector Ecclesiae Matricis, et alii, quorum interest. In Ecclesia autem de novo erecta pro facultate loci, praeter patronatum, competens honor, Fagn. cit. cap. servetur, opus est, Matrici Ecclesiae c. 3. v. *providens* de Eccl. aedif.

In locis denique exemptis, puta intra limites Parochiae regularibus exemptis subjectae, potest Episcopus novam aliam erigere (*Barb. in c. ad audientium et de offic. et potest. Episc. alleg.*

(1) *C.* Later. *2. c. 16. q. 1.*

(2) *Sess. XXII. de celebr. Missar. et sess. 25. c. 3. de regul.*

(3) *Arg. ex c. nullus de jure patron. Barb. de Offic. alleg. et potest. Episc. p. 2.*

(4) *C. Auctoritate de priv. in 6.*

(5) *Zech. de aedif. Eccl. §. 19.*

(6) *C. 9. dist. de consecr.*

(7) *C. ult de aedif. cult.*

cium contra canones generetur praesertim Ecclesiae parochiali, unde permittitur, ut ille, in cujus praejudicium nova Ecclesia construitur, *nuntiet novum opus* auctoritati competenti (1). 5.° Competens dos ad alendum ministros, et religionis cultum exercendum. Hinc potest Episcopus non obstante juramento de rebus Ecclesiae non alienandis, de reditibus suae etiam Ecclesiae providere, ut nova aedificetur Ecclesia pro fidelium necessitate (2). Rectores etiam Parochialium Ecclesiarum de superfluis ad id concurrere coguntur (3): nisi aliud adsit, qui velit dotare. Demum et taxa potest imponi ex Trid. (4) (a). 6.° Ecclesia jam aedificata, ejus dedicatio sive consecratio celebranda est, aut saltem benedicenda (b).

68.) etiam ut Delegatus Apostolicus et appellatione quavis remota juxta Trid *Sess. XXI. cap. 4. de reform.* Unde hoc casu appellatio erit devolutiva, non suspensiva c. *pastoralis de appellat.* et Fagn. cit. loc.

(a) At Jure Civili regio assensu opus est ex rescript. 10 Octob. 1822. Observandum tamen quod possessor fundi ex quo impediretur aedificatio novae Ecclesiae, jure canonico cogi potest ad illum vendendum justo pretio; dummodo praeter urgentem necessitatem non multum et notabile sit incommodum possessoris illius. Confer Barb. in L. *Invitum* 11. cod. de contr. empt. n. 10. et Rotam *in Romana palatii de comitibus*. dec. 372 676.

(b) Etsi consecratio differat a dedicatione; dedicare enim proprie est encaeniare; quia tamen consecrari simul et dedicari templa consuevit, utraque vox promiscue usurpatur. Est autem *consecratio* actus solemnis, quo aedificium legitima auctoritate Deo et divino cultui per unctionem, et sacras coerimonias dedicatur. Ritus, qui ex jure novo servantur in dedicatione, in Pont. R. habentur. *Benedictio* fit per aspersionem pavimenti factam aqua lustrali cum certis precibus. Hinc illa adhaeret parietibus; haec pa-

(1) *C.* Intelleximus *1. de Novi operis nuntiatione.*

(2) *C. ult. de aedif. Eccl.*

(3) *C. 4. eod.*

(4) *Sess. XXI. c. 7. de reform.*

Quod si polluatur Ecclesia consecrata, reconcilianda est a solo Episcopo, qui nec delegare ad id potest simplicem Sacerdotem; sed per hunc tantum cum aqua lustrali potest reconciliari Ecclesia, si solum fuerit benedicta (1) (a). Cum pollutione, seu violatione

---

vimento: si diruatur paries, perit consecratio; non item benedictio, modo iterum aedificetur. Benedictio etiam simplici Sacerdoti committi potest ab Episcopo, non vero consecratio. Bened. XIV de S. D. l. XIII. c. 15. n. 2. Imo nec Vicarius generalis quamvis Episcopus sine peculiari Episcopi mandato, ad Ecclesiarum, sicut et altarium consecrationem procedere potest ex eod. ibid. l. 11. c. 8. Consecrari possunt Ecclesiae quovis die. c. 2. *de consecr.* Ex decentia tamen fieri solet die festo. Consecrari non possunt nisi omnino constet non esse consecratam vel saltem dubitetur de eo. c. 18. dist. 1. eod. Hoc unum tandem praetereundum non est nimirum, quod dedicatio templi materialis consecrationem spiritualem, qua fideles in baptismo initiantur, significet. Unde quemadmodum baptismus, ita consecratio reiteranda non est.

(a) *Pollui* seu *violari* dicitur, quando in ea contingunt actus adeo contrarii reverentiae debitae ut prohibitum sit legibus canonicis in eadem divina celebrare officia. Quod quinque modis verificatur. 1.° Per homicidium voluntarium in ea admissum; c. *proposuisti* 4. de consecr. Eccl. Hinc per mere casuale omicidium Ecclesia non polluitur, non enim est actus humanus et sacrilegium; nec per omicidium ad justam defensionem nec per mortem rei ex sententia judicis. Illud vero evenire debet in Ecclesia, nempe in ea parte aedificii, quae censetur sacris deputata, unde si fieret in sacristia vel in campanili, illa nec pollueretur. 2.° Per copiosam sanguinis humani, et notabilem effusionem ex vulnere in Ecclesia inflicto citat. cap. eod. proinde gravis contusio, fractio ossium ad id non sufficeret. 3.° Per seminis humani effusionem voluntariam, et graviter culpabilem ex eod. cit. can. Ceterum ut propter haec delicta polluatur Ecclesia 1.° oportet, ut sint simul publica et notoria, vel per rei evidentiam, vel per confessionem Rei judicialem ex DD. 2.° ut agentes sint aetate majores; demum ut injuriose agatur, et mortaliter delinquatur. Glossa in c. *Si Ecclesiam* D. 1. de consecr. 4.° Polluitur Ecclesia, si in ea sepeliatur excommunicatus saltem de-

(1) *C. fin. de consecrat.*

Ecclesiae, affinis est ejus execratio. Dicitur execrata (*ex sacrata*) quando ita destruuntur parietes, ut jam censeatur periisse id quod erat consecratum (a).

Ad reparationem Ecclesiae quod attinet, quamvis saeculo VI in Hispania una ex tribus, in cetero Occidente una ex quatuor Ecclesiae redituum partibus, in quas dividebantur, cedere debebat *fabricae* (1) ejusdem, tamen cum haec divisio exoleverit, ubi reditus desint ad fabricam deputati, consuetudo recepta loci, aut statuta particularia, vel conventiones sunt observandae, si quae sunt, ad ipsam reparationem. His deficientibus tenetur

---

nuntiatus. Ita c. *Consuluisti* 1. de consecr. Utrum comprehenduntur ii, quos *publice* et *notorie* constat esse innodatos excommunicatione ut praecipue sunt haeretici, et schismatici, negant multi; at communius videtur oppositum, quod et facto comprobatur. 5.° Per sepulturam infidelis. Quod non est accipiendum de infante cum matre in utero ejus mortuo. Ab utero tamen matris morientis extractus num polluat, lis inter DD. vertitur. Nota quoque quod Coemeterium eodem modo polluitur ac Ecclesia, quae si polluta erit, non creditur pollutum etiam coemiterium, nisi sit contiguum. Contra polluto coemiterio, Ecclesia quamvis contigua non polluitur. Quinimo si pariete medio duo jungantur coemeteria, violato altero, alterum non violatur, licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, cit. c. *Si Ecclesia* eod. tit. in 6.

Reconciliatio coemeterii ab Episcopo fit, vel a Sacerdote ex delegatione Papae aqua per Episcopum benedicta, si ab Episcopo solemniter fuerit initiatum; si vero benedictum a simplice Sacerdote fuerit, ab eodem reconciliatur aqua a se exorcizata cum permissu tamen Episcopi.

(a) Intelliguntur destructi cum vel comburantur, vel abradantur ex toto, vel ex majori parte, etiamsi parietes non corruerint c. 20. D. 1. *de consecr.*; aut si saltem ex parte majori simul et semel destruantur, secus si per partes minores, et dein iterum reparentur, quia etsi successive a primis fundamentis sic reparentur, censentur tamen semper moraliter iidem.

(1) *Confer Van Espen I. E. Part. II. tit. 16. c. 3.*

contribuere Rector, seù Parochus, et alii, qui beneficia in illa habent secundum facultatem redituum beneficialium ex Trid. (1). Si nihil contribuere possint ob tenuitatem ipsorum, tunc compelli debent *Patroni*, et omnes alii, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt ex eod. Trid. Denique in horum defectu succurrere debent Parochiani; onus namque publicum est, spectans omnium utilitatem, et necessitatem. Si vero nullus adsit, qui possit contribuere, potest ruinosa Ecclesia destrui, ac ejus jura confundi et ad matricem, vel viciniorem Ecclesiam, si filialis non sit, transferri auctoritate Episcopi debent. Juxta Trident. cit. (a).

Ecclesiis jungimus sepulturam, quae cum iis multa habet communia, de qua proinde sit.

(a) Art. 7. concord. 1816. sic cautum fuit « Parochialis Ecclesiae conservatio, uti et cooperatoris parochi stipendia, ubi reditus ad id attributi non adsint, respectivis civitatibus incumbent, et praedes dabuntur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia. Haec dispositio non respicit Ecclesias Parochiales juris-patronatus, quarum onus respectivis Patronis incumbat ».

Regiis vero rescriptis 30 Junii, et 27 Octobris 1831 et 22 Maji 1832 cautum fuit, ut singula municipia (*vulgo communi*) quibus *Ecclesiae* necessariae desint eas aedificare teneantur, vel si adsint non aptae ad sacrificium celebrandum, utpote restauratione et reparatione indigentes, ipsas exequantur. De hac re Ordinariis quoque munus datum fuit.

(1) *Sess. XXI. c. 7. de reform.*

CONCLUSIO TERTIA

De sepulturis, et quarta funeraria plura adferuntur.

Ecclesia unitatis ac sanctitatis spiritu ducta sepulturae ecclesiasticae curam gessit majorem, quam gentes, et Israeliticus populus, ut sicut *revertatur pulvis in terram suam, unde venerat, et spiritus redeat ad eum qui dedit illum* (1), sic ultimum non desit officium defunctis, et eodem tempore utilitas animarum ac fides resurrectionis promoveatur, piosque manes sacrificiis et orationibus juvare ne quis obliviscatur. Est autem sepultura prout hic sumitur: locus auctoritate Episcopi, vel privilegio Pontificio deputatus ad sepeliendos fideles pie mortuos (2) (a): *nam quibus viventibus non communi-*

(a) Intra urbes sepeliri legibus duodecim tabularum, aliisque sequioris aevi erat Romanis prohibitum. Nec id Christianis permissum, nisi pace Ecclesiae data. Hinc intra sacras aedes delata fuerint Ss. Apostolorum, et Martyrum corpora. Ex quo factum est ut fideles prope haec sacra pignora sepeliri exoptarent, et quasi Ecclesiae appendix, locus fidelium sepulturae deputaretur et benedictionibus Ecclesiasticis sacraretur cap. *praecipiendum* 15. c. 13. q. 2. Fuit primum imperatoribus datum, ut in vestibulo Ecclesiae eorum corpora quiescerent. Euseb. l. 4. de vit. Costantini, Chrysosth. 26. in 2. ad Corinth.; inde reges, episcopi, abbates, digni presbyteri, et ipsi laici sanctitate conspicui in ipsis Ecclesiis sepulti sunt. Interea vero laici in porticu, vel atrio Ecclesiarum sepeliebantur. Concil. Brac. 1. c. 36. donec tandem saeculo nono, et deinceps mos receptus est, ut cadavera omnia in Ecclesia humarentur. Idque 1.° ut patrocinio Ss., quorum ossa in Ecclesiis cubant, specialius defunctorum animae cummendentur 2.° ut excitentur *viventium* affectus ad sibi et defunctis consulendum. Confer Abb. et Arch. Scotti Teoremi teologi canonici. Verum sepulcra in choro, aut prope alta-

(1) *Gloss. 12.*

(2) *C. 5. de sepult. et c. 4. de Relig. domib.*

cavimus, ait S. Leo (1), *mortuis communicare non possumus*; quia pars christianae communionis sepultura est, ea carent non fideles nec pie mortui. Tales sunt infideles, apostatae, haeretici, et schismatici manifesti, item excommunicati ut tales denuntiati, quique clericum palam percusserint vel monachum, et nominatim interdicti (2). Porro qui in peccato mortali notorio decesserunt, pariter privandi sunt sepultura; puta qui sibi mortem consciverunt, qui in pascha nec peccata sua confessi sunt, nec Eucharistiam sumpserunt (3), monachi mortui cum peculio (4) fures, et latrones in crimine occisi (5), usurarii manifesti (6): generatim omnes manifesti peccatores, qui impoenitentes decesserint. Quod si horum aliquis in loco sacro tumuletur, cadaver si discerni possit, effodiendum est, et procul ab Ecclesia in loco profano sepeliendum (7). Ultimum supplicium passi, si condignam egerint poenitentiam, donari possunt sepultu-

---

re non passim concedenda, quod Ferrariensis *de non sepeliendis mortuis propre aram* docet. Item prohibitum, quominus capsae cadaverum sursum in Ecclesiis elatae ponantur. Pius V const. *quum primum* ann. 1566.

Legibus civilibus statutum hoc in regno sub die 20 Aprilis 1839 quod jam ann. 1817 fuerat praescriptum scilicet ne quis aelius praeter Episcopos et religiosas claustrales, sepeliatur in Ecclesiis, sed locis vulgo dictis *camposanti*, salvis tamen juribus religionis et Parochorum.

(1) *C. de commun. 1. q. 2. c. 2. de sepult.*
(2) *C. 10. ex. de sepult. c. 17. ex. de erb. signif.*
(3) *C. 12. ex de poenit. et remiss.*
(4) *C. 6. ex. de statu monach.*
(5) *C. 2. ex. de furtis.*
(6) *C. 2. de usuris in 6.*
(7) *C. 12. ex de sepulturis.*

ra (1): modo leges civiles humationem permittant uti in hoc regno (a).

Sepulturam Ecclesiasticum eligere quivis potest (2), si enim de bonis suis liberum est mortis causa disponere, idem et de proprio cadavere dicendum. At si quis vivus sepulturam non elegerit, quod jure puberibus omnibus, etiam uxoribus, et filiisfamilias licet facere (3); aut si cui non esset majorum sepultura, in Parochiali Ecclesia sepeliendus; inibi enim vivus Sacramenta percepit a Parocho ipsi adstricto ad ea ministranda, Peregrinis non exceptis, modo commode in suam Parochiam deferri nequeant (4). Monachi autem, et religiosi, quia loco paroeciae ipsis est Monasterium, in sua Ecclesia sepeliuntur; item Oblati, Tertiarii, et famuli intra septa Monasterii degentes, atque actu inservientes (5); canonici vero et beneficiati in Ecclesiis capituli, et beneficii. De puellis causa educationis in monasterio decedentibus lis vertitur inter DD. si non elegerint Ecclesiam monasterii, num in ea sepeliendae sint an in Paroecia, aut sepulchro majorum, cui posteriori sententiae favet Sagra Congr. ann. 1742. Si quis alienum parochianum sepelivit, et sic falcem misit in messem alienam uti dicitur (6), restituere debet cadaver, et quidquid occasione sepulturae recepit (7). Cadaver tamen exhumari vix potest ordinarie absque scanda-

(a) confer concl. XIV. cap. III. pag. 33. de causis funerariis quae foro Ecclesiae conveniunt.

(1) *Can. 15. q. 3.*

(2) *C. N.* instituta *1. de sepult.*

(3) *C. 7. ex cod. c. 4. cod. in 6.*

(4) *C. 5. ex eod.*

(5) *C. ult. cit. in 6. et Decret. S. Congr. ann. 1738.*

(6) *C. 5. eod.*

(7) *Ibid.*

lo, vel alio incommodo: et ideo in praxi praestat alio modo satisfactionem fieri, et amicabilem compositionem. Libertas cuique legibus nostris data eligendi sepulturam in causa est, cur Regulares cadavera, salvo parochiali jure, non prohibentur deferre et tumulare in suis Ecclesiis. Urbanus VIII speciatim statuit non posse Regularibus vetari, quominus cadavera fidelium associent (1). Et Clem. X probavit S. Congr. Episc. et Reg. decreta jubentia, ut sacras functiones et officia funebria super corporibus defunctorum, qui sunt in Ecclesiis Regularium tumulandi, ipsi tantum Regulares obirent, et Parochis cadavera sectantibus non liceret Ecclesias Regularium ingredi, sed ea ad januam earumdem Ecclesiarum dimitterent (2). Jus est Ecclesiae Parochiali percipiendi certam partem ex oblationibus, et aliis, quae ratione sepulturae extra parochiam electae obveniunt alteri Ecclesiae quod *justitia parochialis* appellatur propter animarum curam (3) et *quarta funeralis ac portio canonica* (4) (a)

(a) Antiquitus vigebat etiam *quarta funeraria* episcopalis, portio scilicet Episcopo debita ex oblationibus quae occasione funeris obveniebant Ecclesiis, quae diu sola offerentium voluntate steterunt, postea vero in laudabiles consuetudines abierunt, quibus post exequias cogi possunt haeredes ad consuetas oblationes c. 42. ex. de simon. unde jura sunt funeraria Parochorum: quartae vero funerariae parochialis nomine intelligitur canonice portio debita parocho et parochiali Ecclesia, quando in alio loco fiunt exequiae. Vide Concil. Trid. *sess. XXIV. de reform. cap. 15.* Verum haec portio, quae *quarta* vel *tertia major* aut *minor* sit, semper juxta consuetudinem solvenda est, et nomine *quartae* distinguitur c. 9. *de sepult.* haec autem ex oblationibus legatis colligi fas erat, quae Ecclesiae sepulturae relinquebantur. Apud nos variae

(1) *In const.* nuper *188. t. 5. Bull.*
(2) *Const.* nuper *55. et const. alius t. 5. Bull. Cherub.*
(3) *C. 9. eod.*
(4) *C. 2. in 6.*

de qua Clemens III decidit attendendum ad consuetudines locorum (1). Cadit vero Ecclesia Parochialis sibi debita hac quarta, triginta, aut quadraginta annorum praescriptione cum titulo, vel immemorabili praescriptione sine titulo. Vide Barbosam (2).

CONCLUSIO QUARTA

De immunitate locali, et praesertim de jure Asyli agitur.

Immunitatis hujus (a) fundamentum non minus ac illius, quae personis, ac rebus sacris defertur, in reli-

consuetudines de hac quarta fuerunt. Praesenti disciplina cadavera a Parochis benedicenda sunt, quibus asses vigintiquinque offerri debent exceptis semper pauperibus.

(a) Immunitas haec duplex distinguitur. Una, qua actus profani locum sacrum dedecentes prohibiti sunt nimirum illi, qui distinguuntur c. *Decet* 2. de Imm. Eccl, in 6.; quique ex Concil. Trid. *sess. XXII. decreto de observandis et vitandis in Missa* numerantur et praesertim 1.° omnis negotiatio, et venditio juxta Concil. Trull. c. 76. quod doctrinam Evangelii ad rem declarat. 2.° Judicia saecularia, ita ut sententia in Ecclesia lata omni careat *robore firmitatis* c. 9. de Imm. 3.° Conventus profanarum societatum, publica parlamenta etc. Concil. Lugd. c. 2. eod. in 6. 4.° Uti ea pro habitatione vel asservatione supellectilis profanae c. 2. *de custod. Eucharist.* nisi propter hostiles incursus, aut alias necessitates id fiat. 5.° Sedes canonicorum aut alia in choro similia interdicta sunt magistratibus, et judicibus officiis sacris intervenientibus qui nec a Diacono incensum, nec librum Evangeliorum ad osculandum petere possunt. Clem. VIII const. *ex debito* ann. 1533. 6.° Tapetes, pulvinaria, sedilia praeferri nequeunt mulieribus, Paulus V const. *pro parte* 1608, 7.° Demum omnibus cujuscumque gradus, exceptis personis Regalibus, deferre sibi stratum cum pulvinaribus interdictum est; secus cessandum a celebratio-

(1) *Cap. 9.*

(2) *De Offic. Paroch. p. III. c. 25.*

gione positum est, ac reverentia locis sacris Deo dicatis debita; etsi natura et substantia phisica locorum per oblationem Deo factam non immutentur. Hinc quamvis aliqui DD. nec jure naturali, nec positivo divino immediate et per se illam edici teneant; ecclesiastico tamen et civili maxime commendatam confitentur omnes (a), quae quidem nec publico bono scelera puniri exigenti adversa videtur; quippe non omnes, nec in omnibus delinquentes protegit, nec omnino reddit impunitos; dum non violari curat Ecclesias, proindeque magis bonum ipsum publicum promovet, cum earundem favor *summa ratio sit, quae facit pro Religione* (1). Cui bono certe providit Deus foedere antiquo, dum templo,

---

ne officiorum, Rectores Ecclesiae id permittentes ipso facto excommunicationem incurrunt, et Ecclesia pro interdicta censenda est. Clem. X const.*proposito* ann. 1701.

Altera immunitas est, qua Rei confugientes ad Ecclesiam sint securi, ac per violentiam inde abstrahi non possint, quae proprie immunitas dicitur Ecclesiarum, vel jus Asyli, de quo hic agitur.

(a) Pluribus sacris, civilibusque legibus sancita immunitas Ecclesiarum fuit. Ex civilibus distinguimus tantum Theodosianam l. 1. cod. Theod. *de his qui ad Ecclesiam confugiunt*, qua non primo jus Asyli decernitur, cum ab ipso Constantini aevo origo ejus repetenda sit, sed modus et limites ejus praescribuntur, qui varii, variis in Dynastiis fuere. Insuper et illam Justiniani novell. XVII c. 7. ac Leonis Imp. V. Cod. Just. *de his*; quibus magis magisque immunitas ipsa admittitur. Ex sacris praeter dicta PP. Nazianz. praesertim Orat. 20. de laud. Basilii, et Ambrosii epist. 44. alias 14. l. 1. et Capitularia Reg. Franc. l. V. c. 155. memoria digna sunt capita. 9. *de immunit.* et 6. 20. 21. 36. c. 17. q. 4.: omnium maxime Bulla Greg. XIV *quem alias nonnulli*, qua regulae traduntur etiam ad servandam immunitatem praescriptae, item et illa Bened. XIII ann. 1725 *Ex quo divina*, qua criminibus a Greg. cit. exceptis, alia quoque gravia adcensuit, quibus jus Asyli denegatum fuit.

(1) *L. 43. ff. de Relig.*

altari, et civitatibus refugii asylum concessit (1). Favorabilis igitur immunitas haec est latae interpretationis, quia per ipsam directe intenditur favor, et quidem summus Religionis. Gaudent proinde illa Ecclesiae etiam non consecratae, modo ad divinum cultum legitima auctoritate sint destinatae; praeterea loca Ecclesiis adhaerentia, uti Sacristia, porticus, atrium, et coemeterium, quamvis non contiguum Ecclesiae. Tabernaculum insuper, in quo asservatur Eucharistia, Palatium Episcoporum, et domus Parochi; quod ex cit. canonibus colligi fas est.

At controversiae praesertim post editam Gregorianam decretalem frequentes etiam in hoc regno inter magistratus, et Episcopos, multis dispensationibus ansam dederunt et quoad loca, et quoad crimina, necnon judicia de ipsa immunitate exercenda: hinc pactis conventis 1.° inter Honorium IV, et Carolum I Andegavensem articul. 4. sancitum erat reos ad Ecclesias confugientes jure Asyli gaudere, nec inde invitos posse extrahi, nisi in casibus a jure permissis. Aliis disputationibus obviam ivit Concordatum aliud inter Bened. XIV, et Carolum III, quo et modus praescriptus fuit abducendi reos ab asylo; data forma judicio, quo, num reo asyli beneficium denegandum sit, nec ne, decernendum esset; auctus numerus criminum asyli beneficio exclusorum, et locorum immunium numerus deminutus fuit (2) (a).

(a) Post bellicam occupationem militarem hujus regni sic cautum fuit a Francisco I sub die 26 Decemb. 1827. « Non si potrà arrestare il debitore nelle Chiese, dove permanentemente si mantiene il SS. nel Sagro Ciborio, meno che per un caso straordinario coll' espresso permesso del Giudice locale ».

Insuper lege 30 septembris ann. 1830 quo pacta aliqua conven-

(1) *Exod. 21. Num. 35. Duct. 19.*

(2) *Confer c. 11. n. et seqq. n. 7. et seqq n. 26. et seqq.*

CONCLUSIO QUINTA

Monasteria definiuntur: origo, et diversitas Monachorum subnotatur (a), *et de Monasteriis erigendis disseritur.*

Monasteria primum erant loca secreta, et solitaria, ab hominum separata convictu, ad contemplandum

ta exprimuntur inter Sedem Apostolicam, et Regem nostrum quoad immunitatem art. 3. dicitur. « Non si faranno arresti nelle Chiese durante il sacrifizio divino, nè senza prevenirne il superiore della Chiesa, nella quale si fosse rifugiato la persona delinquente.

(a) Tribus fere prioribus saeculis Ecclesiae fuerunt Ascetae tum viri, tum virgines praecipue, quae ad severae Christianae vitae exercitationem incubuere: id enim *ascesis* graece sonat, nimirum exercitationem. Nunquam tamen ii proprie *monachi* fuisse dicendi sunt; quippe qui rigidam quamvis vitam agebant, tamen nec in solitudine, nec in communi vivebant; in utraque enim re monastici instituti ratio sita est. Horum formam in veteri lege adumbratam in Nazarenis, Rechabitis, et filiis Prophetarum Christus ipse consiliis Evangelicis docuit: nimirum *perpetuam castitatem* Matth. 19. *paupertatem* ibid. v. 21. et *obedientiam* Luc. 19. Serius instituti sunt Monachi; furente enim Deciana in Ecclesiam persecutione circa ann. 253 fideles sive in Thebaidem; sive in Ponti solitudines recedere consueverunt. Bingh. orig. Eccl. l. 7, c. 1. qui, pace reddita Ecclesiae, e solitudine redire ad suos noluerunt, quod sancta quiete illecti, mallent in desertis vivere. *Auctor* horum fuit Paulus, *Illustrator* Antonius, ut ait S. Hyeronimus epist. 22. ad Eustoch., cujus vivendi formam Athanasius Patriarcha Alexandrinus in suae Ecclesiae clerum transferendam curavit. Verum Coenobia, et vitam communem in Thebaide postea instituit Pachomius, qui fuit Antonii successor tempore Constantini, ut ex actis illius apud Papebrochium constat. Hinc duplex fuit genus Monachorum. Alii *solitarii*, qui sub nullo certo praeposito regulas quasdam ab Antonio constitutas vitam conformantes suam in cellulis quisque suis vivebant, quos Justinianus *discedentes*, et *quiescentes* appellavit Novel. V. c. 3. Alii *coenobitae* erant, qui in communi viventes, regulam quamdam sub proprio *Archimandrita*, seu *Coenobiarca* scilicet Abbate pro-

et Deo vacandum specialiter deputata (1), cujusmodi monasteria non modo virorum, sed mulierum olim extitisse colligitur ex Chrysostomo, qui Choros Vir-

---

fitebantur. Utriusque vitam, solitudinem nempe, et communitatem S. Basilius conciliare curavit; serm. ejus *de inst. Monach.* adeo ut solitarii actionem contemplatione temperaret a locis solitariis ad hominum societatem monachos transferens, ut simul opera illorum ab Ariana perfidia fideles servarentur incolumes. Sozom. l. VII. c. 17. Hinc in urbibus monasteria posuit, et ab iis non procul cellulas quasdam aedificavit. Loca his cellulis interspersa platearum, ac vicorum instar, proprie *Laurae* dicebantur. In iis non una atque eadem regula erat; sed singula monasteria suam habebant, quae Abbatis arbitrio mutari poterat.

Ex his, ubi etsi non eodem nomine, et non pari ratione vitae IV, et V saeculo multitudo virorum, et virginum coacta est, duo spuria emerserunt simul genera monachorum *Sarabaitae* scilicet, et *Girovagi*. Illi sine praeposito continua ferebant jurgia. Isti dicti etiam *circumcelliones* solebant ire, ut August. monet in psal. 132, hac illac nusquam habentes sedes, sub habitu monachorum hypochritae.

In Occidentem monachorum institutum detulit S. Athanasius, qui Arianorum declinaturus artes, Romam se contulit, inibi vitam S. Antonii, quam illo adhuc vivente, conscripserat, proposuit. Accessit deinde S. Hyeronimus, qui philosophiam monasticam promovere non destitit, ad cujus professionem post Marcellam omnium primam contenderunt virgines *Ecclesiasticae* dictae, quippe quae paternis aedibus degentes, a parentibus, vel ab Ecclesia alebantur; item *monasticae*, quae propriis laboribus communem vivebant vitam: atque ita plurimae familiae monachorum, et sanctimonialium emersere, ut inde tot essent regulae, quot exstructa monasteria.

Primus S. Benedictus an. circiter 590 Sublaci, quod est Aequorum oppidum in Latio, deinde in Monte Casino monasteria posuit, et regulam certam constituit discretione praecipuam, sermone luculentam, ut ait S. Greg. dial. l. 2 c. 36. atque solemnis professionis formam praescripsit: hinc castigata illa mutandae regulae libertas fuit, qua monasteria utebantur. Vide Mabill. praef. ad primam partem saec. IV. Eundem sequuti sunt postea cuncti fere occidentales monachi in varias licet scissi Congregationes.

(1) *Cap. 4. de V. S. in 6.*

ginum memorat apud Ægypti solitudines (1). Verum postquam in urbe ad tuendam, et amplificandam Reli-

quapropter, ut Basylius in Oriente, ita Benedictus in Occidente monasticae vitae Parentes dicti fuere. Saeculo IX, et X curis etiam Caroli M., et Ludovici Pii collapsae disciplinae monasticae splendor restitutus fuit, et Auctore Bernone Abbate, Cluniacenses apparuere, qui unam ex pluribus monasteriis Congregationem efformarunt, quae celeberrima evasit. Inde alios novos cultores vitae monasticae excitavit Deus, nimirum Camaldulenses, Carthusianos, Circestienses. Praeterea saeculo XI cum foede laxaretur ecclesiastica etiam disciplina, plures clerici severiorem S. Augustini regulam amplexi sunt, qui Canonici Regulares dicti sunt, et quorum multa sunt nomina, sed celeberrimi sunt, qui fuere ab Alexandro II in Lateranensi Basilica recepti, et Lateranensium nomine donati. Ex Canonicis Regularibus processit S. Dominicus, qui Ordinem Praedicatorum instituit, quemque probavit Innocentius III. Paullo post cum lege summae paupertatis D. Franciscus de Assisio novum Ordinem Minorum creavit, quem una cum instituto familiae Dominicanae Honorius III ann. 1223 confirmavit. Tum monachi, quos in monte Carmelo ann. 1185 B. Bertoldus ad exemplum Eliae instituerat, Romam venere, quorum instituto ab eodem Honorio approbato, *Carmelitarum* Ordo prodiit. Demum ann. 1276 ex pluribus eremitis, qui errones erant, et vagi, Ordo Eremitarum Augustinianorum ortum habuit, inducti ab Alexandro IV ad regulam S. Augustini amplexandam: atque hi quidem quatuor Ordines Mendicantium sunt, et nomine Regularium veniunt. Interim jam in multos Ordines monachi abierunt distincti moribus, institutis, vestibus, ac pietatis operibus, atque etiam exercitiis: quapropter novae familiae in diem discretae, quibus nec defuere pelle ovium induti in animarum perniciem, uti fuere Waldenses. Ne superstitio igitur in his irreperet Innoc. III cavit in Synod. Lateranensi, ut novae regulae non inveniantur, sed quicumque converti velit, unam ex receptis, et probatis seligat c. 19 *ex de relig. domib.* Hinc necessaria deinceps fuit Pontificis confirmatio ad novam religionem fundandam. Id repetitum a Concil. Lugdunensi *c. un. cod. in 6.* a quo ad quatuor ordines mendicantes res redacta est. Sed legem vicere mores, et inde plerique alii emerserunt ordines praeter illos nempe qui precesserant, scilicet *Trinitarii*, ab ipso Honorio III ad-

(1) *Hom. 8. in Matth.*

gionem vocati fuere monachi, monasteria vocantur loca, in quibus plures habitant, quo certa obstricti regula communem ducant vitam.

» Monasterium novum nisi permittente, aut probante Episcopo nullus incipere, aut fundare praesumat », ut sacri praescripsere canones (1); praeterea venia petenda S. Sedis, de qua jam dictum fuit (2). Ad-

probati, ann. 1209: ordo S. Mariae *de Mercede* ann. 1235, *Servitae* ann. 1233, *Hieronymitae* ann. 1421, *Minimi* S. Francisci de Paula ann. 1474, aliique, quos videre est apud Miraeum, et Bonannum Historiographos Ordinum Regularium, et Doujatium, qui Indicem cronologicum eorum recensuit. His acceserunt saeculo XVI novae Clericorum Regularium congregationes, quibus emendatio clericorum, et disciplinae Ecclesiasticae, necnon novarum haeresum impugnatio fuit proposita. *Theatinorum* fuit prima ann. 1524. Hos sequuti sunt *Barnabitae* ann. 1531. *Jesuitae* postea maxime omnium bono Ecclesiae, et Reipublicae orti ann. 1541, qui sub regula S. Ignatii in juvenum pia institutione, praedicatione, missionibusque constanter adlaborant. Demum inter notiora alia instituta clericorum Regularium accensentur *clerici regulares ministri infirmorum* S. Camilli de Lellis; *clerici regulares Matris Dei*, necnon *Scholarum Piarum* S. Josephi Calesanctii. Alia Clericorum instituta reperiuntur in Ecclesia, quae vel nulla vota emittunt, vel dumtaxat simplicia; vitam communem tamen agunt sub certis regulis. Hi ut distinguerentur a Regularibus, eorum Collegia, Congregationes Presbiterorum saecularium dictae sunt, quibus adnumerantur *Oratoriani* a S. Philippo Nerio ann. 1577 instituti: *Pii Operarii* Ven. P. D. Caroli Carafa ann. 1634. *Patres Sacrae Familiae*; *Doctrinarii*, *PP. Missionis S. Vincentii a Paulo*, *PP. Congregationis SS. Redemptoris S. Alphonsi de Ligorio*, aliique plures. Nec omittendi demum sunt Ordines Equestres; et quidem vel *Militares*, qui regionum Catholicarum fines a barbararum gentium incursionibus, armis defenderent; vel *Hospitalarii*, qui hospitalitatem, sacra potissimum loca visitantibus, infirmisque impenderent. Celeberrimi horum sunt equites Hierosolymitani, qui Rhode pulsi, Melitam habuerunt acceptam a Carolo V. Vide cit. Doujatium ad calcem l. V. Praenot. Canonic.

(1) *Cap. XIII. qu. 2. de Monachis. Trid. sess. XXV. de Regular.*

(2) *Pag. 295. concl. VII. art. 2. cap. 3.*

haec quoniam *nulla Ecclesia in praejudicium alterius est construenda* (1), mandavit Clemens VIII, ut vocarentur, et audirentur ea de re Superiores aliorum conventuum, qui in eadem urbe commorantur; idque extendit Greg. XV ad eos regulares, qui in circumvicinis locis habitant, et omnes alios, quorum interest, Parocho non excluso, intra cujus parochiae limites monasterium aedificari vult ex laud. Pontif. Greg. (2). » Monasteria, conventus, domus, vel societas regula- » rium, cujuscumque etiam mendicantium ordinis, » societatis, et instituti. . . . non erigantur, nisi in eo » saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi » inhabitare, ac ex reditibus, et consuetis eleemosynis » sustentari valeant etc. (3) ». Ita multae aliae constitutiones PP. sanxerunt. Semper enim, si aliter fiat, sunt timenda pericula, et regularis vitae basis et fundamenta consistere non possunt, nec divinum officium in choro, nec spiritualia exercitia in communi, nec silentium, nec clausura recte exsequuntur, ut monet Innocent. X (4). Quapropter monasteria, quae actu non inhabitaverint duodecim religiosi, Ordinarii jurisditioni subjacere intelliguntur (5).

De monialibus sic sancivit Trid. (6). « Quia mo- » nasteria sanctimonialium extra urbis, vel oppidi » moenia constituta, malorum hominum facinoribus » sine ulla saepe custodia sunt exposita, curent Epi- » scopi, si ita videbitur expedire, ut sanctimoniales » ex iis ad nova, vel antiqua monasteria intra urbes, » vel oppida frequentia revocentur ».

(1) *Cap.* Intelleximus *1. de Novi operis nuntiatione.*
(2) *Const. Cum alias.*
(3) *Urb. VIII. Bull. Cum alias. Innocent. XII. const.* Nuper.
(4) *Const.* Instauratione.
(5) *Confer Bened. XIV. de Synod. l. 5. c. 8.*
(6) *Sess. XXV. cap. 5.*

CONCLUSIO SEXTA

De transeuntibus ad Monasteria disseritur; de ingressu in Religionem; deque jure, et obligatione Novitiorum pertractatur.

Nemo cogi potest ad ingrediendum monasterium ex Trid. (1) quoniam Christus dixit (2): *Si vis perfectus esse, vade, vende, quae habes, et sequere me* (a): cuilibet tamen regulariter patet gratis aditus ad illud (b), dummodo sit sui juris, corporis, aut animi nullo

(a) Sub anathematis poena non sunt foeminae cogendae, *praeterquam in casibus in jure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem.* Eadem poena plectuntur, qui easdem a voluntate *vel accipiendi, vel voti emittendi, quoque modo sine justa causa impedierint.* Trid. sess. XXV. de Regularib. cap. 18.

(b) Sane nefarium est per pecuniam partem habere in societate monachorum; haec enim in finem spiritualem coalescit; nec nisi simoniace sic ingressus pateret in monasterium, quod damnavit Ecclesia Concilio Nicaeno II. c. 19. et c. 8. ex de simon. c. 2. de statu Monach. Excipe tamen oblationem voluntariam, aut loco alimentorum datam. Hinc usu etiam receptae videntur *dotes,* quae ab ingressuris in monasterium exiguntur. Quidquid tamen sit de transactione Christiani Lupi Not. in can. cit. Nicaenae Synod. hoc nomine illas a Simonia excusantis, et quidquid de Van-Espenii severitate sit hoc argumentum tractantis, nobis arridet Bened. XIV doctrina de Synodo Dioecesana lib. 11. cap. 4. quae est eadem Div. Thomae 22. quaest. 100. articul. 1. conformis praxi Sacrae Congregationis, et statutis S. Caroli in Synod. Mediolanensi I ann. 1565, qua dicitur simoniacum esse, si quid pro ingressu in Religionem, tamquam pretium exigeretur; non vero si pro sustentatione personae, quae monasterium ingreditur. Nec contra quid facit, si monasteria ditiora sint, quum propter ingruentes necessitates, et casus inopinatos plerumque ad ino-

(1) *Sess. XXV. c. 12. de regularib.*

(2) *Matth. 19. 22.*

laboret impedimento, nec propriis alicujus religionis constitutionibus excludatur. Hinc religionem ingredi non possunt 1.° qui sunt alteri obstricti, nisi cum hujus consensu (a). 2.° Obligatus ad reddendam rationem administrationis rerum alienarum, nisi jam satisfecerit. 3.° Gravatus aere alieno, si intra paucos annos manens saeculo possit satisfacere; secus, si non esset spes probabilis intra illud tempus satisfaciendi, vel manendo in saeculo incurreret notabile periculum salutis ex eod. Lessio. Nec obstat bulla Sixti V *Cum de omnibus*, qua vetuit, ne acciperentur ingenti aere alieno gravati, vel reddendis rationibus ita obnoxii, ut lis, vel molestia eis allata sit, vel timendum, ne inferatur; nam postea S. Pontifices declaraverunt id non obstare validitati professionis. 4.° Vitiatus corpore ita, ut non sit habilis ad functiones religionis. 5.° Infamis seu criminosus. 6.° Non habens aetatem legitimam

---

piam redigantur. At duo laudatus Pontifex advertit. 1.° Quod praeter dotem nulla alia pecuniae summa puellis extorqueatur in commodum monialium, serveturque omnino, quod Urbanus V in Extravag. Comm. *Sane* c. 1. de simon. utriusque sexus regularibus prohibuit, ne his occasionibus, *quoscumque pastus, prandia, seu coenas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu pium usum alium deputata, vel deputanda directe, vel indirecte petere, vel excipere quoque modo praesumant*. 2.° Quod prohibenda non sit ab Episcopo dotis constitutio, licet interdum expediat eam imminui, aut in quibusdam circumstantiis etiam remitti; contra vero semper modus imponendus sit sumptuosis adparatibus, musicis concentibus, ac commissationibus, quae luxum sapiunt.

(a) Puta *Episcopi* sine consensu Pontificis c. 10. *de renunciat. Conjuges* post consumatum matrimonium c. 3. *de convers. conjugat. Servi* etiam adscriptitii sine consensu Domini, quia per triennium eos revocare potest can. 3. c. 17. q. 2. *Deflorator* virginis sub promissione matrimonii, sive id fecerit serio, sive ficte ex Lessio L. 2. c. 41. n. 30.

juxta Trid. (a). 7.° Filius habens parentem in extrema, vel gravi necessitate, cui alter subvenire non potest. Hoc et dicendum de parentibus, respectu liberorum (1). Imo juxta Lessium cit. loc. et alios, Filius jam professus propter gravem necessitatem patris tenetur egredi, ut ei subvenire possit. 8.° Pius V decrevit minime esse in monasteria recipiendas Tertiarias, ni vota emittant, et clausuram velint observare (2), quod Bened. XIV renovavit (2).

Ne quis autem inauspicato vitae genus ad perfectionem tendentis adgrediatur, probatio, quam dicunt novitiatum, vitae monasticae praemittenda est, scilicet diligens examen, quo voluntas postulantium exploratur an serio velint, et possint illam vitam profiteri. Quod quidem in cella separata instituendum, ne forte videntes defectus monachorum, religionem profiteantur, quamvis ad regulam vivere non intendant. Quinimo ex bulla Innoc. XII in Italia, et adjacentibus insulis monasteria rigidae observantiae probandis novitiis addicta sunt (4) (b).

(a) Puberes filii, etiam invitis Parentibus, possunt ingredi Religionem, quia in his, quae ad statum vitae pertinent, tunc fiunt sui juris. D. Thom. 2. 2. q. 191. art. 4. Puella ad habitum regularem non est admittenda, nisi major duodecim annis sit. Trid. sess. 25. *de Regularib.* c. 18.

(b) Trium annorum probationem Monachi Orientales requirebant. S. Greg. M. ad biennium redigisse videtur lib. 8. epist. 23. At S. Benedictus unius anni probationem praescripsit, quam omnes sequuti sunt Occidentales. Eandemque Trid. sess. XXV. *de Regul.* c. 15. constituit, dummodo longius experimentum ex instituto Ordinum non sit praescriptum.

(1) *D. Thomas 2. 2. q. 101. art. 4. et 1. 2. q. 189. art. 6.*

(2) *Const.* Circa pastoralis *ann. 1566.*

(3) *Const.* Cum sacram *ann. 1741.*

(4) *Vide constitutionem Clem. VIII. de institutione novitiorum.*

Obligantur vero Novitii ad observandam regulam ex honestate et decentia: nam etsi nullis sunt obstricti votis, tamen cum aliis similem ducunt vitam, et gaudent privilegiis. Ii superiorum legibus latis saltem sub poena obligantur, et spirituali jurisdictioni eorum subjiciuntur etiam in foro externo: fundatur enim non in voto obedientiae, sed jurisdictione Ecclesiastica talis obligatio. Ita Suarez (1).

Ipsi vero habent Jus retinendi beneficia usque ad professionem (2), licet ex fructibus beneficii interim sit assignanda ab Episcopo congrua ejus Vicario: reliquum eorum pertinet ad Novitium, cui, si forsan exiverit, restituendum, vel, nisi prius aliter disposuerit, per professionem ad monasterium pertinet. Ita Sanchez (3), equidem tradendo seipsum Religioni censetur omnia sua tamquam accessoria eidem tradidisse; propter illam enim professionem ea omnia Religio consequitur non jure haereditario, sed jure acquisitionis. 2.° Gaudent privilegiis sui Ordinis, et praecipue canonis, et fori; quia comprehenduntur in favorabilibus nomine Religiosorum. 3.° Libere e Religione egredi possunt (a). Religio tamen sine justa causa dimittere il-

---

(a) Quae libertas, ut magis salva maneret, Trid. sess. XXV. *de Regularib.* praescripsit, ut de bonis, et juribus suis in saeculo habitis novitii etiam in favorem Religionis valide non possint disponere per actum inter vivos, eumque gratuitum, uti est donatio, renuntiatio, cessio, nisi id faciant intra duos menses ultimos professioni proximos, et cum licentia Episcopi (quod tamen multos in locis non est usu receptum) atque professio actualiter sequatur. Quod juxta plures DD. intelligendum etiam est de nondum ingressis in Novitiatum, sed primum ingressuris, qui nempe intuitu Religionis ingrediendae talem renuntiationem faciunt, finis enim, et mens Tridentini cit., quae dicitur anima le-

(1) *Cit. loc. cap. 6. num. 18.*
(2) *Cap. 4. de Regularib.*
(3) *Cit. loc. num. 19.*

los non potest, nam foret aliter contra administrationem debitam. 4.° Si egreditur novitius, non tenebitur monasterio ad expensas in alendo, nisi in ipso ingressu per pactum se obligasset, aut legitima consuetudo praescripta esset contra, aut dolose ingressus sit. Ita Suarez cum aliis (1).

CONCLUSIO SEPTIMA

Quae ad professionem pertinent, declarantur.

Professio est certae, probataeque religionis promissio, aperte, adhibitisque sollemnibus, vel factis ipsis declarata. Hinc duplex est sollemnis, et tacita prout consuetis sollemnibus, vel tacitis signis editur (a). Hodie tamen per sollemnem tantum, et expressam professionem, quae a publico tabellione praesente in publicum instru-

---

gis, magis attendenda est, quam ipsa verba: *ne hac occasione*, inquit, *discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiae suae Monasterium possideat; nec facile, si discederet, recuperare possit.* Valet tamen dispositio novitii de bonis suis per ultimam voluntatem, vel per contractum oneresum, quo tantumdem, vel fere aequivalens recipit; nec libertas redeundi ad saeculum minuitur.

(a) Expressa, quae fit verbo, vel scripto, vel alio simili modo juxta constitutiones cujuscumque Religionis. Sanchez lib. 5. moral. c. 3. Tacita, quae fit aliquo facto, ex quo animus profitendi elicitur, ut si quis post annum novitiatus gestet habitum professi proprium c. 18. 22. *de Regularib.* vel exerceat actum solis professis competentem. Requiritur tamen 1.° ut actus fiant auctoritate, et consensu Superioris habentis potestatem admittendi professionem; 2.° ut sponte fiant, et scienter, scilicet ut sciant dictos actus ad solos professos pertinere; 3.° ut habeant illis acitbus veram profitendi libertatem. Ita ex Sanchez, et aliis.

(1) *T. 2. lib. 5. cap. 9.*

mentum redigitur, monachus quis constituitur; nec tacita amplius professio admitti videtur. Habet ipsa vim contractus ultro citroque obligantis, perficiendi quidem profitentium, et religionis consensu scilicet consensu vel capituli, vel solius abbatis, vel superioris conventus (1). Requiruntur autem, ut valida sit 1.° aetas sufficiens, et annus probationis: *In quacumque religione*, ait Trid. (2) *tam virorum, quam mulierum professio non fiat ante decimumsextum annum expletum* (a); *nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad religionem admittatur* (b). Hoc decreto Ordinum constitutioni-

---

(a) Hoc in regno pragmatica 4 Julii 1788 cautum reperitur quod nisi uno et viginti annis expletis professio fieret, esset nulla quoad effectus civiles; hoc et pro monialibus statutum fuit rescripto 11 Octobris 1789.

(b) Annus probationis ita completus, post susceptum habitum, et integer esse debet, ut si vel una quidem hora deesset, irrita foret professio. Ita Fagnan. Continuus etiam minimeque interruptus sit, oportet, hic annus, ita ut si per unum diem, imo per duas horas candidatus a Religione discessisset, integrum probationis annum repetere teneretur. Si tamen Novitius post susceptum habitum, et aliquod tempus in monasterio transactum, ab eo egrederetur justam ob causam, et cum sui Superioris licentia, necesse non esset, ut novum probationis annum inciperet. Ita a Sacra Congreg. definitum refert ipse Fagnan. tom. 4. part. 1. n. 39. pag. 54. edit Rom. ann. 1662.

Veteri disciplina non tantum propria professio, sed et parentum oblatio monachum faciebat. Nempe parentes tenerae aetatis filios monasteriis offerebant pro iis petentes vitam monasticam, qua oblatione accepta statim filii monachi censebantur, nec poterant umquam injectum onus excutere. Offerebat Pater non solum, sed et mater filios, fiebatque oblatio in Missa tempore obla-

(1) *Cap. ult. de Regularib.*

(2) *Sess. XXV. cap. 15. de reform.*

bus, quae majorem requirebant aetatem, derogatum non est (1). 2.° Ut voventis consensus sit ab omni metu gravi injusto liber (2); ita ut quamvis metus reverentialis per se non sufficiat ad invalidandam professionem juxta Abbatem, eam posset tamen invalidare, si tales concurrant circumstantiae, quas difficillime homo a se repellere valeat: tunc enim metui gravi aequiparatur puta si preces importunae ab homine magnae notae, et auctoritatis porrectae fuerint; si blanditiis minae adjunctae fuerint etc. ut colligere licet ex pluribus DD. et decisionibus Rotae. 3.° Ut nec error, nec dolus, nec ignorantia sit circa substantialia religionis in vovente (a).

Igitur Religiosus professionem suam legitime impugnabit per vim, ac metum emissam, vel ante legitimam aetatem, ob furorem, mentemque non sanam (3) aut eam corporis infirmitatem, morumque noxam, quae juxta regulam inhabiles ineptosque red-

---

tionis. Saeculo IX omnino rejectae sunt tales oblationes, et ex Caelestini III decreto filii oblati ad annos discretionis pervenientes potestatem habebant egrediendi c. 14. ex. *de Regular.*

(a) Hinc ex Trid. constitutum est cit. loc. c. 17. *ut puella habitum regularem non ante suscipiat. . . nec professionem emittat, quam exploraverit Episcopus, vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab iis deputatus virginis voluntatem diligenter.* Ex eodem Trid. inquirendum est, 1.° *an coacta, aut seducta sit*, 2.° *an sciat quid agat:* quod si non satis cognoverit, erudienda est, 3.° *an habuerit conditiones requisitas juxta monasterii illius, et Ordinis regulam.* Appropinquante demum tempore professionis, Abbatissa tenetur ante mensem Episcopum certiorem facere. Trid. ibid.

(1) *Vide Fagnan. ad c.* nullus *ex. de Regularib.*

(2) *C. 4. caus. 20. q. 3. etc. 1.* de his quae vi etc.

(3) *Ex cap.* sicut *25. de Regularib.*

dit ad statum religiosum. Verum non licet ei proprio marte in saeculum abscedere (a).

Effectus professionis sunt quod 1.° ad laxiorem a strictiori Religione professus citra dispensationem S. Sedis transire non potest ex Trid. (1). Vix transitum ad strictiorem indulgent canones (2). Ab hac regula excipiendi sunt Mendicantes, qui sine expressa Rom. Pontificis licentia, alii Ordini etiam austeriori, nisi fuerit Carthusianorum, nomen dare non possunt. Si vero quis vovisset strictiorem simpliciter: valida esset, at illicita sequens professio in laxiori (3); 2.° monastica professio, quia perpetua est poenitentia, merito pro altero baptismo reputatur. Inde Hieronymus Blesillam, quae quatuor ante mensibus professa fuerat, quodammodo baptismo purgatam ad caelum advolasse dixit (4); 3.° vis extinguitur simplicium votorum, quae

---

(a) Debent tamen ipsimet intra quinquennium, quod est tempus utile, non continuum, a die professionis judicium nullitatis coram dioecesano Episcopo, locive Ordinario, simul et Superiore monasterii, in quo sint professi, rite instruere: ex Trid. cap. *quicumque* 19. cit. sess. expensas interea litis, alimentaque a monasterio suo accepturi, non secus ac a parentibus filii. Postea non audiuntur, nisi ab Apostolica Sede adversus lapsum quinquennii restitutionem in integrum obtinuerint, quae solet re cognita indulgeri. Obstat tamen huic indulgentiae haud semel ratihabitio professionis tum expressa, tum tacita a reclamantibus facta. c. 1. *de regularib.* in 6. Qui vero religiosam abjecerit vestem arbitratu suo, non modo non auditur, sed eam resumere, atque ad monasterium redire cogetur, ut fugitivus, vel apostata. c. un. *de statu reg.* in 6. Confer Bened. XIV in const. *Si datam* 47. tom. 2. Bullar. de ordine servando in causis super nullitate professionis regularis.

(1) *Sess. cit. cap. 19.*

(2) *C.* de religiosis 24. *de regularib.*

(3) *Sess. VIII.*

(4) *Epist. 25. ad Paulam.*

ante professionem emissa sunt (1); 4.° amittit professus, si quae habet, beneficia; 5.° dirimitur matrimonium ratum, et non consumatum; 6.° tollitur patria potestas.

CONCLUSIO OCTAVA

Status religiosus ab injuriis vindicatur haereticorum, trium, quibus distinquitur, expositione votorum.

Status religiosus (a) juxta Layman cum aliis definitur: stabilis in communi vivendi modus fidelium ad christianae caritatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis perpetuae castitatis, paupertatis, et obedientiae, ab Ecclesia approbatus. Equidem Religiosus status specialis non esset, nisi per vota haec quis se ligaret *in perpetuum*, removendo quaecumque impediant perfectionem, ad quam adquirendam status ipse tendit (2) (b). Verum Ordo seu con-

---

(a) Etsi status latiore sensu dicit quamlibet vitae conditionem, stricte tamen, et hoc loco conditionem vitae stabilem significat, qua alteri tenemur adstricti.

(b) Statu religioso irrevocabiliter, et absolute quis se tradit Religioni, quod per vota haec solemnia habetur: dum in voto simplici communiter ipsa Religio non est irrevocabilis, et absolute erga voventem obstricta: quamquam vovens possit esse adstrictus in perpetuum, uti sunt ex. gr. *scholastici* et *coadjutores* spirituales, vel temporales Societatis Jesu.

Hinc discrimen inter dimissos, et ejectos a Religione. Habet enim Religio potestatem ejiciendi incorrigibiles, etiamsi professi sint, uti ex Bened. XIV colligitur de Synod. l. III. cap. 2. n. 15. quamvis forma judicialis adhibenda sit, quae pro variis congregationibus varia est. Dimissi non remanent omnino liberi, sed obstricti pluribus regulis, quas exponit laud. Bened.

(1) *Cap. 4. de vot. redempt.*

(2) *Vide D. Thom. 2. 2. q. 184. et Suarez* de Statu Relig.

gregatio, cui se tradit Religiosus, adprobata sit, oportet; nam holocaustum, quo quis totaliter se Dei servitio mancipat, non fit per solam promissionem, sed per traditionem etiam, quae externe acceptari debet ab Ecclesia,(ne donatio sit incompleta) seu per eos, quibus illa hoc munus committit; cum Deus immediate, et per se non acceptet. Committere autem hoc posse solum Pontificem patet; etenim ipse Ecclesiae universali solus praeest, ut Lateran. IV (1) et Lugd. II (2) decreverunt (a). Hinc non stricte religiosos ordines dices congregationes ab Episcopis tantum adprobatas.

Statum religionis esse viam regiam, ac tutam, per quam facilius et securius ad apicem perfectionis Christianae pervenitur, jam Concilium Costantiense definivit, a quo etiam damnatus est error Wicleff, qui neminem posse salvari blateravit, in quocumque ordine religioso

---

XIV l. 13. c. 2. Ad substantiam votorum remanent adstricti, et Ordinariis locorum subjiciuntur: verum emendatos Religio recipere tenetur, quibus tamen curae sit, ut petant recipi in monasterium: ipsique tenentur deferre habitum Religionis, nisi in poenam fuerint eo spoliati. His non tenentur ejecti, qui sunt omnino liberi, officia, et beneficia assequi possunt etc. Nec processus requiritur judicialis ad eos dimittendos; hinc distinguuntur a dimissis. *lib. 2. cap. 2.*

(a) Pactum igitur intervenit ab Ecclesia approbatum in admissione ad ordinem religiosum; ingrediens enim illi se donat, et obligat: et vicissim ordo se obligat ad eum conservandum, et tamquam partem sui alendum, et juxta suum institutum gubernandum.

Adprobatio vero duo importat 1.° judicium authenticum, quod talis religio sit honesta, licita, et utilis, 2.° potestatem superioribus ordinis communicatam, ut nomine Christi recipiant, et in vero statu religioso constituant eum, qui illam vitam voluerit profiteri.

(1) *Cap.* ne nimia *de relig. domib.*

(2) *Cap.* Religionum *eod. tit.*

existat. Ipsum sequuti sunt Lutherus, et Calvinus damnati pariter a Trid. (1). Hos praecessit Gulielmus de S. Amore autumans eandem impossibilitatem salutis in ordine Mendicantium. Hunc vero strenue refellerunt D. Thomas, et Albertus M. Nostra refert hic tantum vota essentialia status religiosi extricare (a), ob quae et mendicantes, et regulares omnes omni commendatione digni potius quam, ut haeretici blaterant, damnandi videntur (b).

(a) Votum solemne aliquid superaddit voto simplici ultra obligationem erga Deum communem utrique. Solemnitas vero, vel est accidentalis et addit voto formas publicas tantum, certam coeremoniam, et ritus sacros, et haec varia pro variis familiis sunt, vel substantialis, de qua hic agimus, et addit effectus morales in futurum, quos mox enucleare nostrum erit. De principio, a quo vota solemnia mutuantur suam vim, Thomistae contendunt eam fundari in rerum natura, nempe quia in voto simplici est tantum promissio, in solemni est donatio completa per traditionem rei promissae, ejusque acceptationem ab Ecclesia nomine ipsius Dei factam. Ceteri DD. contendunt eam solemnitatem venire a sola Ecclesiae institutione, quod satis videtur docere Bonif. VIII. c. *Quod autem*. Ex definitione autem hujus controversiae et alia pendet: utrum scilicet possit Ecclesia dispensare in voto solemni, de qua quidquid dicant cum Thomistis aliqui, auctoritati nixi Innoc. III, qui c. *Cum ad monasterium* negat ab ipso Pontifice dari posse dispensationem illam: communiter ferme alii contra sentiunt cum DD. quibus magis arridet Ecclesiae constitutioni tribui inventionem solemnitatis ex cit. c. *Quod*. Ne autem opposita credatur auctoritas Innocentii supradicta, eam intelligunt hoc sensu nempe quod facere nequeat ipse S. Pontifex, ut quis remanens Religiosus perfectus secundum omnia, quae tunc temporis importabat ille status, possit vel nubere, vel possidere libere, et independenter. Demum innumerae dispensationes concessae argumentum praebent, quod sententiam hanc comprobat, et eo vel magis quod de validitate illarum nemo unus dubitaverit.

(b) Regularium destructio, Monachorum eversio, utrorumque damnatio conclamata fuit saeculo praesertim elapso, quod apud

(1) *Sess. XXV. cap. 1. de reform.*

Equidem vitae monasticae religio voti addita videtur, ut illa arctius obligaret, et exercitia monastica essent Deo acceptiora. Et primum quoad votum paupertatis, Religiosi Christum imitantur non habentem, ubi

---

Pseudo-philosophos saeculum lucis audiit, at quanto rectius tenebrarum, atque errorum omnium saeculum appellaretur. Certe quidem tenebris atque erroribus abripiuntur, atque in ipsa meridiana luce caecutiunt, qui Regularium, Monachorumque abolitionem probandam judicaverint. Recta enim ratio, qua in omnibus uti Philosophum omnium maxime decet, evincit non humanitati, non Philosophiae, non justitiae, non publicae utilitati consonum fuisse vatiniano odio immerentes prosequi; in fratres nostros, sanguine conjunctos, nostri similes ad exicidium usque saevire, sapientissima instituta in pauperum, aegrotantium, adolescentium, et fidelium omnium commodum a sapientissimis hominibus comparata funditus evertere, a propriis domibus alios expellere, omnibus bonis justissimis titulis adquisitis expoliare, Religionis acerrimos propugnatores, illustres veritatis testes, eximios pietatis cultores exterminare, qui ad pietatem, ad scientias omnes adolescentium animos informabant, qui dicendo, docendo, scribendo, benefaciendo omnium utilitati inserviebant. Desinant igitur isti sycophantae blaterare Monachos in damnum familiarum, et reipublicae esse natos. Si affluebant bonis, non furto, non rapinis, non vi extorta, sed justissimis titulis adquisita possidebant, atque ea etiam in aliorum commodum conferebant, pauperum difficultatibus occurrebant, et in pia opera impendebant. Quod si aliquando inter ipsos monachos vitia serpebant, scandala, virtutis defectus, incitamenta ad mala non deerant; id non eorum institutis ac regulis, quae rectissimae, et sapientissimae erant, acceptum referendum, sed hominum fragilitati, atque perversitati. Vitia enim, donec homines, et ubi homines. Optimus ille est, qui minimis urgetur. Proinde non ad monasticae vitae abolitionem, sed ad reformationem morum recurrendum erat. Si quis vero veram causam quaereret, cur Pseudo-philosophi pro abolendis monachis, equis, velisque, ut ajunt, decertarunt, non aliam fuisse inveniet, quam monachos *Altaris*, et *Throni* esse robur, et praesidium, quae cum funditus evertere sibi proposuissent, numquam id se perfecturos putarunt, nisi prius Monachos exterminassent.

caput reclinaret (1). Apostolos sequuntur, qui reliquerunt omnia, et sequuti sunt Christum, ut dixit Petrus (2) et consilium Christi recomprobant: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quae habes, et da pauperibus* (3). Vovent igitur monachi paupertatem, ut singuli cujusque rei dominium abjiciant. Hinc Inn. III docuit (4) abdicationem dominii adeo esse propriam regulae monasticae, ut contra eam nec summus Pontifex licentiam indulgere possit (5) (a).

(a) Perpetuis exercitationibus monachi erant primum mancipati, unde victum labore manuum quaerebant Bingh. l. 8. Orig. Eccl. c. III. ne quid sibi proprium quisque habebat; ve stitu viliore, praesertim pallio utebantur. Postea fama eorum sanctitatis undique diffusa reditus, et fundos ipsis comparavit, certantibus Christianis propria eis bona, utpote pauperibus in redemptionem peccatorum elargiri, ipsique Principes, eosdem concessione etiam feudorum locupletarunt Murator. Dissert 67. a. 9. medii aevi saec. VIII et seqq. At saeculo XIII instituti fuerunt mendicantes, qui nempe ex primaeva institutione nulla possident bona ne immobilia quidem in communi.

Deinde cum experientia cognitum quotidianas eleemosynas tot tantisque Religiosorum copiis non sufficere ex Trid. sess. cit. c. 3. *omnibus monasteriis, et domibus tam virorum, quam mulierum, et mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci, Capuccinorum, et eorum, qui Minorum de Observantia vocantur, immobilium possessio permittitur.* Ab hac tempestate Minorum Conventualium domus, non secus ac caeterae omnes, et fundos obtinent in limine fundationis, et haereditates, etiam fideicommissa ex cujusque professi personis, qui ante vota solemnia successiones consanguineis non renunciaverint, jure capiunt tum ab intestato, tum ex testamento delatas: Conventuales tamen ex hoc non prohibentur, quominus eleemosynas petere possint.

Mendicantes praediorum, annuorumque redituum omnino inca-

(1) *Luc. 9.*
(2) *Matth. 19. 27.*
(3) *Matth. 19.*
(4) *Matth. 19.*
(5) *C. 6. ex. de statu monach.*

Voto paupertatis Religiosi non solum redduntur incapaces omnis dominii bonorum fortunae, et jurium, quae aliquem reddunt divitem, ita ut nihil proprium habere possint, sed etiam liberum usum et dispositionem illorum non habent, ut iis uti absumendo, donando, vendendo etc. aut etiam retinendo, vel sibi applicando nequeant absque Superioris licentia sive expressa, sive tacita, speciali, aut generali: imo et rationabiliter praesumpta, dummodo hic et nunc Superior adiri, et ejus consensus peti non possit, aut saltem prudenter creditur non esse invitus quoad substantiam (a).

Non ergo domus, et communitates religiosas (quae ut corpus morale publica auctoritate possunt acquirere (b), si excipias ex supra notatis Trid. verbis capuccinos fratres et minores de observantia ;) sed singulas regularium personas professio religiosa privat rerum omnium sive mobilium, sive immobilium proprietate ac dominio, ut 1.° quidquid monachus post professionem lucratur aut labore, aut legitima successione, aut legato, aut alia quacumque causa, non sibi, sed

---

paces, pretium alicujus legati, annuas praestationes a sponte dantibus accipere, non petere possunt; ita ut per procuratorem deputatum in usus necessarios ipsorum convertantur. Nicol. III. in cap. *exiit* 3. de verb. signif. in 6.

(a) Incapacitas dominii, quae excludat praecedentem, si existat, et impediat omnem acquisitionem subsequentem, distinguit votum solemne paupertatis a simplici; hoc enim non tollit capacitatem dominii, sed tantum facultatem acquirendi, et licite possidendi.

(b) Quibusdam communitatibus id proprium erat, ut ne in *communi* quidem bona immobilia possidere valerent, tuncque Ecclesia Romana censebatur habere dominium domorum, aedificiorum etc. imo quaedam communitates praesertim Minorum negabant se etiam in communi *mobilium* habere proprietatem, ita ut proprietas absque ullo medio ad Ecclesiam R. pertineret.

monasterio acquirat, quod monasterium retinet, etiam si monachus promoveatur ad episcopatum, vel transeat ad aliud monasterium (a). 2.° Nec etiam ille tamquam nomine conventus uti possit; neque si tamquam usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam acceperit. Usus tamen mobilium, et eorum, quae sunt vitae, vel studiis necessaria, ita ipsis permittitur, *ut statui paupertatis, quam professi sunt, conveniant, nihilque superflui sit; nihil etiam, quod sit necessarium eis, denegetur* ex Trid. (1): semper tamen ex permissu Superioris haec habeant, statim ac Superior ipse jusserit, relicturi. Hoc et de iis, quae usu consumuntur, intelligendum, nam cit. Trid. sic se habet: *nec eorum, quae ad necessitatem concessa erunt, ullus quidam possideat ut proprium, nec ut proprio utatur.* Ipsaque peculia seu pusilla pecunia, quam labore, parsimonia, aut donatione partam habeat sejunctam a rationibus monasterii; novaeque praestationes vulgo *livelli*, vel *vitalitii*, adversa cognoscuntur ingenio paupertatis: sustinentur tamen in quantum cum licentia Superioris, et

(a) Hinc ad restitutionem tenetur ille, qui a monacho, vel Regulari accepit aliquid absque Superioris ejus permissu. (*Const. Clem. VIII. ann. 1694.*) Quod si excedat valorem decem scutorum, nec a Majore Poenitentiario absolvi potest, nisi facta restitutione. (*Const. Bened. XIV.* Pastor bonus *ann. 1744.*) Exceptis tamen donationibus aliquibus moderatis ex licentia semper Superioris juxta decretum Urbani VIII (*const. Nuper.*) quo moderatur constitutio *Religiosa* Clement. VIII, et declaratur, posse donationis licentiam concedi *ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiae, ejusdemque conservationis erga ipsam Religionem, vel Conventum, aliisque causis ex sui natura actum virtutis, et meriti continentibus, modeste tamen, et discrete.*

(1) *Cit. sess.* nemine *2. Vide etiam Fagn. in cap. monach. 2. ex. de statu Monach.*

ad nutum ejus sint revocabilia(a). Ne vero facilius dispensentur Monachi in his, quae votum paupertatis comprehendit, Inn. III sic monet (1). *Non existimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec S. Pontifex possit licentiam indulgere* (b). Demum ut Religiosi numquam ab eodem voto desciscant, contra Religiosum, qui mortuus proprietarius aliquo reperiretur modo, sacri canones statuunt: ut (2) *ipsa* (proprietas) *cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur.*

Votum castitatis, quod est alterum solemne, perpetuo inhabilem reddit ad matrimonium valide contrahendum: dum simplex per se inhabilem non ad valide, sed

---

(a) S. Congregatio quaerenti, utrum liceret regularibus utriusque sexus quosdam sibi annuos reditus habere pro sui sustentatione, respondit nihil proprii possideri posse, sed quidquid acquiritur, statim Superioribus reddendum, qui prius necessitatibus illius, cujus intuitu comparatum est, providebunt, tum in monasterii usum reliqua impendent. Vide Bened. XIV de S. l. 13. cap. 12. num. 20.

(b) Ex dictis collige contra votum paupertatis peccare. 1.° Religiosos, qui rem temporalem, quae alicujus sit pretii, sine Superioris venia retinent, absumunt, permutant, commodant, alienant: haec enim omnia, quando fiunt proprio arbitratu, sunt actus dominii: 2.° qui rem ad quemdam usum concessam, in alium, licet honestum, impendunt, citra Superioris consensum; 3.° qui earum etiam rerum, quas possunt consumere, ut esculentorum, aut pecuniae ad iter faciendum datae, partem sibi subtrahunt, ut eam aliis largiantur, aut in alios usus, ex. gr. ludum sine Superioris permissu adhibeant. Sunt enim haec dominii actus.

(1) *De statu Monach. cap. 6.*

(2) *Cap.* cum ad monasterium de statu monachor.

ad licite contrahendum reddit (1). Diximus per se, quia nonnullorum simplicia vota etiam inhabiles faciunt ad contrahendum, quamdiu non dimittantur, uti scholasticorum Societatis Jesu (a). Calumniae, quibus contra hoc votum ineptire videntur haeretici ex sua incontinentia alios metientes, illud impossibile blaterantes, cum jam eversae fuerint, ubi de caelibatu egimus, illuc proin lectorem remittimus, ne recoctam crambem recoquere videamur.

Votum Obedientiae secum fert, ut deposita propria voluntate a Superioris nutu monachus omnino pendeat (2) in iis, quae nec divinae legi, nec regulae adversantur. Illis vero, si mandatum urgeat, obedientiam, quam Veteres caecam dixere, praestare debent, et juxta regulas Bened. sine mora, non tepide, et hilariter (b). Ex dictis de votis solemnibus facile erit colligere recte vocari *apostatas, et transfugas*, qui vota illa violant, et ad saeculum redire conantur, ita ut digni censeantur poenis, quibus puniuntur Aposta-

(a) Ex voto castitatis antiquitus communione Ecclesiae privabantur, qui nuptias adtentassent ex Chalced. c. 15. licet validae fuissent. Van Espen I. E. p. 3. tit. 13. c. 4. Inde invalidae habitae sunt, ita ut non solum turpes carnis voluptates, sed matrimonium Regularibus prohibeatur, ipsorumque conjunctio illicita, incestuosa, et sacrilega existimetur, ac liberi eorum tum quoad effectus civiles, tum quoad irregularitatem illegitimi habeantur c. 8. dist. 17. cap. 22. qu. 1. c. 40.

(b) Nec ergo per vota erga Deum, nec per promissa hominibus Religiosi sine consensu Superiorum possunt irrevocabiliter se obligare. Imo haec vota possunt Superiores irritare, at votum simplex per se non constituit in hac dependentia hominem. Confer c. cit. *si religiosus*. Contra hoc votum obedientiae praescribi non potest, quantumcumque extra monasterium degatur. Vide Fagnan. in c. *Sicut* 17. ex. de Regularib. in 6.

(1) *Bonifacius VIII. cap.* Quod votum 4. *de Voto.*

(2) *Cap.* Si religiosus 27. *de elect. in 6.*

tae (1) quales sunt illi, qui prorsus in religione manendi animum abjecerunt. Veteres canones monachos desertores excommunicatione plectebant (2). Nova disciplina non aliter se habet (3) (a).

(a) Expellendos monachos incorrigibiles a monasteriis regula S. Benedicti c. 28. clamitat: *ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.* Ejecti monasteriis antiquitus monachi inde tamquam laici vivebant. Verum mutata disciplina in eodem monasterio, vel diverso includuntur ad poenitentiam ex decret. Gregorii IX cit. can. de regularib. Urbanus vero VIII restituit expulsionem: cavit tamen ut, post alia canonica remedia, in carceribus anni spatio, prius detineantur, jejuniis, et poenitentiis subjicientur et si nihilhominus in malitia perseverent, tandem expellantur.

Hoc in regno decreto 14 Feb. 1813. cautum sic fuit:

» Art. 1. È permesso a' Superiori dei Regolari di tenere nei rispettivi Conventi una, o più camere in forma di carcere per la custodia disciplinare de' Religiosi, allorchè taluno di essi sia trasgressore della purità dei costumi, ed in generale de' suoi doveri, nascenti dalle regole del proprio istituto ».

» 2. Le camere per la custodia disciplinare non possono essere in pian terreno, ma in dei corridori del Convento, dovendo avere la stessa ampiezza delle altre stanze della comunità, e le finestre la stessa misura delle altre, difese però con cancelli di ferro ».

» 3. I religiosi, che per misure disciplinari vi saranno rinserrati, potranno trasportarvi il proprio letto, e qualche altra cosa, che sia loro necessaria. Si darà ai medesimi il solito cibo della comunità, tranne i casi ne' quali la rispettiva regola desse su questo articolo delle particolari facoltà a' superiori dell' ordine ».

» 4. La custodia disciplinare sarà ordinata dal Superiore della comunità, prese le debite misure, e licenze superiori, che prescrive la rispettiva regola.

5. Se la trasgressione designata nell' articolo 1. richiedesse più severe disposizioni, se ne farà rapporto al Ministro degli affari Ecclesiastici, ed in Sicilia al Luogotenente Generale, con

(1) *Luc. Ferraris V. Apostata num. 50. enumerat poenas Apostatarum.*

(2) *Concil. Chalced. cap. 7.*

(3) *Cap. ult. ex. de regular.*

CONCLUSIO NONA

Regimen Monachorum et Regularium expenditur ; exemptiones eorum declarantur.

Status Monachorum quatenus significat universam compagem regiminis eorum, qua singuli ordines cohaerent, et reguntur, veluti jus publicum monasticum constituit. Illud varium est, prout varia sunt singulorum ordinum instituta. Initio forma regiminis fuit monarchica summum abbatibus tribuens arbitrium (a): paulatim in aristocraticam deflexit, maxime firmatam ab Innoc. III in Lateranensi IV (1). Jesuitis exce-

---

esporre distintamente il caso, che esige tal maggiore severità, e potrà eseguirsi dopo ottenutone il corrispondente permesso ».

6. Se nei casi espressi negli articoli precedenti il Superiore della comunità avesse bisogno della forza, potrà richiederla all' autorità superiore del luogo, al quale è affidata la polizia ordinaria ».

7. Resta riserbato a' Religiosi il ricorso per via di abuso, sia per la qualità del carcere, laddove fosse contrario al presente regolamento, sia per l' eccesso delle misure disciplinari, oltre quelle, che sono state permesse.

(a) Horum maxima erat potestas in monachos : penes eos tam circa spiritualia, quam temporalia erat regimen, a quo reliqui omnes pendebant officiales, nec unius monasterii abbas alteri erat abbati subjectus. Ex regula Benedictina in rebus majoris momenti consilium petere solebant totius Congregationis, in levioribus tantum seniorum : reg. Bened. c. 3. In multis ordinibus loco seniorum *adsistentes* aut *discreti* eliguntur.

Ex nova disciplina *aristocratica* temperatum est regimen monasticum apud omnes ferme ordines, qua fit, ut Superiores in rebus expediendis adsensum vel adsistentium, vel capituli requirere debeant. (Erat *capitulum* in re monastica caput regulae a monachis in unum coactis legi solitum. Ab his lectionibus locus

(1) *In Cap.* in singulis 7. *de statu Monach.*

ptis, qui factiones, ambitum, et dissidia declinantes illam *Monarchicam* adhuc formam deperierunt. Consociata igitur post X saeculum monasteria, ortique ordines diversi vel generalem, vel provincialem, vel unam componunt congregationem. Hinc institutus *Superior generalis*, cui totius ordinis incumbit cura, institutus et *superior provincialis*, a quo provincia pendet; omnes instructi suis senatoribus, quos vel *definitores* appellant generales, vel *consultores*. Item *comitia* generalia, provincialia, et localia sunt constituta; Generalia praescripta ex Trid. (1) singuli ordines debent celebrare. In his disciplinae emendatio praecipue, et ordinis reformatio pertractanda est (2), atque *constitutiones* ordinum condendae sunt, quae aliquid regulae addant, detrahant, aut mutent.

Vicarii autem subordinati, et respectu Abbatis vel priores claustrales, vel sub-priores plerumque non adnumerantur praelatis (cujus nomine veniunt passim superiores generales), ordinaria jurisdictione praeditis (a). Qui in gradu superiore sunt, censentur habere jurisdictionem ordinariam, et concurrentem cum inferioribus (b).

---

ipse conventus, et ipsa congregatio *capituli* nomine dicta sunt, quod capitula ibi exponerentur.) Componunt capitulum monachi sacris initiati ordinibus, et sanctimoniales choristae.

(a) De monasteriorum ceteris officiis, Cellerariis, Procuratoribus etc. vide Thomass. pag. 4. l. c. 25.

(b) Ordinariam jurisdictionem exercent ii, quorum munus ex ipsa constitutione juris canonici spiritualem jurisdictionem, et curam animarum proprio nomine exercendam importat, uti Abbates, Provinciales, Generales, quorum jurisdictio est *quasi Episcopalis*, et exercetur non tantum *in foro interno*, sed *in exter-*

(1) *Cit. sess. cap. 8.*

(2) *Cap. 7. ex. de statu Monach.*

Quoniam vero gubernatio regularium non solum quoad internum regimen eorum spectari potest, sed et quantum ad subjectionem episcopalis jurisdictionis; de hac primum dicimus, quod, quaecumque fuisset potestas monachorum, semper ea civitatis Episcopo subjiciebatur, eo vel magis quod sacra ordinatione ab eo initiati erant (a). Sequutis temporibus sive ut quieti suae, ac

---

no quoad gubernationem corporis, mandata edicendo, munera conferendo, visitando etc. Haec jurisdictio est etiam contentiosa; nam praeter poenas leves, infligere et censuras ecclesiasticas possunt, atque ab ipsis absolvere, uti dictum est. Superioris localis jurisdictio censetur etiam ordinaria, nec deest ei potestas infligendi censuras. Potestas Superiorum regularium alia dicitur *dominativa*, *domestica*, *gubernativa*, *oeconomica* qualis patrisfamilias in filios, et domesticos competit, et fundatur in professione religiosa; alia *spiritualis* jurisdictionis primorum Pastorum propria, tum pro *foro interno* ex. gr. per absolutiones: tum pro *foro externo*; quae supposita exemptione a jurisdictione episcoporum, de qua mox, est *potestas quasi episcopalis* (*c. 5. de privileg. in 6.*) et continet directionem per praecepta personalia, statuta perpetua etc. quo etiam refertur jus dispensandi, *coercitio* per censuras, corporis castigatio etc.

Ex communi sententia moniales potestatis oeconomicae capaces sunt, non tamen jurisdictionis ecclesiasticae, quae in ipsas exercetur semper aut a praelatis virorum ejus ordinis, ad quem pertinet monasterium, aut ab episcopo loci.

(a) Monachos origine sua laicos fuisse constat. Quod si in antiquis monumentis a laicis distinguantur, id fuit ob vitae genus, quod profitebantur a laicis diversum. Quo vero sacra mysteria in usum monasterii celebrarentur, (distabant enim ab Episcopali, et parochiali Ecclesia) caeptus est aliquis monachorum inter clericos referri beneficio Episcoporum. Accedit, quod hi seligebant inter monachos, quos in Ecclesiae ministerium adsciscerent; inde fuit quod aucti clericatu primum pauci sint monachi, deinde ob utilitatem Ecclesiae receptum est, ut ii sacris ordinibus pro maxima parte initiarentur, quod saeculo XIV Clemens V edixit Clement. I §. 8. *de statu monach.* Monachi igitur clerici sunt exceptis illis, qui famulatui, ac manualibus operibus addicti sunt, et *fratres conversi*, vel laici dicuntur.

disciplinae observantiae consulerent Monachi; sive ne episcoporum quorumdam immoderatis, aut etiam simoniacis graverentur exactionibus; sive quod bonis affluentes, ampliorem adpeterent libertatem; privilegia, et exemptiones exquisierunt.

Equidem VI saeculo indulta eis fuit Abbatum electio ac exemptio ab Episcoporum exactionibus; et expresse Episcopis disciplinae diligentia, hoc est, auctoritas canonica reservata est (1), etiamsi monasteria sub tutela essent Sedis R. (a). Haec disciplina viguit etiam post annum Christi millesimum; ita ut si quae occurrunt per ea tempora Monachis privilegia indulta, de temporalium potius cura intelligenda sint, quam de canonica et interiori disciplina. A saec. XII exemptiones quoad spirituale etiam regimen obtinuere, quas tantopere D. Bernardus abhorruit (2). Subducti Religiosi inde plane fuere ab Episcoporum, et multo magis a parochorum auctoritate, ita ut in *dioecesi* manentes non sint *de dioecesi* (b).

Multum denique in Conciliis Lateranensi III, Viennensi, Costantiensi, et Trid. ea de re conquesti licet sint Episcopi, praevaluit tamen sententia, ut cunctos regularium ordines, personasque Summus Pontifex immediate sibi subjectas retinens, ordinariam in eos jurisdictionem Superioribus regularibus dimitteret, de-

---

(a) De electione praelatorum, nisi ex constitutione ordinis proprii dirigenda sit, jus commune videndum l. 1. decr. *de electione*. De officio autem, et obligationibus praelatorum multa praescribuntur ab Innoc. III c. *Cum ad monasteriorum* 6. et cap. *in singulis* 7. *de statu monach.*

(b) Confer constitutionem *Regiminis* Sixti IV, quae ob amplissimas, quas concedit, facultates, dicitur Mare magnum.

(1) *C.* Quum *et 3. ex de privileg.*

(2) *Epist. 42. et 180. ad Innoc. Papam et Lib. 3. de Consid.*

legatam Sedis Apostolicae Conservatoribus (1) aliisve Judicibus mandaret ad libitum suum, nonnullis exceptis causis, in quibus vel relicta, vel delegata Episcopis est jurisdictio in Regulares a Tridentino vel Pontificiis constitutionibus. De his jam antea diximus (2). Attamen subdere fas sit tum Innocentii X constitutionem (3), qua cavit, ut Episcopo subjacerent Conventus cujuscumque ordinis, qui quacumque ex causa sex religiosos h. e. quatuor sacerdotes, et duos laicos alere non possent; tum potiores resolutiones Bened. XIV Const. *firmandis* comprehensas scilicet 1.° quod possit Episcopus in Ecclesiis regularium conferre Confirmationem; 2.° inquirere de parocho regulari, et visitare Ecclesiam ejus, non exempta parochiali subjecta monasterio, ubi residet Generalis (a). Nec praetereundum 1.° quod Relares etiam pro foro conscientiae non possunt uti illis privilegiis, quae Tridentinum expresse revocavit suis

---

(a) De communicatione privilegiorum Regularium haec observanda manent. Religiosi Ordinum Mendicantium omnes habent communicationem mutuam privilegiorum ad instar *pariformiter*, et aeque principaliter ac directe concessam ex Bulla Leonis X, et ex Bulla aliorum PP. etiam non mendicantibus. Vide Tambur. de jure Abbatis tom. I. D. 17. quaest. 2. num. 8. hoc modo communicata intelliguntur etiam extraordinaria concessa aliis, at non sine omni limitatione; nam quae certum locum respiciunt, vel certae Ecclesiae concessae sunt in honorem alicujus Sancti, vel ob specialem rationem, uti indulgentiae *Portiunculae*, vel quae Pontifex specialiter aliis communicari noluit, cujusmodi sunt concessiones Greg. XIII, et Greg. XIV factae societati Jesu, non participantur. Demum minus Mendicantes communicant in iis, quae labefactant observantiam Regularem ex. gr. privilegium proprium testamentum faciendi etc. Ordinibus militaribus concessum. Ita P. Schmalzgrueber n. 87. et seq. *de privilegiis et excess.*

(1) *Trid. sess. XIV. de reform. cap. 5.*

(2) *Conclus 8. cap. X. pag. 443.*

(3) Ut in parvis *ann. 1654.*

decretis sufficiente clausula privilegiorum revocatoria munitis. Damnata enim fuit ab Alexandro VII propositio haec: *Regulares possunt uti privilegiis suis, quae sunt expresse revocata a Concilio Tridentino.* E contra etiam pro foro externo possunt uti illis privilegiis, quae non extant in corpore juris, et tantum sunt contra illa decreta Trid. quae non habent dictam clausulam. Ratio est: quia decreta generalia sine clausula expresse revocatoria non derogant particularibus statutis, vel privilegiis specialibus clausulis munitis, et speciali mentione, ac revocatione dignis. Alias Trid. revocasset omnia Regularium privilegia, quae sunt contra jus commune, cum jubet omnes canones observari.

Insuper Regulares *per se et regulariter* uti non possunt etiam in foro conscientiae privilegiis a Summo Pontifice *vivae vocis oraculo* concessis; quia absolute et efficacissime a Gregorio XV, et Urbano VIII revocata sunt. Dixi *per se et regulariter*, quia excipiuntur 1.° quae auctorizata sunt ab Officialibus, quibus ex officio incumbit fidem facere gratiis *oretenus* datis. 2.° Quae post revocationem ex novo concessa sunt, ac restituta, revalidata, et redintegrata, vel consuetudine, aut praescriptione obtenta. 3.° Merae declarationes privilegiorum, quia proprie privilegia non sunt ex DD. 4.° Illa privilegia *vivae vocis oraculo* concessa alicui communitati, quae ex postfacto, ne robur et firmitas ipsis deesset, ipsi Summi Pontifices suis bullis ita confirmarunt, quasi *de verbo ad verbum* inserta fuissent, imo etiam innovarunt, et de novo concesserunt per Bullas habentes *qualiacumque sint pro expressis*, ita ut semper maneant suo vigore, aut si revocata sint, statim post revocationem sint restituta, ac revalidata, prout Paulus V const. *Quantum*

Religio confirmavit privilegia Societati Jesu concessa etc. juxta graves DD.

CONCLUSIO DECIMA

Quaedam ad sanctimoniales spectantia, et praesertim clausuram earum observantur.

Praecipua sanctimonialium lex est clausurae (a). Bonifacius VIII perpetuam indixit clausuram monialibus (1): his enim nefas antiquitus non erat plerumque e monasterio egredi. Tridentinum hanc legem confirmavit jubens per Episcopos, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata, conservari, quantumvis exempta sint earum monasteria. Igitur vix in extrema necessitate terraemotus, incendii, leprae, epidemiae, aut aliis id genus periculis communibus e monasterio excedere possunt, cum scripta tamen Episcopi venia, necnon superioris, cui monialis subest. Quod cum venia tamen Sedis Apostolicae etiam ob alias causas, puta gravem infirmitatem, quae mutatione

---

(a) Vi constit. Pii V *Regularium*, et const. Greg. XIII *ubi gratiam*, etiam foeminae ingredientes monasteria virorum *sub falso praetextu privilegii*, *vel alterius facultatis*, et admittentes eas incurrunt excommunicationem latae sententiae: secus non incurrunt, si excludantur circumstantiae pravi finis, scandali, violentiae, injuriae monasterio illatae etc. Ex Suarez t. 5. *de censuris* disp. 22. sect. 6. Ceterum in praedictis Bullis non comprehenduntur. 1.° Imperatrices, et Reginae, ac Principes personae cum earundem competenti comitatu. 2.° Fundatrices in illis ordinibus, ubi est consuetudo illas admittendi. Verum admitti possunt foeminae cum reliquo populo intra septa monasterii virorum ad divina officia, et ecclesiasticam sepulturam.

(1) *Cap.* periculoso *unic. de statu regul. in 6.*

loci indigeat, datur eis (1). Verum si aliter fiat egressus, vel non legitime detur licentia tam ab egredientibus, quam licentiam egrediendi concedentibus, vel qualecumque auxilium ferentibus incurritur excommunicatio reservata, et per sententiam declaratoriam etiam privatio officiorum, quibus annexa est superioritas. Novitiae non comprehenduntur hac lege.

Septa autem monasterii ingredi nemini licet cujusvis aetatis, sexus, generis, gradus sub anathematis poena latae sententiae, nisi cui in casibus exceptis Episcopus permiserit, et Superior, cui subest monasterium ex eodem Trid., nisi diuturna consuetudo unius Episcopi veniam postulet: imo nec stante illa, ex sacrae Congregationis decreto, ipsis Summis Pontificibus annuentibus, quoniam clausurae custodia Episcopis concessa intelligitur, hi etiam absque Praelatorum Regularium venia, facultatem recte dant ingrediendi clausuram, aut arcent, quos velint, ab ingressu ejusdem, etiam sub poenis censurarum (a).

Episcopus ergo monasteria ingredi potest, vel ut visitet, vel alias ob causas, comitatu tamen non ma-

---

(a) Casus excepti sunt 1.° manifesta necessitas, puta incendii, medici, confessarii, coementarii etc. 2.° Si consuetudo rationabilis aliud habeat. 3.° Famulae saeculares, si aliae, quae velint profiteri, et in monasterio perpetuo manere, haberi nequeunt, recipi etiam ad longum tempus possunt, si ordinis regula, vel consuetudo non repugnet; ita tamen ut nunquam e monasterio egrediantur, donec dimittantur. 4.° Puellae cum licentia tamen recipi possunt, ut in monasterio educentur, et instruantur, licet nolint religiosum habitum suscipere; ita tamen ut ultra aetatis annum 25 non retineantur, et nequeant clausuram egredi, ac semel egressae non possint amplius admitti. Adultae vero ultra annos 25, et viduae non sunt recipiendae, nisi moniales fieri velint.

(1) *Vide Bened. XIV. de Synod. l. 13. c. 2. num. 26.*

jore octo personis non laicis, et annis gravibus, si alias necessitas non postulet, sub poenis prima vice interdicti ab ingressu Ecclesiae; secunda suppensionis a Pontificalium usu; tertia excommunicationis.

In Italia, insulisque adjacentibus Superiores Regulares semel in anno ingredi possunt monasterium a semet dependens cum uno socio; cum duobus, si Superior sit Generalis. Visitatori quatuor adsint moniales ex antiquioribus, caeterae in choro sint: nec enim nisi ad crates visitatio personalis fieri debet: ipsique osculenta, et poculenta interdicta manent intra septa monasterii. Si pluries vero intra annum ingredi opus fuerit, venia petetur ab Episcopo loci, qui et socium ei dabit (1). Si impeditus sit, quominus ipse visitet, differat potius, quam deleget visitationem. Haec omnia sub poena excommunicationis latae sententiae observanda sunt.

Accessum quoque ad moniales interdixit laudatus Bonifacius VIII et Trid. (2) nempe collocutionem etiam cum famulabus, quae degunt in monasterio; attamen ob causam probatam id licet habentibus Episcoporum permissum, qui in multis dioecesibus illam prohibent sub poena excommunicationis, exceptis consanguineis primi, et secundi gradus, necnon adfinibus primi gradus, dummodo constitutio particularis non obstet.

Regularibus insuper sine permissu Ordinarii ne parumper quidem, etiamsi absit pravus finis permissum est cum monialibus loqui sub poena excommunicatio-

---

(1) *Alexandr. VII. const.* felici *ann. 1664.*
(2) *Trid. ibid.*

nis *latae sententiae*, atque privationis vocis activa, et passivae (1).

Eligenda Abbatissa monasterii sit *non minor annis quadraginta*, *et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit*. Secus vel ab alio ejusdem Ordinis monasterio, vel ex iis, *quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserint*, *et quinque saltem annis post professionem recte vixerint* eligenda est. Ita Trid. (2). Electio fiat per vota secreta ita ut singularum eligentium nomina nunquam publicentur (3). Et quidem ab Episcopo, vel alio Superiore, qui audiens, vel accipiens vota *ante fenestrellam clausurae* cancellis munitam praesit electioni (4). Abbatissae porro in Italia, insulisque adjacentibus ad triennium tantummodo erunt in officio (5). Pariter ex eod. Trid. monialium regimen Episcopis permissum est, vel ut Ordinariis, vel ut Sedis Apostolicae delegatis, si monasteria exempta sint, et Apostolicae Sedi subjecta; nisi a certis capitulis, vel ab aliis Regularibus gubernentur (6). Attamen in his etiam monasteriis, quae Regularibus subsunt, Episcopo una cum Regulari Superiore quovis anno reddenda est ratio gestae administrationis, et Episcopus ipse malum administratorem ab officio dimovet, si Superior monitus prius non fecerit (quod et in Regulares exequi potest, qui in bonorum monasterii administratione deliquerunt (7)).

---

(1) *Confer Lucium Ferrarium verbo* Moniales *art. 4.*
(2) *Ibid. cap. 7.*
(3) *Ibid. cap. 6.*
(4) *Ibid. cap. 7.*
(5) *Greg. XIII. const.* exposcit *ann. 1682.*
(6) *Trid. ibid. cap. 9.*
(7) *Greg. XV. const.* Inscrutabili *5. t. 5. Bullar.*

Adhaec cautum ex cod. Trid. *ut praeter ordinarium Confessarium, alius extraordinarius ab Episcopo, et aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debet* (1). Quod si nolint peccata confiteri, tenentur nihilominus sese praesentare, ut monita salutaria recipiant, et actum subjectionis exerceant ex Clem. XI (2) (a).

(a) De confessario ordinario, et extraordinario vide Bened. XIV in const. *Pastoralis* ann. 1748: ubi postquam advertit veteris disciplinae consultissimam, et inveteratam legem non tolli, qua unus confessarius dumtaxat deputatur singulis monialium monasteriis, refert etiam sententiam D. Thomae, qui monet omnes Superiores, ut subditis suis, quibus unum certum confessarium designare solent, *haud difficulter* concedant licentiam alteri sacerdoti confitendi. Insuper laud. Pontifex hortatur eandem disciplinam Tridentini fore observandam tam cum aliis monialibus, quae licet clausurae legibus minus adstrictae sint, in communitate tamen vivunt; quam cum aliarum quarumcumque puellarum caetibus, quoties unicum ordinarium poenitentiae ministrum a Superioribus designatum habeant. Demum nec praetereundum ex laudat. constit. *Pastoralis*. 1.° quod extraordinarii deputandi sunt ab Episcopo, si ei moniales subsunt; si is negligens erit, a Cardinali Poenitentiario; quod si Superioribus Ordinum subjiciantur, ad eosdem illos deputare pertinet, his non providentibus, ad Episcopum loci ordinarium. 2.° Ab Episcopis possunt eligi in extraordinarios etiam regulares, et a Praelatis regularibus sacerdotes saeculares. 3.° Quo tempore extraordinarius ministerio suo fungitur, ordinarius non praesumat cujusque personae commorantis intra septa monasterii confessiones audire. 4.° Extraordinarius, postquam officium suum impleverit, abstineat ab hujus monasterii accessu, nec ullius generis commercium intra ipsum quomodocumque continuet, etiam sub spiritualis causae colore. 5.° Idem Pontifex ex S. Francisci Salesii monitu commendat Superioribus, ut *singulis monialibus*, quae praeter Confessarium extraordinarium communitati datum, alium *non ex animi levitate, neque ex indiscreta affectionis singularitate, confessarium extraordinarium peterent, non se difficiles praebeant.*

(1) *Ibid. cap. 10.*

(2) *Edicto* avendo *ann. 1708.*

Demum statutum, ut expensae in diebus festis propriorum Ordinum, adsumptionis habitus, professionis etc. sint moderatae (a).

De Virginibus sacris, aliisque, quae vitam vivunt communem, quarum originem vel ab ipsis Ecclesiae primordiis repetendam notavimus antea, sat erit nobis tantum heic adnotare quod sub die 20 Septembris 1815 de his cautum fuit (b).

(a) Alexander VII const. *pro commisso* ann. 1757 sub poena privationis officii Abbatissarum decrevit, ut solus cantus Gregorianus adhiberetur, neque commodato acciperetur extranea argentea supellex; atque ut celebrantibus sacerdotibus nec osculenta dentur, nec poculenta: Missaeque sollemnes a Confessario dumtaxat cantentur; notam expensarum voluit exhiberi Episcopo sub poena suspensionis Ecclesiae. Demum Clemens XI Encyclica *essendo giunto* ann. 1716 si secus fiat, monialem, quae expendit, et Abbatissam, quae permittit, privat voce activa, et passiva, atque decreta illa renovans declaravit non posse absolvi tales moniales, et Abbatissas nisi ab ordinariis. Alia dein encyclica *preme sommamente* eodem anno ad Arch. Neap. praecepit, ut poenis spiritualibus, ac temporalibus ab eo moniales absterreret.

(b) » Art. 1. Tutti i Conservatori di donne, esistenti in Napoli, i quali nel 1805, e negli anni seguenti sono stati amministrati da governatori laici, o da consoli delle diverse arti e mestieri, continueranno ad esser governati in egual forma ».

» 2. Quei Conservatori di Napoli, che nel detto anno 1805 venivano governati da sacerdoti secolari, o regolari, ovvero dalle rispettive superiore, continueranno ad esser regolati da particolari governatori, come lo sono attualmente.

» 3. Le eccezioni pronunziate col nostro decreto del 14 corrente Febbrajo per le congregazioni, e pie adunanze di Napoli, rispetto alla reddizione de' conti, saranno applicabili all' amministrazione de' conservatori descritti ne' due precedenti articoli ».

» 4. Il numero de' governatori di ciascun conservatorio in Napoli sarà quello di tre. Vi sarà sempre tra essi un Sacerdote, che verrà proposto dall' Arcivescovo di Napoli. L' esercizio delle loro funzioni durerà un triennio. Sono eccettuati da questa regola i Conservatori delle diverse arti e mestieri, de' quali si osserveranno i rispettivi statuti ».

CONCLUSIO DECIMAPRIMA

Nonnulla de Seminariis, Hospitalibus, et aliis locis statuuntur.

Seminarium censetur vere et formaliter erectum, quoties Alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam Concilii Trid. erudiuntur. Ita DD.

Origo seminariorum antiquissima est; quidquid enim

» 5. L'obligazione inerente ai consoli delle medesime arti e mestieri di rendere i conti dell'amministrazione de' conservatori innanzi ai razionali eletti dalle rispettive corporazioni sarà esclusivamente adempita ».

» 6. Tutti i conservatori di donne esistenti in provincia, i quali nel 1805 erano governati dai deputati, ed agenti eletti dai comuni, continueranno ad essere amministrati nello stesso modo ».

» 7. I Conservatori delle provincie, che nell'epoca stessa erano governati dalle proprie Superiore, ed ora trovansi commesse al regime delle commissioni amministrative, saranno d'ora innanzi amministrati da una Commissione particolare di tre individui, cioè da un ecclesiastico, deputato in ogni anno dall'Ordinario della Diocesi, e da due laici, proposti in ogni anno dal decurionato, ed approvato dal Consiglio generale degli ospizi.

» 8. Quei conservatori delle provincie, che nel 1805 eran governati dagli ecclesiastici, torneranno sotto l'antico sistema dell'amministrazione in quanto alla qualità degli amministratori ».

» 9. I conti, che dovranno dare gl'individui, o ecclesiastici, o secolari, i quali amministreranno le rendite de' conservatori delle provincie, saranno resi in conformità dell'art. 7 del nostro decreto del 1 corrente Febbrajo ».

» 10. Le disposizioni contenute in tutti i precedenti articoli rispetto a' conservatori saranno applicabili anche a' ritiri, ed agli orfanotrofii delle provincie ».

Tutto ciò che riguarda la parte spirituale di tutti i divisati stabilimenti, rimane sotto la vigilanza, e dipendenza de' rispettivi Ordinari ».

de canone quinquagesimoquinto Nicaeni Concilii sentiendum sit, cui minus probabiliter aliqui DD. referunt illam; certum tamen est horum vestigia in Conciliis Toletanis elucescere (1), nisi institutorem eorumdem dicere cum aliis velimus S. Augustinum saeculo V, qui de ipsis meminit in sermonibus de diversis (2); nec mirum: nihil enim magis publicae utilitati refert, quam quod optime regantur juvenes, atque ad omnem sapientiam instituantur, ac praesertim in spem cleri alantur, ita ut sacris initiari possint ordinibus, et velut arbusculae in Seminario educentur, ut suo tempore alius alio colendae vineae Domini transferantur (3).

At volventibus annis non adeo frequens eorum memoria occurrit, quod fortasse in scholis monachorum, aut apud Universitates Clerici instituerentur (a). Inde Cardinalis Polus, qui de instaurando clero Anglicano cogitavit, cuique ann. 1556 praeerat, juniores clericos in Seminario sub certa forma educari statuit. Tridentinum denique omnium maxime operam suam dedit, ut efficacius instaurarentur seminaria, atque multa ex his, quae commoda sperantur, emergerent. Hinc statutum 1.° (4) ut in qualibet Metropolitana Ecclesia, aut Cathedrali unum, aut duo seminaria erigantur; et si plura in una dioecesi seminaria essent, omnia ab eo, quod est in Cathedrali, dependere debeant, 2.° ut

---

(a) Scholas enim monachi habuerunt, atque academiae institutae jam erant. Verum in his etsi studium literarum facilius redditum sit, scientiaeque floruerint; disciplina tamen, et mores deteriores fuerunt.

(1) *Gratianus caus. 12. q. 1. c. 1.*

(2) *Sermon. 355. 49. et 50.*

(3) *Vide Bened. XIV. de Synod. l. 5. c. 11.*

(4) *Sess. XXIII. c. 18. de reform.*

in eo recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere competenter noverint, et quorum indoles, et voluntates spem afferant eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. 3.° Ut pauperum filii praecipue eligantur alendi sumptibus seminarii, filii divitum non excludantur alendi tamen sumptibus propriis. 4.° Ut tonsura statim, atque habitu clericali semper utantur, discant Grammaticam, cantum ecclesiasticum, computos, aliasque bonas artes, Sacram Scripturam, doctrinam confessionum audiendarum, Sacramentorum administrandorum, rituum et coeremoniarum. 5.° Ut quotidie Missae inserviant, singulis saltem mensibus confiteantur, et communicent, diebus festis inserviant Cathedrali, vel alteri Ecclesiae.

Insuper (1) formam quamdam regiminis imposuit, et 1.° decrevit, ut Episcopus eligat duos Canonicos, quorum consilio in iis utatur, quae ad institutionem, disciplinam, moresque juvenum pertinent. Duo item sint e Capitulo, quorum alterum Episcopus, alterum ipsum Capitulum eligat, ac duos denique e clero Civitatis eligat similiter unum ipse, alterum clerus. His deputatis secundae, et tertiae speciei utatur quoad temporalium administrationem, et procurationem seminarii Episcopus. 2.° Horum votum etsi necessario sit requirendum, uti consultivum tamen, non decisivum (2). 3.° Dicti duo Canonici Deputati, postquam fuerint electi, erunt perpetui, nec nisi justa de causa amoveri possunt (3).

Demum ut egestati seminarii consuleret, sustenta-

---

(1) *Ibidem.*
(2) *Sacra Congr. Concil. 16. 20. apud Barbosam.*
(3) *Vide Geraldum exposit I. in 6. p. 2. sect. 105. et seqq.*

tionem praescripsit ex reditibus mensae Episcopalis, Capituli, et quorumlibet beneficiorum Dioeceseos, atque facultatem tribuit Episcopis uniendi seminario *beneficia aliqua simplicia cujuscumque qualitatis, et dignitatis* fuerint. . . . etiamsi beneficia sint reservata, adfecta (a). Decrevit insuper, ut rationes redituum singulis annis Episcopus accipiat, praesentibus duobus e capitulo, et totidem e clero civitatis deputatis (1). Regulas vero, quibus Seminaria recte reguntur, facile erit colligere ex actibus Concilii Mediolanensis sub S. Carolo Borrom. parte 1.

Hospitalia graece Xenodochia a graeco verbo Xenos, latine hospitem recipere, proprie aedes significant suscipiendis hospitibus addictas; vulgo hoc nomine loca veniunt alendis, aut educandis, aut sustendandis cujuscumque generis indigentibus addicta, qui semper Ecclesiae Christi curae fuerunt; primi enim fideles Apostolis *offerebant pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum, dividebantur autem singulis, prout cuique opus erat* (2). Apostolos sequuti Episcopi non defuerunt huic officio, et ipsorum semper fuit pauperibus, infirmis, viduis, orphanis, peregrinis prospicere, quibus per diaconos, unde diaconiae dicebantur, partem oblationum, deductis, quae clericis, et fabricae impendenda erant, erogaverunt. Postquam Ecclesiae reditus nactae

---

(a) In hac unione beneficiorum servanda quaedam sunt, quae enumerat, et distinquit Bened. XIV de Synod. l. 9. c. 7. De taxa vero instituenda ab Episcopo juxta beneficii qualitatem, loci, et Dioecesis ubertatem, et caritatem, vide Const. Bened. XIII, quae incipit *Creditae*.

(1) *Cit. sess. et cap.*

(2) *Act. cap. 4. v. 3.*

sunt, *quarta* assignata est pauperibus (a). Pace vix Ecclesiae data, publicas etiam aedes sive hospitalia Christiani aedificare coeperunt, quibus pauperes exciperentur, et necessaria obtinerent. Haec autem duplicis sunt generis *religiosa* scilicet sive *ecclesiastica*, quae nempe Episcopi auctoritate erecta sunt (1); et *profana* sive *laica*, quae arbitratu piorum hominum instituta etiam ad tempus, dum ita sibi placitum esset. Ubi monumenta authentica desint, quae probant illa esse religiosa, juxta DD. id potest erui ex his: si constructa videantur ad instar Ecclesiarum: si aes campanum habeant; cum inibi divina exerceantur ministeria: si ab Episcopo minister ejus deputetur, aut confirmetur; adhaec sepultura, aut caemeterium, administratio Sacramenti Baptismatis, hospitalitas ab immemorabili exercita etiam ad id erunt argumento.

In titulum beneficii hospitalia aliquando concedi constat ex sacris canonibus, quorum beneficiarii obstricti sunt providere miseris ex lege fundationis beneficii inspectis; si quid vero supersit ex fructibus ejus, ad honestam suam sustentationem eo utentur. Haec tamen beneficia, quae Tridentinum supponit (2), clericis saecularibus prohibita sunt non obstante contraria consuetudine, *nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum* (3) (b).

(a) Vide quae dicta sunt tom. II. pag. 434. Mantissa *de temporali administratione Ecclesiarum.*

(b) Haec erant hospitalia, quae curabantur a Canonicis Regularibus, et Religiosis ordinibus, quorum Concil. Viennense me-

(1) *Cap. ad haec 4. de Religiosis domib. et Barbosa l. I. E. V. l. 2. num. 14.*

(2) *Sess. XXV. c. 8. de reform.*

(3) *Clement. II. de domib. religios.*

Omnia hospitalia Episcopo Dioeceseos subjici patet ex jure sacro, et civili (a): nisi exempta probentur, uti procedentibus temporibus factum fuit; aut aliud postulent leges, quae in eorum fundatione constitutae sunt; quinimo, et haec visitare, ac corrigere Episcopus potest, exceptis hospitalibus ordinum militarium, ac religiosorum, quibus antiqua institutionis decreta servanda sunt (1), et illis, qui sub immediata Regum protectione habentur, ut Tridentina Synodus statuit (2); attamen ab Administratoribus eorum laicis Episcopo ratio gestae administrationis reddetur quovis anno ex eod. Trid. nisi aliter cautum sit. Episcopos vero maxime decet curare, ut justitia distributiva servata, bona hospitalium distribuantur, et ut ait. Concil. Mediolen. V et IV, *in pauperum delectu* non egestatis inopiaeque solum, sed morum etiam ac vitae probitatis ratio habeatur (3).

Ex variis adjunctis, sequiori praesertim aevo, de his hospitalibus varia disciplina fuit etiam ex Concordatis Principum cum S. Sede. Vide Mantissam jam citatam *de temporali administratione Ecclesiarum* (4), ibique fuse, quae hoc argumentum, et alia loca pia spectant, enucleata facile erit videre.

---

minit et praesertim Ordinibus Militaribus, inter quos praecipuus fuit ordo Hospitalariorum S. Joan. Hyerosol.

(a) Non solum enim ipsa natura eorum hoc exigit, sed etiam ex epistolis D. Gregorii comprobatur praesertim 24. lib. 3. Chalced. c. 8. atque ex Decretalib. c. 3. *de religiosis domibus*. Vide Fagn. in hanc decretalem n. 2. Demum ex Justinian. L. *Omnem* 42. L. *Tangimur* 46. Cod. *de Episc. et Clericis*.

(1) *Clement. cit.*

(2) *Trid. sess. XXII. cap. 8. de Reformat.*

(3) *P. 5. tit. Quae ad pia loca pertinent.*

(4) *Tom. 2. pag. 454.*

CAPUT II.

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS.

Res corporales Ecclesiae, quatenus ad spiritualia referuntur, vel sacras, vel religiosas, vel sanctas jam pro re nostra interpretavimus. De corporalibus ipsis, quatenus corporalibus, restat dicere: de his nempe, quibus exterior Ecclesiae status, ac disciplina, sacrorumve ministrorum ejus sustentatio fovetur, de bonis, inquam, temporalibus ad religionis usum comparatis. Quod nostrum est hic exequi, ut fides in promissis ab ipso ingressu hujus tomi non desideretur.

CONCLUSIO PRIMA

Dominium rerum temporalium Ecclesiae declaratur, vindicaturque.

Universitas, et societas omnis, ut subsistat, bonis communibus, et temporalibus opus habet ad singulos conventus exercendos, ad opera externa praestanda, ad stipendia ministris suis tribuenda. Ergo catholicae Ecclesiae jam per orbem totum diffusae, et semper uni, visibili, et signis sensibilibus indigenti defuisset Christus, si eorumdem bonorum capacem eam non reddidisset, aut alias injustitiae obnoxiam fecisset, si haec bona retineret, proindeque nec sancta esset. Sed voluit equidem, et potestatem ei fecit dominii, ut sub regimine pastorum coadunata jus ad alimenta habentium, haec illis tribueret, et religionem etiam cultu externo exerceret, ac opera caritatis, qua excellit, promoveret. Et revera ipse Christus adhuc vivens in terra mortalis bona ei concessit temporalia ex oblationibus

fidelium; Apostoli ejus sequentes exemplum, Episcopos sub tali disciplina regere Ecclesiam docuerunt. Hinc jure non humano, sed divino semper, et a primordiis suis possedit Ecclesia (a). Possedit ad divitias usque, medio praesertim aevo, non barbarorum tunc dominantium ingenio, sed religionis vi, quae nunquam deficiens, etiam tempestate illa, et sapientiam docuit, et virtutes, praesertim beneficientiam non cessavit promovere, ut Isaiae vaticinium (1) comprobatum videretur: *Pro eo quod fuisti derelicta, et odio habita, et non erat, qui per te transiret, ponam te in super-*

(a) Ipse Christus adhuc vita mortali vivens loculos habuit Joan. c. 10. et c. 13. quibus opitulabatur fidelibus, et commune nascentis Ecclesiae unum aerarium fuit, quod *fiscum reipublicae Domini* ab Augustino in psal. 146. n. 17. dictum inde est, qui et Tract. in Joann. apud Gratianum c. 12. q. 1. c. 17. sic diserte colligit: *Habebat ergo Dominus loculos, et fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuens.* Dein Tract. 50. ibid. c. 12. docet: *Tunc primum Ecclesiasticae pecuniae forma instituta est.*

Nec deinceps ulla fuit Ecclesia, quae collatis symbolis pro facultatum suarum modulo sumptus non suppeditaret necessarios ad luminaria, vasa sacra, panem, vinumque eucharisticum necessarium habendum; agapes, et alia utensilia comparanda: ut Episcopi, Presbyteri, diaconi Ecclesiae inservientes alerentur, funera curarentur, hospitalitas exerceretur, virginibus Deo sacratis, viduis, orphanis, infirmis, pauperibus, ad metalla damnatis provideretur, ita ut ipsos Apostolos Christi sequutos exemplum *Act. 11. 44.*, *et 6. 34.* eorumque successores bonorum temporalium dominium habuisse non ambigatur; quod etsi tempore persecutionum in rebus consistebat mobilibus, quae facile asportari, abscondi, vel distribui possunt, uti pecunia, resque ad victum, et vestitum necessariae, Tert. Apolog. c. 38. attamen et hac tempestate immobilium dominium fuit Ecclesiae, quod ex edicto Constantini, et Licinii patet ann. 313 urgente restitutionem immobilium, quae ab Ecclesia abstulerant persecutores.

(1) *C. 6. v. 15.*

Aut dicant illi, oportet, Apostolos, Martyres, Episcopos tot saeculorum spatio injustos fuisse possessores bonorum, quibus usi sunt, nec militare eos potuisse bono Ecclesiae stipendiis ejusdem, nec de fructibus vineae, quam plantarunt, alimenta percipere sibi, et fidelibus, nec de lacte gregum, quos pascebant, ad pauperum, et sui sustentationem manducare; aut dicant, oportet, bona temporalia Ecclesiam *secundum regulam Christi* possidere. Insuper bona haec *res Dei sunt* ex canonum Apostolorum auctoritate a Trid. comprobata; quia *sacra sunt Deo*: quippe vota fidelium sunt. Non ergo contra regulam possidentur ab Ecclesia, quae potius hinc jure de iis disponit, nec offendit ideo rem publicam, a qua distinguitur fine, et regimine diverso. *Scimus*, ait Bossuet (1), *omnia* (bona Ecclesiae) *ut res dicatas Deo sacrosanctas esse, nec sine sacrilegio rapi, et ad salutaria revocari posse* (a).

Demum aliusne est proprietarius, qui possit in sui favorem titulos suae possessionis legitimae ostendere, quales Ecclesiae competunt circa dominium temporalium bonorum eorumdem? Oblationibus fidelium ad pedes Apostolorum depositis, ut inde in communi omnibus necessitatibus provideretur, caepit Ecclesia possi-

(a) Quamvis plures DD. tenent haec bona esse immediate sub dominio Dei, aut Christi; nec Ecclesiam habere nisi dispensationem eorum, non proprietatem. Alii non desunt, qui negant; quia dum agitur de re externa, et sensibili, videtur dominium tale supponendum esse, quale ad usus humanos requiritur. Age sit Christo dominium horum bonorum, sit dispensatio tantum eorumdem Ecclesiae, nonne haec jure possedit illa, jure divino dispensat? Christo immediate sit proprietas, eccur non erit etiam Ecclesiae, quae corpus est, cujus caput est Christus ipse? Vide Mamachium lib. 2. p. 2. cap. 5. *del dritto libero della Chiesa di acquistare e possedere.*

(1) *Defens. Declarat. lib. 1. sect. 1. cap. 16.*

dere. Post Constantinum jus ipsum possidendi competens Ecclesiae multis legibus firmatum fuit (a), simul ac ipsi Impp. et Reges splendidis largitionibus eandem dotavere (b). Fideles multa contulerunt amore religionis: Episcopi et ipsi res Ecclesiae augere studuerunt ad cultum augendum, et pauperum necessitatibus providendum. Monachi laborando agros foecundarunt incultos, Rempublicam scientia, et sudoribus illustrarunt. Ex his ergo *Nos satis scimus* (verba sunt Bossuet (1) speciatim de Romanae Ecclesiae dominio, et temporali principatu agentis) *Romanis Pontificibus, et Sacerdotali ordini regum concessione, ac legitimà posssessione bona quaesita, jura, imperia ita haberi, ac possideri, uti quae inter homines optimo jure habentur ac possidentur* (c).

Nec tamen mirum Pseudo-Politicos contra domi-

(a) Theodosius, et Valentinianus L. si quis 20. c. de Episcopis et clericis. Justinianus Nov. V. c. 4. Aliique.

(b) Jam a tempore S. Gregorii VII regnorum oblationes Romanae Sedi frequentes evaserunt. Erant scilicet regna oblata, quae ipsi reges Ecclesiae Romanae veluti dono dabant, eaque tum ab illa possidere profitebantur; atque ita reges, et regna in fidem et clientelam Romanae Sedis recipiebantur. Hujus generis regna ferme omnia Occidentis fuerunt, eoque nomine reges pendebant annuum censum, qui *denarius* S. Petri dicebatur, et aliquando etiam Potificibus jurabant fidelitatem. Confer Thomass. de V. et N. D. p. III. l. 1. c. 32. n. 5.

(c) Confer Thomass. part. 3. lib. 1. c. 17. 18. 19. qui ostendit praesertim ex Ss. Ambrosio, Augustino, Hyeronimo, Fulgentio non probatas fuisse a sanctis illis viris eas largitiones, quibus filii quasi exheredantur a parentibus, et eosdem aegre assensum dedisse haereditatibus integris admittendis; imo saepe aut non admisisse, aut admissas remisisse. Ex his os occluditur pseudo-politicorum injuste blaterantium Ecclesiam in damnum acquisivisse familiarum.

(1) *In const. Regn. lib. II. tit. 59.*

nium temporale Ecclesiae clamitasse; in idem enim inhiantes illam expoliare conati sunt bonis suis, quae disperdiderunt potius damno, quam reipublicae ipsius bono, ut ipsa experientia testatur saeculo, quo praesertim vivimus.

Verumtamen quoad politiam hujus regni pertinet, et jus civile, ut variae Dynastae fuerunt, ita varia illa fuit de horum adquisitione bonorum. Sane per plura saecula stetit penes Ecclesias libertas acquirendi bona stabilia. At sub Regibus Nortmannis, et Svevis, nisi cum regia venia, Ecclesiae jure civili adquirere non poterant. Quod in hoc regno Fridericus II comprobavit aliquibus modificationibus. Consensus, quo principes adquisitionem praediorum Ecclesiis concecedunt, *amortizatio* dicitur (a).

At paullo post Fridericum regno ad Andegavenses translato, lex illius contrariis moribus ferme desuevit, et sub ipsis Andegavensibus, ac deinceps, Ecclesiae, et loca Religiosa apud nos immobilia adquisierunt usque dum in regno Apuliae litteris Regiis ann. 1769 iterum vetitum est nova rerum dominia quocumque titulo sive inter vivos, sive in ultimis voluntatibus adquirere Ecclesias, et loca pia, exceptis ad exercenda

(a) A Gallico verbo *amortir* h. e. *ammortizare*, *estinguere*; eo quod permissa per illos *amortizatione*, res Ecclesiae datae, quoad civilem usum quodammodo extingui censebantur. Porro Ecclesiae manus mortuae hinc etiam dictae, quod ipsius res nunquam ab his, tamquam a mortui manu, in civile commercium rediturae sint. Confer Mamachium *del dritto libero della Chiesa di acquistare, e possedere*, ibique, quid de his sentiendum vocabulis, ostenditur. Quae autem lege contra amortizationem statuta erant, distinguuntur p. 1. t. 1. tit. 1. *Reali Dispacci* ann. 1769. disp. 3. et 7. ann. 1770. disp. 9. 10. 12. 14. 15. ann. 1771. disp. 17. ann. 1772. disp. 20. 21. 22. 23. 25. 26. 27. 29. 31. et alibi ann. 1774, et 1775.

opera publica addictis, aut quorum laici administri essent. Non autem sic res se habuit de sodalitiis laicorum vulgo *Congregazioni.* Quod aliis regiis rescriptis explicatum magis fuit, atque extensa prohibitio jam antea statuta nempe literis Junii, et Augusti 1770, et Septembris 1771.

Ultimis perturbationibus denique Regni, occupatione facta militari, omnibus monasteriis Regularium possidentium destructis, bonisque ad ipsos pertinentibus magna ex parte venditis, *Amortizationis Demanio* vulgo dicto reliqua concessa fuere. At pactis conventis inter Ferdinandum I, et S. Sedem multa de iis tum jam alienatis statuta videntur art. XIII; tum de existentibus adhuc, art. XII; tum de acquirendis libere ab Ecclesia, et locis piis art. XV multa cauta fuerunt, quae videre erit in fine nostri primi tomi (1) (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Ad decimas quae spectant, potiora recensentur, et enucleantur.

Decimae quoad suam essentiam possunt definiri: Quota fructuum, vel portio liciti lucri Deo debi-

---

(a) Quoniam art. 826. LL. Civil. statuitur dispositiones inter vivos, aut ex testamento in favorem hospitalium egenorum alicujus municipii, aut publicae utilitatis hospitiorum, aut corporum moralium irritas et sine affectu esse, nisi a Rege probentur, hinc ut de novo adquirant Ecclesiae sive ex testamento causa mortis, sive donatione inter vivos, in hoc regno *regium exequatur* ad validitatem adquisitionis exquiritur.

(1) *Pag. 294. et 295.*

ta (1) (a). S. Thomas de decimis agens docet, quod *eis qui divino cultui ministrant ad salutem populi totius, populus necessaria victui ministrare ex jure naturali debeat; sicut et his; qui communi utilitati invigilant, scilicet principibus, et militibus, et aliis hujusmodi stipendia victus debentur a populo* (2). Hinc decimas promisit Jacob ex voto, non ex lege positiva; quatenus vero sunt *determinatio* certae partis exhibendae ministris, ex lege Mosayca praecepta sunt, quam legem idem S. Thomas partim judicialem, partim moralem proinde docet, utpote nixam ratione perpetuo profitendi universale Dei dominium, et ex donis ab eo datis quaedam conferendi ad summum ipsius cultum. Quoad substantiam ergo, non quoad modum, juris divini esse decimas constat. A Deo tamen, et non ab hominibus institutae dicuntur (3), quia lex ecclesiastica praestandi decimas ad imitationem divini juris veteris testamenti est introducta. Nulla lex de decimis ipsis in Ecclesiae primordiis jam erat, quum frequentiores, ac liberaliores fidelium oblationes erant. Tum monitu Patrum, frigescente fidelium charitate, paulatim pendendarum decimarum consuetudo invaluit; deinde de his sol-

---

(a) Decimae vi nominis, decima sunt pars fructuum, et aliarum rerum per se licita. Decimanum agrum vocabat Cicero, ex quo decima pars Reipublicae pendebatur. Materialiter acceptae sunt ipsi fructus; formaliter jus eas percipiendi. Unde in decimis Ecclesiasticis jus istud est spirituale, seu spirituali adnexum consequenter, quia ex titulo spirituali, cui adnexum est, provenit, ut mox adnotabimus.

(1) *Ex C.* parochianos *de decimis, et C. Decimae 16. q. 1.*

(2) *2. 2. q. 87. art. in corp.*

(3) *C. 14. et c. 5. in parte decisa de decimis.*

vendis sanciti sunt canones; et tandem jure Decretalium decimarum solutio omnibus imposita est (a).

Usque ad saeculum XIII *praediales* tantum pendebantur, utpote ex praediis, vel urbanis, vel rusticis provenientes, sive *majores* ex vino, tritico etc. sive *minores* ex leguminibus oleribus, sive *novales* ex fructibus agrorum recens excultorum, uti sunt vineta in agris de novo plantatis, ut novos pariant fructus, vel saltem aliquos, quando prius nullos germinabant (1). Celestinus III personales etiam indixit pendendas, nempe ex rebus labore manuum comparatis, aut venatione, negotiatione, militia (b). Ex personalibus deducuntur expensae, non a praedialibus; ad has vero tenentur, qui titulo profano fundos possident in districtu Ecclesiae, vel Parochiae, cui decimae debentur: ad personales vero, qui sacramenta percipit ab Ecclesia, cui eidem illas proinde debet (c).

(a) Divus Thomas explicat, cur decimae, et non aliae fructuum partes institutae sint a Deo, et ab Ecclesia; nimirum quia denarius numerus perfectus est, qui continet omnes inferiores, et per quem superiores numerantur, quod fit reiteratione ab uno ad alterum denarium duplicem, triplicem etc. Debet autem manifestari perfectio etiam in modo extrinseco, quo veneramur Deum.

(b) Decimas, quae dicuntur *mixtae*, alii DD. assignant, quippe ex praediis provenientes, quae etiam industria opus habent, uti agni, lac, lana, foetus animalium. Alii vero istas, et forsan rectius praedialibus accensent, cum alicubi animalia continuo pascuntur, ubi et decimae persolvuntur arg. ex cap. *commissum* cit. et 1. pecoris ff. de servit. rust.

(c) Harum vestigia decimarum videntur relicta in reditibus stolae, ex. gr. in mortuario, aliisque exiguis sportulis parochorum, quarum criminatores ex ipso usu veteri earundem decimarum refelli poterunt. Vide Van-Espen. I. E. U. tom. 3. part. 2. sect.

(1) *C.* Commissum *decimis.*

Ad decimas obstringitur ex regula generali *fidelis homo de omnibus*, *quae licite potest acquirere* (1). Immo nec ipsi Monachi excludebantur; nisi ex privilegio exempti erant ab illis pendendis, non tamen id intelligendum de decimis, quae penduntur ex fundis jam antea juri decimarum subjectis; non transeunt enim bona ad alium cum praejudicio Decimatoris ordinarii, nisi etiam quoad tale onus sint privilegiati (2).

Verum Judaei, et Pagani ad decimas tantum praediales tenentur; ipsi enim extra Ecclesiam sunt. Immunis est a decimis persolvendis jure communi (3), qui specialiter sit exemptus. Ejusmodi tituli censentur

---

4. tit. de decimis. Decimae etiam distinguuntur aliae laicales, sive prophanae, quae olim temporales Domini praediis subditorum imponere solebant; aliae ecclesiasticae, quarum heic argumentum est: at ex his aliae subdistinguuntur, quae stricte sunt ecclesiasticae, et altaris ministris persolvuntur in sustentationem eorum, et aliae laicales quae ab Ecclesia justam ob causam seperatae a titulo spiritualis officii, laicis conceduntur: uti a Pontificibus concessae Regibus Hispaniarum in compensationem plurium meritorum erga Ecclesiam, et praecipue justi belli ab iis contra Saracenos peracti. In dubio tamen quales ex primaeva institutione fuerint decimae, praesumendum juxta DD. fuisse ecclesiasticas, et eo vel magis quod profanae in damnum cedunt Ecclesiae. Post decretum Alexandri III in Concilio Later. III. an. 1179. relatum in c. *prohibemur* de decimis, nonnisi Summus Pontifex alienare potest decimas in laicos ultra vitam illius, ad cujus favorem primo alienantur; idque ad reprimendum Praelatorum inferiorum abusum, qui decimas hujusmodi solebant in feudum perpetuum concedere. Immo concessa a Pontifice facultas laico decimas percipiendi, non intelligitur data, nisi ex praediis, quae existunt tempore dati privilegii; hinc non intelligitur data facultas percipiendi *novalia*. 1. Juven. Textus in c. *Tua de decimis.*

(1) *Cap. 23. eod. loc.*
(2) *C.* Nuper *54. eod.*
(3) *Clement. I. cap. 24.*

1.° privilegium a Summo Pontifice concessum (1); 2.° consuetudo, quae legitime sit praescripta, et 40 annis continuata cum titulo: per tempus immemorabile sine titulo contra Parochiam; contra privatum, per tempus ordinarium cum titulo; quadragenarium sine titulo; 3.° Consuetudo tamen a Parocho sine Episcopi consensu fieri nequit. Transactio, quae etiam pretio temporali simoniaca non est, et gratuita remissio de praeteritis, aut futuris. Ad remissionem vero requiruntur solemnitates ad alienationem necessariae, jure Decretalium, et Trid. (2). Subtrahentes, et impedientes decimarum pensitationes plectuntur excommunicatione, nec ab ea absolvi possunt, nisi plena restitutione sequuta; dummodo non sint impotentes; tunc enim, si jurent se fore soluturos, cum primum poterunt, sunt absolvendi. Ita DD. Hodie standum consuetudini locorum (a).

CONCLUSIO TERTIA

De primitiis, et oblationibus quaedam breviter perstringuntur.

Primitiae a decimis differunt, quod illae sunt primi fructus; haec pars decima omnium fructuum. Illae vero pro terrae frugibus collectis in gratiarum actionem

---

(a) Regio decreto ann. 1819. sub die 30. Jan. evocata dispositione 2. Decemb. 1813. qua vetita fuit exactio sic dicti *Demanii* debita Ecclesiis, titulo quartae decimae cathedratici etc. jura haec restituta fuere Episcopis, vacante vero Ecclesia, cui hoc jus erat, administrationi dioecesanae datur, ut percipiat illa eodem modo, ac primo obtinebantur.

(1) *Cap. 25. eodem.*

(2) *Sess. XXV. cap. 12. de Reform.*

Deo offeruntur: et ut proxime Sacerdotibus dentur in substentationem, et stipendium: ab utrisque oblationes distant, quia illis latius patent; nempe ut genus a specie. Fructuum primitias apud gentes etiam Deo offerri, et consecrari constat (1). In lege veteri dabantur primitiae ter in anno (2), in Paschate de novis spicis, in Pentecoste de novis panibus, Septembri de novis fructibus in festo tabernaculorum (3). In novo testamento, quo vivimus, jure ecclesiastico debentur primitiae (4), quatenus primitiae, non secus ac decimae, quatenus decimae, dabantur, et longe ante istas illae receptae habentur. Hodie contraria consuetudine passim sunt sublatae. Ceterum ubi adhuc obtinent, juxta consuetudinem loci sunt praestandae, ut Ostiensis docet (5).

Spectato jure communi primitiae solvendae forent Parochiae, in qua praedia existunt; sunt enim onera realia praediorum. Ita Barbosa (6).

Oblationis nomine generatim veniunt res omnes sive mobiles, sive immobiles quacumque ratione Deo elargitae. In praesenti denotantur res mobiles, et munera, quae sponte ad altare, vel extra illud offeruntur. In lege novi Testamenti nullum extat praeceptum offerendi. Ita D. Thomas (7): ratio est, quia sunt donum gratuitum. Per accidens vero potest quis ad illas adstringi promis-

---

(1) *Trid. 1. 2. Fast.*
(2) *Exod. Cap. 25. v. 15. et 16. num. 18. v. 12. Deut. 16. v. 2. 9.*
(3) *Levit. 2. 23. Deut. c. 16.*
(4) *C. 6. dist. 52. can. 65. q. 1. c. 16.*
(5) *Ad cap. 1. de decimis et primitiis.*
(6) *De Offic. Paroch. c. 25. num. 8. et 9.*
(7) *2. 2. q. 86. art. 7.*

sione, voto, donatione, consuetudine, praescriptione, indigentia Ecclesiae, vel ministrorum ejus (a). Ab aliquibus tamen personis oblationes recipi vetant Canones; etenim omnes, qui Eucharistiae communicabant, offerre poterant. Hinc offerentes res alienas, non baptizati, excommunicati vitandi, et publici peccatores, fratres dissidentes, vel oppressores pauperum, et alii, oblationes voluntarias, non alias debitas Ecclesiae vetuntur offerre, dummodo fiant extra missam, nec debitae sint ex consuetudine, quae introducta nonnisi de oblationibus fuit dandis ad altare (1).

Nisi de mente offerentium aliud constet, oblationes sive fiunt ad altare, sive ad piam imaginem, sive Parochus, sive alius celebret, ad Parochum spectant (2). Factae tamen oblationes in Ecclesiis Regularium ex privilegio in corpore juris clauso ad Regulares ibi Deo servientes pertinent (3), immo possunt

---

(a) Oblationum genera erant diversa. Aliae tempore sacrificii fiebant ad altare, quo loco etiam spicae novae, et uvae, oleum, incensum solebant offerri Can. Apost. IV praeter panem, et vinum, quorum oblationes, ubi panis azymus in sacris adhibitus est, desierunt, earumque loco honorarium Missae successit. Hodie si viget in pagis mos offerendi, inter missarum solemnia post Evangelium fit, nec oblatio pro Eucharisticis habentur. Alias oblationes II saeculo in arcam fideles pro arbitrio, ac voluntate sua apponebant. Decretal. c. 39. Inde institutum *gazophilacium* h. e. locus in *exedris* Ecclesiae, in quem oblationes hujus generis deferebantur. Concil. Carth. IV cap. 93. Erat quoque tertium genus oblationum, quas in suscipiendis sacramentis, in exequiis mortuorum, in dedicationibus Ecclesiarum, aliisque sacris officiis fideles offerebant. In hujus generis tamen oblationibus Ecclesia edixit non nefarias exactiones, sed sponte oblatas tantum recte recipi.

(1) *C.* quanto *de usura.*

(2) *C. 10. de praescript. c. 9. de his, quae fiunt a Prael.*

(3) *C. 1. de statu Monach. c. 16. de excess. Prael.*

Religiosi, nisi Constitutiones eorum obstent, vel consuetudo, habere in suis Ecclesiis truncos, capsulas, mensas ad oblationes recipiendas (1).

CONCLUSIO QUARTA

De rebus Ecclesiae non alienandis disseritur.

Tota disciplinae varietas quoad bona Ecclesiae non eorum naturam affecit, aut immutavit, sed solam administrationis rationem. Sive enim Clerici in communi viverent, sive portionem, ac sportulas diurnas, vel menstruas caperent de manu Episcopi, ejusque ministrorum, sive ex certorum bonorum massa clericis in communi attributa, sive ex certis fundis, aut praediis, quae singularibus clericis concedebantur post obitum communi massae restituenda, sive Episcopus, aut Canonici una, et communi ex massa sustentarentur, sive eandem postmodum partiti sint; mansit semper eadem bonorum ecclesiasticorum natura, et conditio invariata. Unde recentiores etiam canones Conciliorum, et Pontificum constitutiones appellant illa *Patrimonium Christi*, *alimenta pauperum*, *res Dei*. Nec cessat pro omnibus Bernardus monere (2): *Quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Alienationem rerum ergo Ecclesiae ex jure divino (3) prohibent canones: ait enim

(1) *Ex citatis Cc.*
(2) *Epist. ad Fulconem Canonic. Lugd.*
(3) *Levit. 25. et 27.*

Textus (1) *ut sicut ipsa religionis, et fidei mater perpetua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illaesum*, et alibi (2) *quia non decet, ut Praelatus dispergat, quae non collegit, cum sit dispensator, non dominus bonorum ecclesiasticorum* (a). Suc-

---

(a) Nomen alienationis hic late accipitur, continetque non solum dominii translationem quovis titulo factam, sed etiam quemvis actum, quo reditus diminuuntur, aut Ecclesia impeditur, quominus sua re libere fruatur. Hinc nec vendi, nec donari, nec mutuo dari possunt. Item dominium amittitur etiam sine translatione ex. gr. cum quis rem pro derelicta habet, licet ab alio non acquiratur, ut ex Sabinianorum sententia receptum est, in l. *pro derelicto 1. falsus creditor de furtis.* Insuper alienatio habetur quovis actu, quo reditus diminuuntur. Alienatur etiam per cujuscumque juris translationem, aut desitionem, de qua sermo est in leg. *alienationis de verb. signific.* ubi quicumque servitutem non utendo amittit, dicitur alienare: de translatione autem habetur *Sancimus c. de rebus alienis*, ubi sive lex alienationem inhibeat, sive testator, sive pactio contrahentium, intelligitur prohibita etiam ususfructus datio, servitutis impositio, emphiteusis, pignoris nexus, hypoteca, quae si sit specialis super bonis Ecclesiae, prohibetur ex textu in c. *nulli de rebus Ecclesiae non alien.*: juxta quem argumento a contrario petito patet, hypotecam generalem permitti, et ita declaratum a S. Congr. Concil. testatur Fagnan. in cit. c. *nulli*: nullus enim reperiretur, qui cum Ecclesia vellet contrahere, si semper Episcopus deberet adiri ad obtinendam generalem hypotecam in quolibet contractu. Alienatur insuper commutando, et transigendo super rebus, ut transferatur eorum dominium. Vide Barb. de potest. Episcop. alleg. 95. Unde etiam cessio litis motae prohibita est. Vide Quarantam in summa Bull. verbo *alenatio rerum Ecclesiarum* n. 22. Locatio demum ultra triennium alienatio aequiparatur. Extrav. *Ambitiosae* cit. tit. quod triennium computandum ex tribus fructuum collectionibus, adeoque si res quolibet triennio portaret fructus, triennium pro uno anno habetur, et illa locari posset ad novennium. Covar. ver. resol. l. 2. Locationes per anticipationem prohibentur non

(1) *In c. Jubemus. C. de sacrosanctis Eccles. repetita in can. 2. qu. 2. 20.*

(2) *In cap. quisquis.*

solum factae duobus, aut tribus annis, antequam conductor frui possit, sed et anticipata solutione, si nempe pretium non singulis annis, sed totum ab initio solvatur: de qua etiam intelligendum putant DD. quod Trid. sess. 25, c. 2. prohibet beneficiatis, ne successoribus sic locando damnum inferant. Nec praetermittendum, quod nomen Ecclesiae in hac materia favorabili late sumi debet; hinc veniunt non tantum loca sacra, sed quaevis pia, religiosa auctoritate superioris ecclesiastici constituta, puta monasteria, conventus, xenodochia etc. *Auth. hoc jus porrectum*. c. de SS. Eccl. et in c. *hoc jus* 2. caus. 10. q. 2. c. 5. de rebus Eccles. non alienandis.

Demum monendum, res, quorum vetita est alienatio, esse illas, unde annui reditus proveniunt, et quae rebus Ecclesiae perpetuo addictae sunt, sive sint praedia rustica, sive urbana, sive jura, item mobilia pretiosa L. c. 22. de Sacros. Eccl. novell. 7. c. 1. Arbores quoque grandes, unde fructus annui proveniunt, et quae caedi non solent. Hac enim in re beneficiarii usufructuariis similes sunt, qui fruuntur quidem fructibus arborum, et in locum demortuarum alias submittere tenentur. *Zypaeus in juris novo tit. de rebus Eccl.* De pecunia autem num inter res pretiosas mobiles referenda sit, necne, disputant DD. plerique tamen inalienabilem dicunt, si donata, vel a testatore relicta, aut ex venditione rei immobilis, vel mobilis pretiosae redacta sit in hunc finem, ut alia res immobilis, vel mobilis pretiosa exinde comparetur, quia sic censetur per factam destinationem inter immobilia.

(a) Hoc in regno decreto ann. 1833. sub die Decembr. modus praescribitur in alienatione rerum Ecclesiasticarum servandus seqq. articul.

» Art. 1. Non saranno valide senza la nostra sovrana approvazione le permute, le censuazioni, e qualunque altra alienazione di beni immobili appartenenti a corporazioni ecclesiastiche, Mense Vescovili, Badie, e Beneficii. Lo stesso deve aver luogo per le transazioni delle dette Chiese, e dei luoghi pii succennati ».

» Art. 2. Prima di rassegnarsi l'affare alla Sovrana approvazione, dovrà formarsi il progetto del contratto dal Corpo ecclesiastico radunato nelle legittime forme, o trattandosi di beneficii soggetti a padronato dovrà precedere l'assenso del padrono, ed

(1) *Ita Pp. Leo, et Anastasius in L.* jube *12. q. 2.*

al progetto stesso dovrà, previo l'avviso dell'Ordinario Diocesano, impartirsi l'omologazione del Tribunale della Provincia, ove sono siti i beni, e darsi il parere dalla Consulta dei Reali dominii ».

» Art. 3. Presso i Tribunali Civili, prima d'impartirsi la omologazione al progetto, dovranno eseguirsi le subaste, colle formalità prescritte dalla legge di procedura nei giudizii civili per la vendita dei beni immobili dei minori, e salvi gli additamenti di decima, e di sesta, dovranno esser preceduti da nuovi manifesti, con l'intervallo di cinque giorni prima di celebrarsi la subasta in grado de' detti additamenti. Nelle subaste dovrà sempre apporsi la espressa riserva di non produrre niuno effetto, se non quando vi accederà la nostra approvazione e qualora a Noi piacerà di accordarla. Dalla formalità delle subaste saranno esenti le transazioni e le permute ».

» Art. 4. Ci riserbiamo in qualche caso di urgenza, o di evidente utilità di dispensare nelle alienazioni dei beni ecclesiastici alla formalità delle subaste, in vista del parere favorevole dato alla unanimità dalla Consulta dei reali dominii, ed udito il nostro Consiglio ordinario di Stato ».

» Art. 5. Le stesse disposizioni, eccetto quelle, che riguardano la formalità delle dette subaste, dovranno eseguirsi nel reimpiego de' capitali, che si restituiscono dai debitori delle dette Chiese, e corporazioni religiose, quando eccedono la somma di ducati mille. Per quelli capitali, che sono al di sotto di questa somma, dopo la deliberazione del Corpo ecclesiastico presa nelle legittime forme, e l'approvazione dell'Ordinario, dovrà dimandarsi la nostra Sovrana autorizzazione, che ci riserbiamo di accordare, dietro il parere della Consulta de' nostri Reali dominii al di quà del Faro. I debitori però nel pagamento dei capitali di qualunque somma dovranno apporre la condizione del reimpiego, sotto pena di doppio pagamento a favore del corpo morale creditore ».

» Art. 6. Nei nostri Reali dominii al di là del Faro resta nel suo pieno vigore il Sovrano rescritto dei 5 Settebre 1821, con cui fu risoluto, che pei beni dei Regolari, in vece di sentirsi il parere dell'Ordinario, deve sentirsi quello del Giudice della Regia Monarchia ».

» Art. 7. Pei beni ecclesiastici di nostro Regio Patronato nei suddetti Reali dominii al di là del Faro, debbono rimanere in vigore i Sovrani stabilimenti, e l'osservanza che si sono finora mantenuti secondo i principii e nell'interesse della suprema Regalia e del Regio padronato ».

» Art. 8. Per le disposizioni contenute nel presente decreto non s' ntendono punto derogate le facoltà da Noi deferite al Conte di Siracusa nostro Luogotenente generale di Sicilia, per l'approvazione delle censuazioni, permute, translazioni, ed altri contratti delle corporazioni o dei titolari ecclesiastici dopo adempite le formalità prescritte dai regolamenti ».

Insuper quoad locationem earumdem rerum aliis octo articulis cautum fuit.

» Art. 1. La durata degli affitti appartenenti alle Mense Vescovili, alle Badie, ed ai Beneficî di qualunque natura non potranno oltrepassare i periodi qui appresso determinati. Pei terreni coltivati, oliveti, vigne, e simili, come pure pei predii urbani, e per le macchine di ogni specie, anni quattro. Per le terre addette al solo pascolo, anni tre. Pei boschi cedui e selve cedue, un numero delle porzioni, in cui sarà diviso il fondo. I fondi di questa natura saranno divisi in tante porzioni uguali, per quanti sono gli anni necessarii alla crescenza delle piante nuove. Tali porzioni saranno denominate 1. 2. 3. ec., ed in ogni anno non potrà recidersi, che quella sola, la quale vien indicata dal numero d' ordine. Il totale delle porzioni determina il massimo tempo da potersi stabilire nell' affitto per un tempo maggiore. Il titolare però del Beneficio dovrà diriggersi alla rispettiva Amministrazione Diocesana, la quale riconoscendo tale urgenza, o utilità emetterà all' uopo una deliberazione motivata, inteso il suo Regio Procuratore, e riferirà al ministero degli Affari Ecclesiastici per la corrispondente approvazione. Nei dominii al di là del Faro dovrà la dispensa a' termini accordarsi dall' Ordinario Diocesano previa l' approvazione del Ministro presso il Luogotenente generale.

» Art. 2. Non potranno tali affitti rinnovarsi più di sei mesi prima di spirare l' affitto corrente, se i beni consistano in case, e più di un anno prima di detta epoca, se i predii siano rustici ».

» Art. 3. È dichiarato nullo, nell' interesse di coloro che succedono al locatore nel godimento dei beni addetti al Beneficio, qualunque affitto, che si facesse per un tempo più lungo di quello stabilito nell' Art. 2., purchè in questo secondo caso non si fosse cominciato ad eseguire nel momento, in cui il locatore cessa in qualunque modo di godere de' beni ».

» Art. 4. È lasciato alla facoltà de' Vescovi, e dei titolari dei beneficii di qualunque natura il conchiudere gli affitti, previ avvisi, ed affissi, e colla formalità delle subaste da celebrarsi innanzi ad un notajo, ai termini del regolamento approvato dal Real

Decreto dei 9 settembre 1828 per gli affitti delle Amministrazioni Diocesane. Nei dominii al di là del Faro la formalità dell' asta in tutti gli affitti de' benefici sarà di rigore, secondo l'uso che ivi si trova introdotto ».

» Art. 5. Il conduttore di un cespite qualunque appartenente ad un Beneficio ecclesiastico non potrà anticipare nè in tutto nè in parte la mercede del medesimo al Vescovo o al titolare, che glielo loca, sotto pena di pagarla per intero al successore nel Beneficio, non ostante l' anticipazione fatta al precedente beneficiato, salvo bensì a lui il regresso contro lo stesso beneficiale, o i suoi eredi per ripetere tale anticipazione ».

» Art. 6. Quante volte sarà provato di essersi locati i beni appartenenti al beneficio per una mercede di sotto del dovere, dandosi dal conduttore occultamente una somma qualunque al titolare, il contratto sarà annullato ad istanza del successore nel Beneficio, ed il conduttore obbligato a restituire la cosa locata, senza poter pretendere alcuna indennità, neppure dagli eredi del locatore ».

» Art. 7. Le amministrazioni Diocesane invigileranno per l' esatto adempimento delle precedenti disposizioni. Per tale oggetto i Vescovi, e gli altri titolari de' Beneficii, tra quindici giorni dopo aver conchiuso un affitto, dovranno darne esatta conoscenza alla rispettiva Amministrazione Diocesana, con appalesarne la somma, la durata, e tutte le condizioni. Dietro questo rapporto l' Amministrazione dovrà insieme col suo Regio Procuratore esaminare diligentemente, se nell' affitto conchiuso sieno state osservate le suddette prescrizioni, potendosi mettere in corrispondenza col titolare per averne gli opportuni schiarimenti, e verificando delle controvvenzioni, dovrà farne immediatamente rapporto al Ministro Segretario di Stato degli Affari Ecclesiastici per le ulteriori misure da adottarsi. Trascorso il suddetto termine di giorni quindici, se il titolare non avrà dato parte dell'affitto conchiuso all' Amministrazione Diocesana, dovrà pagare alla medesima una multa corrispondente al decimo della mercede convenuta, e l' Amministrazione dovrà rivalersene mediante sequestro amministrativo alla rendita istessa, previa però l' autorizzazione del Ministro Segretario di Stato degli Affari Ecclesiastici. Nei dominii al di là del Faro i titolari dovranno dar conoscenza degli affitti conchiusi nel modo istesso al rispettivo Ordinario Diocesano, il quale in caso di contravvezione alle succennate di-

Justis tamen de causis, et debita cum solemnitate alienari bona Ecclesiae jus sacrum non prohibet, a quo civile non dissidet. Causae sunt 1.° *necessitas* ut solutio aeris alieni, non sufficientia fructuum ad Ecclesiae, et Ministrorum sustentationem, incultus fundus, aut ruvinosae aedes in emphiteusim tradendae (1): 2.° *utilitas*, ut cum alienatur una pro alia meliore re comparanda, aut cum res non modo non proficua sit, sed etiam damnum affert, vel incommodum, sive sit urbana domus (2), sive terrulae longe positae (3): 3.° *pietas*, scilicet pro redimendis captivis, alendis pauperibus, aut sepeliendis fidelibus (4): 4.° *aequitas*, ut si bona Ecclesiae concedantur ei, qui ad culturam, et meliorem frugem reduxit (5): 5.° *damnum vitandum*, ut mobilia, quae servando servari non possunt.

Solemnitas stat 1.° in praecedenti *tractatu* collegialiter a Capitularibus de alienatione ob utilitatem, vel necessitatem facienda, 2.° in consensu eorundem quoad majorem partem tunc praesentium (6), in pu-

---

sposizioni, ne farà rapporto al Ministero presso il Luogotenente generale pei provvedimenti da adottarsi »,

» Art. 8. Trattandosi però dei beni ecclesiastici di Regio Patronato nei Reali Dominii al di là del Faro debbono rimanere in vigore i Sovrani stabilimenti, e l'osservanza che si sono finora mantenuti, secondo i principii, e nello interesse della Suprema Regalia, e del Regio patronato ».

(1) *Clement. I. de rebus Eccles. non alienand. Et Just. Nov. 7. cap. 3. et Nov. 120. c. 6.*

(2) *Can. sine exceptione Caus. 12. q. 2.*

(3) *Can. Terrulas 12. cit. loc.*

(4) *Can. Apostol. 52. eodem.*

(5) *Can. Sanctorum. Can. aurum, et can. Gloria 12. q. 1.*

(6) *C. sine exceptione cit.*

blicum instrumentum redigendo (a). Denique requiritur beneplacitum apostolicum (1), quo stante, probatio patroni, si aliquis sit, necessaria non videtur (2) (b).

Poenae statutae in cit. Extravag. *Ambitiosae* contra alienationem illegitimam sunt: nullitas contractus, et excommunicatio incurrenda tam ab alienantibus, quam recipientibus.

(a) Hoc intellige, si Ecclesia habeat Capitulum, vel Collegium, ubi autem sit Ecclesia parochialis, vel cui nec Capitulum, nec Collegium sit adnexum, sufficit solius Episcopi consensus. Si vero Ecclesiae sint res Sedi Apostolicae subjectae, venia ejusdem requiritur. Sicut et auctoritas Provincialis, Generalis, vel alterius Praelati, si de rebus agatur pertinentibus ad Regulares, aliosve Praelatos, monasteria, aut Ecclesias, praemissa semper solemnitate tractatus.

(b) Beneplacito Pontificis opus non esse patet ex cit. cap. *Terrulas*, cui non derogavit Paulus II cit. Extravag. *Ambitiosae*, nec Trid. *sess. XXV. c. 11.* cum de terrulis agitur, vineolis, rebusque exigui valoris; verum etsi ex dicto can. non excedat, oportet, viginti solidos, nempe scuta 40. Rom.; Fagnanus tamen in cap. *nulli* hoc tit. n. 26. in fine testatur juxta declarationes Congregationis Concil. remittendum fore arbitrio Judicis, qui attenta qualitate temporis, locorum, et rerum hoc debeat definire. Hujus sententiae est etiam Abbas *in c. 1. num. 16. de restit. in integrum*, et Monach. *de arbitr. casu 149. n. 40.* Item nec ipsum beneplacitum requiritur, si alienatio sit de rebus datis Ecclesiae incapaci possessionis, ut monasteria Minorum observantium, et Reformatorum S. Francisci, et Capuccinorum, et similium; cum enim non possint ista in communi possidere, bona iisdem relicta Ecclesiae non intelliguntur incorporata; hinc alienabilia sunt absque solemnitatibus. Clemet. *Excivi* de verb. signif. et cap. *Exiit, qui seminat ad haec.* Denique si quis bona concedat Ecclesiae sub conditione, ut libere possit ipsa distrahere injussu Pontificis, uti de jure impossibili id reprobatur, et concessio valebit, etiamsi per contractum fiat. Ita DD.

(1) *Extravag. Ambitiosae.*

(2) *C. noverit. 10. q. l. ex Concil. 3. lct. IV.*

CAPUT III.

DE PROCURATIONE SEU ADMINISTRATIONE RERUM TEMPORALIUM ECCLESIAE.

De objectis jurisdictionis Episcoporum disserentes (1) jam temporalem administrationem Ecclesiarum a primordiis earumdem non omisimus enucleare (2) ad haec usque tempora et disciplinam, qua vivimus ex pactis conventis inter Pium Papam VII, et Ferdinandum I (a). Revera illa licet varia pro temporum varietate, semper tamen Episcoporum curae demandata fuit, quoniam bona quamvis temporalia ad Religionem non desinunt pertinere; morte vero Episcopi, aut alias

---

(a) His addendum decretum emissum a Ferdinando II feliciter regnante sub die 1 Feb. 1845 quod sic se habet.

Art. 1. Sarà aggiunto in ogni Commissione amministrativa degli ospizî un ecclesiastico nominato dal Vescovo della diocesi che avrà voto deliberativo in tutti gli affari che riguardano l' amministrazione, al pari degli altri componenti. Sarà ad esso lui confidato il carico particolare di tutto ciò che concerne il mantenimento ed il servizio delle chiese laicali e la esecuzione de' legati pii.

Art. 2. I Prelati delle diocesi per nostra speciale delegazione esigeranno nel tempo della santa visita dalle Commissioni amministrative locali un conto morale della loro gestione, e dopo averlo esaminato faranno conoscere, per mezzo del Ministero degli affari interni, le loro osservazioni su di ciò che abbian potuto riconoscere di lodevole o di difettoso nello stato dell' amministrazione.

Art. 3. Per agevolare la discussione de' conti materiali de' luoghi pii laicali saranno aggiunti al Consiglio dell' Intendenza due consiglieri provinciali a scelta dell' Intendente ed un ecclesiastico, i quali saranno addetti espressamente per questi conti.

(1) *Concl. VI. c. X. alterius vol.*

(2) *Pag. 434. eod.*

*

sede vacante nonnihil in hac re variatum est, quod restat hic dicere. Itaque ex Concil. Chalcedonensi (1) constat ad presbyterium devolutam illam administrationem, et sive per diaconos, sive per oeconomos reditus Ecclesiae administrabantur, ipsis Episcopis visitatoribus non exclusis, qui ad regendas vacantes Ecclesias mittebantur, ut res illarum servarentur, atque distributiones more solito fierent, reliqua penes eos servarentur integra. Tridentinum vero comprobata hac disciplina statuit, ut Capitulum unum, aut plures oeconomos sede vacante constituat, qui administrationem gerant, et ejusdem Episcopo futuro rationem reddant (2).

Labentibus tamen annis invaluit Ecclesiarum vacantium *regia custodia*, et reges retinuerunt sibi curam, ut institueretur oeconomus, qui consuetas redderet sportulas clericis, et successori Episcopo reliqui servarentur proventus. Sub Nortmannis, et Svevis apud nos etiam haec custodia obtinuit, quae tamen sub Andegavensibus desiit, cathedralibus exceptis regiae nominationis. Majoris commodi causa sub Joann. XXII apostolicis collectoribus, et subcollectoribus partes datae sunt, ut reditus Ecclesiarum, et beneficiorum vacantium, nomine Pontificis occuparent, et collectos sacro fisco traderent (a).

(a) Ex Bulla Julii III, quae incipit *cum sit nobis*, fructus pendentes tempore vacationis cedebant pontificio fisco, necnon illi, qui pro rata temporis, ea durante proveniebant, dummodo cessione beneficia non vacassent. Etsi vero in Italiae regionibus haec disciplina vigebat, quoad beneficia tantum pontificiae collationis, attamen in regno Apuliae, omnia quocumque mense vaca-

(1) *Can. 25.*

(2) *Sess. XXV. de reform. c. 6.*

At haec omnino non placuit quamvis bono Ecclesiae praescripta administratio, et Proregum praesertim tempore multa et continua bella insurrexerunt, quibus illi impedire sunt conati, quominus illa libere exequeretur. Sub Ferdinando IV duabus pragmaticis an. Julii 1779, et Octob. 1781 Mons dictus *Frumentarius* institutus fuit, sive regia administratio spoliorum, et redituum mensarum Episcopalium, Abbatiarum, ac aliorum titulorum vacantium etiam Regii Patronatus (a). Denique art. XVII Concord. ultimi sic praescriptum reperitur: « Mons Frumentarius. . . . supprimitur. —
» Vix nova dioecesum circumscriptione peracta, in
» qualibet earum constituentur *administrationes*
» *dioecesanae*, quarum unaquaeque constabit duobus
» canonicis e capitulo, seu metropolitano, seu ca-
» thedrali, tertio quoque anno, per suffragiorum plu-
» ralitatem eligendis, ac renovandis, et a Regio Procu-
» ratore, quem Majestas Sua nominabit. — Cuilibet
» Congregationi seu administrationi dioecesanae prae-
» sidebit Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis, se-
» de vero vacante Vicarius Capitularis. — Ordina-
» rius, et Regia Majestas per suum administrum, col-
» latis conciliis, fructus ex supradictis Beneficiis va-
» cantibus perceptos in favorem Ecclesiarum, Hospi-
» talium, Seminariorum, in subsidia caritatis, et in
» alios usus pios erogabunt, servata tamen dimidia

---

rent, eidem disciplinae subjecta erant. (*Bulla Pii IV. apud Redoanum* de spoliis.) exceptis cathedralibus regiae nominationis, et beneficiis jurispatronatus regii, et feudalis, quorum omnium, tempore vacationis, fructus successori cedebant.

(a) Huic monti ex aere publico mutuum additum fuit 60000 ducatorum, ut ex eo coloni frumentum ad serendum necessarium acciperent sub administratione Regiae Camerae, et terrae cultura praesertim Apuliae opportunius exerceretur.

» parte redituum Mensarum Episcopalium vacantium » pro futuro earundem Episcopo (a)». Hujus administrationis dioecesanae res in ordinem dispositae sunt certis regulis ab altis executoribus Concordati sub die 18 decembris 1818, ut facilius suum sortirentur effectum; praecipuas ex his regulis adnotabimus (b) ».

(a) Bona igitur, quae manent sub administratione dioecesana, utpote montem frumentarium subsequuta, sunt tantum ea, quae ad *Demanium* sic dictum pertinebant, quatenus derivata a clero saeculari et a reditibus beneficiorum vacantium ejusdem cleri; nam quae diversi erant generis, sub administratione erant dicta *Patrimonio regulare*, quod exitum jam attigit.

(b) Multae desiderabantur regulae, quibus 1.° electio, et officia administratorum regerentur, 2.° jura et onera Regii Procuratoris statuerentur, 3.° obiecta administrationis, et quaestiones ex illis ortae definirentur, 4.° jura administrationis, et actiones ejusdem distinguerentur, 5.° methodus pro reddendis rationibus praescriberetur. Haec ex actibus Executorum Concordati colligemus.

§. I. *Quoad illos qui administrationem componunt.*

1.° Hi elapso triennio nullo modo confirmari possunt, sed alii omnino in eorum locum sublegendi sunt: horum post triennium tamen possunt iterum primi eligi. Ita ex actis Concordati P. III. p. 58., et 216. et ex rescriptis 8. octobris 1821 et 25 Junii 1825. 2.° Si deputatus aut deputati, quos elegit Capitulum, non sint tales, ut in ipsis fiduciam Rex habere possit, Episcopo facultas conceditur etiam extra capitulum eligendi ecclesiasticum deputatum, si quem ad id idoneum judicaverit. Ita ex rescrip. 31 Octobris 1821. 3.° Absente, aut impedito aliquo ex deputatis, ejus vicem gerens a capitulo eligendus est non sine approbatione Ordinarii dioecesani: uti ex actis P. III. pag. 73., et ex rescripto 25 Martii. 4.° Cognati arcarii, vulgo *Cassiere*, et secretarius nequeunt esse deputati, nisi ubi alius arcarius, aliusque secretarius statuatur. Ita ex literis administrorum Regis vulgo *ministeriali* dictis, atque ex actis P. IV. p. 125. 5.° Ubi semel, atque iterum habitum fuerit capitulum pro legendis deputatis, et ho-

rum electio secuta non fuerit, haec ad Ordinarium devolvitur, qui, si in capitulo nullus fuerit, in quo Rex fidere possit, poterit quemcunque ex ecclesiasticis magis idoneum judicaverit, eligere. De hoc tamen certiorem regem facere tenetur, ut electionem adprobet, uti ex decreto 10 octob. 1827 et ex actis P. V. pag. 140. 6.° Quidquid de administratione dioecesana in Concordato statutum est, omnino extendendum non est ad Basilicam S. Nicolai Barensis, sed quidquid antea in usu erat, omnino servandum ex rescripto 15 septembris 1818 et ex actis p. II. pag. 43. 7.° Quoad vero abbadias Monasticas *nullius*, Montis Virginis, et Trinitatis Cavae, earumdem abbates constituuntur praesides administrationis dioecesanae, qui tamen duos ex parochis, aut in dignitate constitutis dioecesis, in qua fuerit abbatia, digniores eligere debent, atque horum electionem Regi significare, ut is procuratorem singulis abbatiis assignet, uti ex rescripto 26 augusti, et actis p. I. pag. 212. In qualibet administratione domi praesidis, aut illius, quem ipse destinabit, asservabitur arca, ut in hanc pecuniae, quae exigantur, deponantur, et quae expenduntur, exhauriantur. Haec autem tribus sit munita clavibus, quarum una apud praesidem, altera apud regium procuratorem, tertia apud arcarium sit.

§. II. *De Exactore, et Arcario*

1.° In quavis administratione sit exactor, qui reditus exigat, et arcarius, apud quem ille exactam pecuniam deponat. Arcarius pecuniam, quam administratio solvendam jusserit, erogat. Exactor, et arcarius ab administratione sunt legendi: pro utroque ipsa praestat, et velut vadem se constituit: eisdem conceditur merces ex exacta pecunia ab ipsa administratione, meliore, qua possit ratione, statuenda. Ea tamen non excedat sena in centena, uti colligere licet ex decreto 6 augusti 1818. Partes hujus, et privilegia eidem concessa pro exigendis reditibus erui possunt ex decreto 4 decembris 1827 ex quo habetur etiam methodus servanda, ubi agendum sit contra exactorem, et arcarium.

§. III. *De Secretario.*

Administrationi dioecesanae datus et fuit secretarius, cui nullum conceditur stipendium. Expensae tamen necessariae, et scriptoriae ei sunt solvendae, mercesque pro laboribus extraordi-

nariis danda. Episcopus ad id muneris Sacerdotem idoneum suae dioecesis deligendum curabit, atque hujus rationem habebit in provisione ecclesiasticorum munerum, ac beneficiorum.

§. IV. *De Regio Procuratore.*

Quoad hunc attinet, videndae sunt literae Encyclicae 6 Junii 1818, 4 et 6 decembris ejusdem anni, 17 novembris 1819, et rescripta 11. martii 1820, 20 octobris 1821, et Actorum pars secunda pag. 5. 8. 9. 54. 60. 66. ex his, quaecumque ad electionem illius, ad officium ejusdem, ad ejus vicem gerentem substituendum, casu quo ille impeditus fuerit, pertinent, colligere licebit. Quid vero possit, quid juris habeat, explicatum invenies in instructione pro dicta administratione, ad eandem missa literis encyclicis 31 octobris 1818.

§. V. *Objecta Administrationis.*

Objecta administrationis sunt varia, et colligi possunt tum ex decretis, et rescriptis, quae reperies in actis executorum Concordati, tum in literis encyclicis administrorum regis. p. 1. p. 143. 146. P. 2. p. 66. 159. 195. P. 3. p. 2. p. 71. 93. 96. 150. P. 4. p. 1. 196. 110. 133. P. 140. P. 12. p. 40. Praecipua vero sunt 1.° locationes ad hastam faciendae. Actorum P. II. pag. 665, 2.° venditiones fructuum. Ibidem pag. 110, 3.° tollenda sequestratio bonorum ad beneficia pertinentium. Ibid. pag. 103. 4.° pecunia cursui publico solvenda ibid. pag. 133. 5.° renovatio hypothecarum. Ibid. pag. 138. P. V. pag. 55. 6.° aestimationes peritorum, et restaurationes aedificiorum; ex encyclica 6 octobris 1819. 7.° media adhibenda ad plenam beneficiorum uniuscujusque dioecesis cognitionem comparandam; ex decreto 11 Januarii 1820. 8.° privilegia quoad reditus exigendos, et coactiones debitorum: ex decreto 21. aprilis 1834. P. V. pag. 71. 9.° viatica solvenda procuratori, aliisve ex deputatis administrationis dioecesanae. P. V. pag. 141. 10.° exactio pecuniae tempore debito non solutae. P. III. p. 60. decret. 23. Januarii 1816. art. 4. 5. 6. 11.° detectiones beneficiorum, aliorumque redituum quae fuerant occultata. Ibid. pag. 64. 12.° expensae judiciariae pro tollendis sequestrationibus. Ibid. pag. 190. 13.° sequestrationes bonorum mensarum vacantium, aliorumque beneficiorum. Ibid. pag. 212. 14.° solutio pecuniae debitae haeredibus beneficiarii aut novis beneficiariis, aut beneficium dimittentibus. Ibid.

pag. 180. p. 183. 184., et decr. 14 Maji 1836. 15.° dimidium redituum Episcopo novo, etiam translato reservandum. P. IV. pag. 181. 16.° alba *definitiva* atque *executoria*. P. IV. pag. 197. 17.° litium renuntiatio. P. V. pag. 55. 18.° vis *alborum*. P. V. pag. 61. 19.° pecunia soluta pro fundis a censu liberandis. P. IV. pag. 4. et 74. P. V. pag. 71. 20.° bonorum, quorum gestionem habet administratio dioecesana, invalida sequestratio conservationis ergo facta. P. V. pag. 73. 21.° expensae pro sequestratione redituum Mensae Episcopalis vacantis. P. V. pag. 78. 22.° methodus sequenda, ut, quid ad haeredes Episcopi defuncti spectat, liquido statuatur. P. V. pag. 89. 90. 23.° methodus, qua, quid solvendum sit a novis conductoribus, determinetur. Ibid. 24.° methodus pro inscribendis, aut renovandis hypothecis, et albis *executivis*. Ibid. 103. 25.° licitationes pro fundorum locationibus. Ibid. 105. 26.° locationes bonorum, quae ad Mensas, et beneficia pertinent. P. VI. p. 144. 27.° conciliationes apud praefectum provinciae. P. VI. pag. 6. 28.° annus civilis, et naturalis servandus in solvendis ratis portionibus P. VII. p. 65. 29.° Hypotheca quando inscribenda vel omittenda. Quaenam vero methodus servanda sit ubi rationes reddendae sint regiis administris, colligi potest ex parte V. pag. 5.

CAPUT IV.

DE BENEFICIIS.

De jurisdictione cum egimus c. IV alterius voluminis, multa interpretavimus, quae ad hoc pertinent argumentum de beneficiis; his enim pleraque munera adnexa sunt, ex quibus jurisdictio competit: quae ergo heic desiderantur, ibi enucleata lector reperiet.

CONCLUSIO PRIMA

Origine adnotata beneficiorum, natura eorumdem expenditur.

Ratio sustentationis clericorum quam fuerit varia ex disciplina varia hujus generis, jam enucleavimus cum de administratione bonorum temporalium Ecclesiae egimus (1). Unde in primis colligi fas erit, quod verbum beneficii eo, quo nunc utimur significatu, in ecclesiasticis monumentis antiquis non occurrit (a).

(a) Quoniam effectus merae liberalitatis Principum, aliorumque erant *fundi fiscales*, quos illi ad honestam vitam nobilium, aut emeritorum militum concesserant, ideo *beneficia* dicta sunt. *Du Gange Glossar. v. beneficium.* Dicta etiam a voce Germanica *feuda* lib. 2. de feudis tit. 23. utpote *Benevola actio tribuens gaudium capientibus sine praejudicio alterius.* Hinc a militia armata in sacram vocem beneficium jam IX circiter, aut etiam saeculo X in usum venisse videtur, quo Ecclesiasticorum redituum partitio significaretur. Exorta enim ecclesiastica beneficia ab hac partitione bonorum sunt; eaque perpetua in singulos titulos, et ministeria, quae saeculo VI. caepta in Ecclesiis ruralibus; tum latius extensa est, sensimque eo ventum, ut etiam paroeciae urbanae suos proprios reditus haberent post IX praedictum saeculum. Sic et eadem ratione Praebendae vox in Ecclesiam invecta est, quâ quaecumque ad annonam spectantia ex. gr. sal, ligna etc. Magistratibus, legatis, militibus, hospitii causa erogabantur, significarentur. Beneficium inde generale est nomen:

(1) *Mantissa pag. 434. alter. vol.*

Est autem beneficium jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale auctoritate Ecclesiae constitutum (a). Sunt itaque ad naturam beneficii statuenda essentialia 1.° *Jus*; non enim consistit in ipsa perceptione bonorum, et ministerio; sed in jure percipiendi reditus, seu facultate legitima, quam alii comparant usufructui; nam bona, et dominium ipsius fundi, unde fructus proveniunt, Ecclesiae, non clericorum sunt; alii similem putant dominio utili ad similitudinem feudorum, saltem si fructus ex bonis immobilibus percipiuntur; alii denique comparant juri censitico: quidquid tamen sit, jus istud semper *spirituale*, nunquam *temporale* cognoscitur, quoniam illius tantum clerici sunt capaces. 2.° *Jus* sit, oportet, *perpetuum*, scilicet natura sua ad finem vitae clerici duraturum; quia ex disciplina, cujus origo ad primordia Ecclesiae refertur, Eccle-

---

Praebenda est species beneficii, etsi per ipsam et fructus beneficii intelligi possint; specialiter itaque pro eo jure accipitur, quod canonicis competit, nempe portionem suam ex mensa capitulari, ratione praestiti in certa Ecclesia officii, sibi vindicandi, quod locum habuit, ubi canonici in summa saeculi decimi confusione vitam communem reliquerunt. Etenim in Ecclesiis cathedralibus bona inter Episcopum, et Collegium divisa sunt, et hinc distinctio inter mensam Episcopi, et Capituli: et inde ipsa mensa Capituli Cathedralis, ut et reliquorum capitulorum, abiit in tot partes, quot erant canonici, eorumque ministeriis perpetuo addicti sunt. At sacri canones beneficii, et praebendae vocabulis saepe promiscue utuntur: can. *Si quis* 2. et can. *ex multis* q. 1. q. 3. In tit. Decretalium vero *de praebendis, et dignitatibus*, per praebendas intelligitur beneficium minus, per dignitatem beneficium majus.

(a) Theologi, quibus placuit beneficium considerare non quoad jus percipiendorum fructuum, et ex sua origine; sed quoad titulum, et officium Ecclesiasticum, dicunt illud esse jus perpetuum ministrandi in Ecclesia, auctoritate Episcopi constitutum habens jus percipiendi fructus adnexum; quod tamen ad idem redire videtur.

siasticorum officiorum tituli proprie dicti nequeunt auferri, nisi judicium canonicum intervenerit, aut sponte data fuerit dimissio, aut nisi eae rarissimae circumstantiae contingerint, per quas pleno jure vacant dicta officia (1). Quod si reipsa sic vacaverint, aut morte etiam beneficiarii, adhuc nec extinguitur beneficium, sed solum vacat, et caret possessore (a) (2). 3.° *Ex bonis ecclesiasticis*, scilicet immobilibus, quibus Principum, aut fidelium donationibus Ecclesia fuit locupletata; nemo enim, ut ait Apostolus (3), cogitur suis stipendiis militare. 4.° propter *officium spirituale* (4) scilicet inserviendi Ecclesiae. Hinc vetus axioma, beneficium propter officium (b). *Auctoritate Ecclesiae constitutum*; etenim sicut cura redituum Ecclesiasticorum penes Epi-

---

(a) Beneficii datio ad certum ministerium natura sua perpetua est. Hac enim in re ratio beneficii respondet ordinationi, quae ordinatos clericos perpetuo suis titulis, unde accipiebant victualia, adscribebat. At beneficium minus stricte sumptum etsi in se perpetuum sit, quia nempe si alicui auferatur, alteri necessario conferendum sit, non tamen perpetuum est respectu beneficiati, quia ab eo ad nutum amoveri potest. Talia sunt beneficia *manualia*, et *regularia*, de quibus mox.

(b) Officium ecclesiasticum est munus *publicum*, et *permanens*, cujus vi aliquis agens proprio nomine exercet certas functiones ecclesiasticas, sive importent jurisdictionem; sive referantur tantum ad cultum divinum, celebrationemque publicam divinorum officiorum, ita tamen ut operarius dignus mercede dici queat, et Pastor seu cooperator in Ecclesia administranda, Innoc. III l. 1. epist. 82. Trid. sess. 21. *de reform.* c. 3. Hinc monent Doctores, si tempus a divino ministerio vacuum superest, bonis, piisque operibus esse impendendum, nec sola recitatione officii, officium beneficiariorum impleri.

(1) *C. Sanctorum 10. ex Urbano II.*

(2) *Confer Garz. de benefic. p. 1. c. 2. §. 1. n. 79. n. 13.*

(3) *1. Cor. cap. 9.*

(4) *C. ult. de Rescript. in 6.*

scopum antiquitus residebat, ita ejusdem auctoritas omnino necessaria, ut adhibitis de jure solemnitatibus beneficium constituatur. Unde beneficia juris ecclesiastici sunt, non divini, et Capellaniae etiam perpetuae non collativae, utpote ab Episcopi collatione non pendent, excluduntur a beneficii ratione (1) sicut et privatae capellae etiam in perpetuum dotatae pro celebrandis missis, etsi benedictae sint, non censetur inter beneficia, sed sub fundatorum, ac successorum dispositione manent. Adhaec conflatur beneficium ex jure ad proventus ex sacro officio, quod nisi ex Ecclesiae auctoritate dispensari non potest.

CONCLUSIO SECUNDA

Species beneficiorum distinguuntur, enucleanturque.

Beneficia a multiplicibus formis eorum, multipliciter distinguuntur. Ac 1.° a personis, quibus conferenda sunt, alia dicuntur *saecularia*, *regularia* alia, haec aut religiosis cumpetunt personis, et per eos administrari debent, aut monasticam disciplinam spectant (a); illa clericis saecularibus, id est, nullius Religiosi ordinis regulam professis conferuntur, et spectant ecclesiasticum ministerium stricte dictum, quo monastica officia non continentur. Juxta igitur regu-

(a) Hinc Abbatiae, et omnia reliqua officia claustralia suis propriis donata reditibus regularia beneficia sunt; necnon ea quae habent quidem officium ecclesiasticum, sed per monachos regi consueverunt. Utriusque generis beneficia regularia ex immutata monachorum disciplina originem habent, unde officia claustralia suis propriis reditibus aucta sunt, et ecclesiastica officia extra claustra exercere monachi coeperunt.

(1) *Rebuff. in praxi tit. quare instituta sint beneficia n. 10.*

las sacrorum canonum (1) Beneficia regularia regularibus, saecularia saecularibus conferenda sunt (a). 2.° Distinguuntur prout in eandem personam *plura* cadere possint beneficia, aut non possint, et ideo vel *compatibilia* sunt, vel *incompatibilia*, alias dicta aut *coacervata*, aut *singularia* (b).

(a) In dubio an sit saeculare, spectandus est ultimus status per cap. 24. de elect. c. 19. de jure patron. Si neque de hoc satis constet, praesumitur esse saeculare, consequenter titulare, et perpetuum; nam regularia, uti erit mox videre, per se sunt tantum manualia, nisi contrarium probetur per literas erectionis, seu fundationis beneficii, aut quod per 40 annos antequam illud a saecularibus possidebatur, pacifice administratum fuerit, et possessum per Regulares tanquam Rectores c. 5. *de Praebendis* in 6. Confer Navarr. *lib. 5. Consid. 3. eodem*. Aliud tamen est de parochiis pleno jure monasterio unitis. Demum observandum, quod Prioratus, administrationes, beneficia, officia unius monasterii committi non possunt Monachis alterius monasterii, sine dispensatione Sedis Apostolicae cap. *cum singula* 32. de praeb. in 6. et Trid. sess. 24. c. 10. *de Reform*.

(b) *Incompatibilia* alia sunt *suapte natura*, nimirum ratione residentiae, vel servitii ex. gr. duo beneficia curata, duae dignitates, duo personatus, duo canonicatus, in quibus viget Trid. dispositio residentiam exigens novem mensium; requirunt enim residentiam moraliter perpetuam: item duo beneficia *uniformia sub eodem tecto*, seu idem officium, et exigentia in eodem loco, uti duae capellaniae ejusdem obligationis in eodem altari, quia sic imminuerentur beneficiati, et cultus divinus. Alia vero sunt *incompatibilia ex accidenti*, *et dispositione juris*, quorum quodlibet praebet congruam sustentationem. Trident. sess. XXIV. c. 7. statuit, ut unum uni beneficium sive in titulum, sive in commendam deinceps conferatur, nisi ad honestam sustentationem unum non sufficiat, quo casu secundum conferri permisit, modo utrumque adsiduitatem non requirat. Ergo subdunt Doctores etiam ipsa simplicia beneficia, quae alendo beneficiario sufficiunt, singularia, et incompatibilia evaserunt. Ceterum etsi Trid. ipsum nihil statuit, quinam reditus ad honestam sustenta-

(1) *In cap. 5. 7. 14. 28. de praebendis Clement. 3. si Extravag.* Execrabilis; *Joann. 72. eodem Trid. sess. 2. cap. 5. et cit. 24. cap. 17. de Refrom.*

De pluralitate beneficiorum sat erit nobis doctrinam Divi Thomae exponere, quae sic se habet (1): » Plures praebendas habere, plurimas inordinationes

---

tionem sufficiant, in comperto est modestam, et frugalem esse debere. Quid ergo de moribus praesentibus, ubi non desunt, qui permittunt unam eandemque personam duo possidere beneficia, quorum unum, aut ambo maximi reditus sint, modo utrumque adsiduitatem non requirant? Sed de his consule Doctores morales.

Qui duas dignitates, personatus, aut beneficia curata etc. retinere simul praesumit, non tantum primum (quod ipso jure post plenam possessionem, et pacificam secundi vacat, scilicet si nulla lis ei mota sit, nullisque molestiis de facto turbata sit; nam alterius beneficii possessio adeo ad duos menses usque, priore retento conceditur, ut possit experiri, an molestiae superveniant), sed etiam secundum amittit saltem quoad titulum, non quoad possessionem, quia amissio secundi est poena ob retentum indebite primum, quae poena non incurritur ante sententiam declaratoriam Judicis. Insuper inhabilis fit ad alia, et ad sacros ordines suscipiendos: cit. Extravag. *execrabilis.* Si quis vero duo beneficia simplicia, vel unum simplex, et alterum curatum, aut duas dignitates, quorum tamen quodlibet praebet sufficientem sustentationem, simul retinere praesumat, tunc ex nulla juris dispositione, obtento secundo, vacat ipso jure primum, licet talis per Judicis sententiam cogendus esset, ut alterutrum dimittat c. 1. *de consuetud.* in 6. et Trid. sess. XXIV. c. 17. *de Reform.* Non vacat tamen primum beneficium incompatibile obtento plene secundo sequentibus casibus. 1.° Si Papae dispensatio habetur, cujus causae justae a DD. assignantur *Ecclesiae necessitas*, vel *utilitas*, aut *praerogativa meritorum.* Petens vero dispensationem in supplici libello debet memorare beneficium jam obtentum, etiamsi modicum illud sit: tum enim recta erit, si omnia ex fide bona exponantur. Indultas vero venias tenetur Episcopo exhibere, cui integrum est eas expendere, et minus legitime impetratas rejicere. c. 3. *de offic. Ordinarii* in 6. Trid. sess. VII. *de Reform.* cap. 5. Insuper obtenta dispensatio haec non valet, ut alterum accipere possit uno jam dimisso. Demum si alicui provideatur adjecta clausula, non *obstante quod jam aliud beneficiam habeat*, non ideo dispensatum censeri debet ad retinendum unum cum altero, quia

(1) *Quodlib. 9. q. 7. art. 15.*

» continet: 1.° quia non est possibile aliquem in plu-
» ribus Ecclesiis deservire. . . 2.° sequitur etiam di-
» minutio divini cultus, dum unus loco plurium in-
» stituitur, 3.° sequitur etiam in aliquibus defrauda-
» tio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona
» Ecclesiae contulerant, ut certus numerus Deo ser-
» vientium ibi esset, 4.° sequitur inaequalitas, dum
» unus pluribus abundat beneficiis, et alius nec u-
» num habere potest ». Hinc istam S. Bernardi sententiam profert: *Qui non unus est, sed plures in beneficiis, non unus est, sed plures erit in suppliciis.* 5.° Ex varietate officii, et ministerii spiritualis distinguuntur etiam beneficia sive sint saecularia, sive regularia, nimirum alia sunt *simplicia*, alia *duplicia*. Haec quatenus simplici opponuntur, conferunt aliquam tantum praeminentiam, et honorem, administrationem, vel jurisdictionem pro foro interno, vel externo, vel utroque. Et inde Doctores triplex horum beneficiorum genus colligunt, et nominant *majora* scilicet primas dignitates, excipe apices dignitatum quae nec inter majora numerantur beneficia

---

adjecta clausula tantum valet, ne impetratio secundi beneficii censeatur *subreptitia c. 21. de praebendis in 6.* 2.° Item non vacat primum beneficium, si is, qui alterum incompatibile beneficium obtinuit, in primo expensas fecit ex bonis suis patrimonialibus: tunc enim cogi non potest ut dimittat, nisi expensae restituantur. *Arg. c. 2. c. 12. q. 3.* 3.° Si Episcopus primi beneficii nolit ratam habere collationem secundi existentis in aliena dioecesi, sed clericum suum repetat, quod patet ex c. 4. *de Reform.* 4.° Si unum beneficium sit alteri accessorium. 5.° Quando primum ad honestam sustentationem non est sufficiens, alterum non requirens residentiam obtineri potest. 6.° Si Ecclesia cathedralis, Parochialis, vel dignitas sit valde pauper, aut debitis gravata; tunc enim obtinenti conferri potest beneficium simplex, et compatibile.

nomine beneficii, *media* tantum dicunt Archidiaconatum, vicariatum generalem, decanatum, abbatiam saecularem , et regularem, provincialatum; *infima* denique quibus annexa est jurisdictio in foro interno tantum , ceu parochiae , vicariae perpetuae , et quae dicuntur beneficia curata (a). Beneficia infima, et media communi nomine *minora* ab aliis appellantur (b). Inter eadem vero enumerantur *simplicia*. Quae nec jurisdictione nec administratione potiuntur; sed beneficiarii aliter divinae rei incumbentes, officio suo satisfaciunt (c). In dubio beneficium praesumitur

---

(a) Etsi habens jurisdictionem fori externi, curam habere animarum dicitur *c. dudum 54. c. 4. de elect.* uti erat Archidiaconus. Proprie autem, et magis ex usu beneficium curatum dicitur, quod habet populum, vel clerum, cujus cura beneficio adnexa est, et continet, quae ad salutem populi vel cleri sunt necessaria, vel utilia, uti maxime administrationem sacramentorum Eucharistiae, extremae unctionis, et matrimonii. De hac cura agitur a Trid. sess. XXIII. c. 1. *de reform.*

(b) Beneficia regularia duplicia sunt 1.° Abbatia, et praepositura generalis. 2.° Prioratus conventualis, prior scilicet Conventus Religiosorum, qui monachismum non profitentur, de quo loquitur *Clement. I. de rescript. ibique Gloss. in v.* Conventualem. 3.° Prioratus claustralis, Conventus scilicet monachorum, de quo dicitur cap. *cum ad monasterium de statu monachorum.* 4.° Officium Custodis, Procuratoris, et alia, de quibus *cit. cap.* loquitur. Dicuntur ista beneficia duplicia, quia illa obtinentes duplici cura fungi debent, et circa personas, et circa res monasteri. Rebuff. *in cit. tract. in proemio tit. beneficia regularia.*

(c) Inter beneficia simplicia recenseri debent 1.° *Canonicatus*, qui passim dicuntur beneficia simplicia majora. 2.° *Commenda* perpetua beneficii simplicis, de qua mox. 3.° Beneficium *Assisii*, seu Mansionarii c. *penult. de clericis non resid.* qui scilicet assiduum Ecclesiis ministerium exhibere, et perpetuo residere tenentur. Hi praeter canonicos in Ecclesiis cathedralibus, vel Collegiatis portiones ecclesiasticas accipiunt, et certis in locis beneficiati appellantur, et percipiunt reditus in Ecclesiis; sed mi-

simplex, et non curatum; qualitas enim non praesumitur, nisi probetur (1), 4.° adhuc est divisio beneficiorum in *manualia*, et non *manualia*. Haec in perpetuum titulum conferuntur, nec a beneficiario sine justa causa a jure expressa auferri possunt (2). Manualia ita conferuntur, ut arbitrio conferentis alteriusve Papa inferioris auferri valeant (a). His praestimonium additur, seu stipendium, quod sunt certi reditus ex bonis Ecclesiae desumpti ad alicujus sustentationem ex. gr. tempore studiorum. Quae tamen duo ultima natura beneficii ob perpetuitatis defectum carent; verum analogia juris beneficia vocantur, 5.° demum spectato jure, aut modo conferendi, beneficia nuncupantur *reservata*, seu *adfecta*, quae nimirum sunt pontificiae collationis, et *non reservata*, quorum collatio ad alios spectat. Dein *electiva*, quae per electionem collegarum; *collativa*, quae per liberam Superioris collationem, *patronata*, seu mixta, quae ad patronorum praesentationem deferuntur (b).

---

nores illis, quos canonici percipiunt. 4.° *Capellaniae* in perpetuum auctoritate Episcopi erectae.

Beneficia regularia simplicia sunt *Canonicatus regulares*, (*Gloss. in Clement. 2. v. beneficiis de judic.*) *et Capellaniae* in monasteriis *fundatae*, quae praesumuntur regulares, nisi contrarium probetur. Rebuff. *in praxi benefic. tit. quotuplex sit beneficium n. 16.*

(a) Talia solent plerumque esse beneficia regularia, quae ad arbitrium Superioris conferentis possunt auferri. Item Capellaniae spirituales, et collativae auctoritate Episcopi constitutae; aliter non beneficia essent, sed mera stipendia Capellanorum temporaria. Ita Garz. *de Benefic. p. 1. c. 2. §. 1. n. 81. et 82.*

(b) Vide quae dicta sunt c. VI. VII. VIII. IX. et X. alterius vol. ibique haec reperiuntur extricata.

(1) *Confer Garz. de benef. p. 1. c. 6. n. 28.*

(2) *Cum praecepta dist. 55. cap.* Satis. *dist. 56.*

CONCLUSIO TERTIA

Quae ad argumentum erectionis, et fundationis beneficii faciunt, praecipua observantur.

Beneficia non nascuntur, sed fiunt per *fundationem* et *erectionem* (a). Illa voluntate fundatoris habetur, qui praestituta congrua donatione super bonis stabilibus (1) onera, et conditiones volitas libello exponens postulat ab Ordinario, ut fiat erectio beneficii, quae nonnisi adsensu, et adprobatione illus sequitur; aliter profanum illud habetur, et appellatur capellania laicalis, aut legatum pium (b). Hinc in

---

(a) Fundator voluntatem, et causas impellentes, et finales fundandi asserens, eas in priori parte publici instrumenti exponit: puta pro redemptione animae suae, vel pro suffragio animarum suipsius, parentum etc. vel pro devotione erga Sanctum etc. insuper donatione irrevocabili constituat, atque designet, oportet, pro dote, ac fundo illius, hoc, illudve praedium etc. certis finibus describendum, annuosque ejusdem reditus, quos rector, vel beneficiarius, vel capellanus percipiet quotannis ad vitam cum onere celebrandi missas etc., vel alia sibi bene visa. Adhaec declaret opus est etiam Ecclesiam, vel capellam, vel altare, vel beneficium sub invocatione, ac titulo alicujus Sancti. *c. quia 15. de Rescript. in 6.* Sine titulo enim consistere beneficii erectio non potest: hinc ad certum altare fundata capellania in dubio praesumitur volita per fundatorem ecclesiastica.

(b) Excipe tamen beneficia majora seu episcopatus, et alias dignitates majores, ac canonicatus Ecclesiarum cathedralium, quae S. Sedis auctoritate erigi possunt: *Can. 1. dist. 22. arg. c. 4. de offic. legat.* nec nisi solum augere numerum Canonicorum potest Episcopus etiam in Ecclesia, ubi certus numerus canonicorum praefixus sit, modo satis aucti sint proventus. Ita DD. ex c. *de Const.* Quod Collegiatam vero spectat, jure communi poterat Episcopus erigere; at inde ex decretis S. Congr. solus Papa erigit. Rigant. in Reg: IV. Cancellar. tom. 10. §. 2. num. 95.

(1) *Cap.* Nemo *9. de Consult. dist. 1.*

actu primo scilicet materialiter *fundatione*, in actu secundo nempe ipsa *erectione* fit beneficium (1); nimirum decreto erectionis (a); nihil tamen nisi solum cathedraticum sibi potest reservare Episcopus. Observandum vero 1.° quod in hoc ipso decreto adprobat ordinarius conditiones a fundatore volitas etiamsi juri communi positivo contrarias (b); nunquam vero si turpes sint, aut naturae beneficiorum repugnantes (c) (2). 2.° Conditiones a fundatore positas, et probatas ab ordinario nequit nec ille mutare, nisi mutatio noceat nemini, et ordinarii accedat auctoritas; quod tamen non potest fundatoris haeres, aut Patronus; jus enim quaesitum tolli non potest (d). Per quadragenariam observantiam, seu legitimam

---

(a) Ordinarius nempe viso instrumento praedicto, ubi concurrant omnia necessaria ad beneficii naturam, et bona sint sufficientia, decretum suum interponit, quo Ecclesiam, vel Capellam sub invocatione, ac titulo alicujus Sancti, vel beneficium, seu capellaniam certo altari relictam erigit in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, eique dotem a fundatore constitutam applicat.

(b) Ex. gr. quod praesentari, et institui clericus etiam septennis debeat, non obstante lege Trid. et Concordatorum, qua aetas quatuordecim requiritur annorum etc.

(c) Ex. gr. Si beneficium laico, vel ad tempus velit conferri, aut velit, ut deficientibus clericis de familia vocata, dos ad haeredes redeat profanos etc.

(d) Episcopus, et Capitulum tamen potest circa beneficium nova condere statuta, modo non sint contra fundationem c. 11. *de Praebend.* Episcopus item in dubio, requisito tamen consensu Patroni, potest intentionem fundatoris interpetrari pro praesentibus circumstantiis ex. gr. si aliquid ignoravit, aut de novo accidit, expresse aliquid ordinavit, quod non potest utiliter fieri: puta si reditus ad id non sufficiant.

Verum non potest numerum extendere missarum, aut minuere

(1) *Glossa in Clement. c. 2. de Decimis.*

(2) *Quia contingit. in Clement.*

prescriptionem status beneficii mutatur (1), atque in dubio capellaniam laicalem censeri beneficium ecclesiasticum, si constet de una Episcopali collatione, vel institutione, ait Rebuff. (2). In re non dubia, si fundator noluit capellaniam esse beneficium, requirunt aliqui tempus immemorabile ex regula Bonifacii VII (3): aliqui omnem praescriptionem rejiciunt, ut voluntas fundatoris vim perpetuam legis habeat nunquam commutanda, nec violanda, nisi a Summo Pontifice ex Trident. quod decrevit ultimam cujuscumque voluntatem ex justa causa, et necessaria commutari non posse nisi Sedis Apostolicae auctoritate.

CONCLUSIO QUARTA

De Ecclesiis receptitiis, ac de regimine earum disseritur.

Ecclesiae, ad quarum regimen, servitium, et redituum participationem admissio activa, vel passiva pertinet exclusive ad clericos naturales sive originarios alicujus terrae, vel civitatis, descendentes a certo coetu personarum, vel familiarum fundatione, vel consuetudine immemorabili, dicuntur *receptitiae*, *matrices*, *patrimoniales* (a). Sunt itaque Ecclesiae Re-

---

ex fundatione praescriptarum, non obstante redituum deterioratione, nisi id ei a testatore datum sit. Ex decreto Congr. Concilii de mandato Urbani VIII. *2. Julii 1625.* quod comprobatum fuit ab Innocentio XII. *23. Decemb. 1637.*

(a) *Patrimoniales* a Patre, vel a Patria: a Patre, quia eorum clerici a certo coetu personarum, aut familiarum descendunt:

(1) *Cap. Cum de beneficio 5. de prob. in P. cap. 12. de Relig. dom.*

(2) *In praxi benef. de pacif. poss. num. 349.*

(3) *In cap. Episcopum de praescript. in 6.*

ceptitiae, vel *civicae*, vel *familiares*. Ambae vero vel *numeratae*, quippe certus est eis et fixus clericorum numerus, quem nunquam excedere licet, nec nisi uno ex illis vacante, alter admittitur: vel *innumeratae* sunt, si Patrimoniales clericos omnes recipiunt, nullo eis praefixo numero. Adhaec vel curatae habentur, cum cura animarum adnexa est eis, vel *simplices*, si ea sint destitutae (a).

His positis collige 1.° portiones clericorum Ecclesiis receptitiis inservientium non esse beneficium; deest enim illis erectio in titulum (b). Hoc patet etiam ex Trid. (1) quod sic se habet. *His autem sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi de fructibus ad Ecclesiam matricem*

---

quique filii patrimoniales vocantur: a Patria, quia Ecclesiae sunt quae clericos recipiunt naturales, sive originarios patriae. Insuper *Matrices*, quia considerantur uti Matres clericorum eorundem; etenim non facto aliquo, sed natura ad regimen, participationem, et servitium illarum admittuntur, quae sic eos recipientes *Receptitiae* appellantur.

(a) Etsi Praecipuum requisitum Parochiale sit territorium, in quo vivit populus cum numero competenti familiarum; attamen non implicat dari ex Apostolico indulto, vel antiqua legitima consuetudine jurisdictionem parochialem in personas, seu familias, quamvis in alieno territorio viventes. Confer de Luca *de Parochis* disc. 24. Hinc Curatae Ecclesiae Receptitiae dantur civicae, vel familiares, prout vel naturalium, et habitantium omnium loci, vel civitatis curam habent; vel alicujus certi coetus, et familiarum.

(b) Revera in limine fundationis, vel in ordinandis statutis harum Ecclesiarum, officium sive servitium quod eis praestatur, probatum non videtur ab ordinario, nec ipsi praebenda adsignata, vel confirmata, pronunciavit ille id ipsum erigere in titulum perpetuum ea conditione ut nonnisi per canonicam sui institutionem, vel Summi Pontificis collationem, aut institutionem perinde detur ac dari soleant beneficia ecclesiastica; sed potius officium seu servitium.

(1) *Sess. XXI. cap. 5.*

quodammodo pertinentibus. Hinc regulis Cancelleriae non tenentur.

Quid vero de natura sit harum Ecclesiarum, nostrum heic non est dicere, verum silentio involvendum non ducimus 1.° quod Concordatum Benedictinum cum de Tribunali mixto loquitur (1), cui facultas datur vigilandi, et curandi rectam administrationem locorum piorum laicalium, quid horum nomine sit intelligendum, his explicat verbis: *idest quorum procurationem laici habent*; 2.° quod bona harum Ecclesiarum non solum sub procuratione fuerint semper clericorum; sed et ipsum Tribunal in illa tamquam in alienas res nunquam invasit. Insuper in his vigilantia, et cura quamvis non immediata, nunquam tamen denegata Episcopis fuit. Imo dolentibus Episcopis de Ecclesiis eisdem receptitiis, Rex Ferdinandus I feliciss. recordationis die 7 Sept. an. 1797 ipsis remisit cognitionem idoneitatis illorum qui in illis admittentur (a). Hoc et comprobatum reperitur literis Apostolicis in forma Brevis (2) Pii Papae VII, quae incipiunt *Impensa*, ipso Rege Ferdinando I instante datis, quasque novo decreto (3) sanxit ipsemet Rex servandas, et in locum habendas jam suae praedictae dispositionis anni 1797. Has literas e re nostra erit enucleare, ut non modo comprobetur argumentum,

(a) Adde quod in literis Regii Administri sub die 10 Martii 1830 habetur his expressum verbis: « Le cause che la riguardano (chiesa recettizia), e che riguardano gli ecclesiastici, dei quali è composta, nel loro rapporto di partecipanti, non sono meno ecclesiastiche, secondo la vigente Polizia del Regno, di quelle delle altre *Chiese Collegiate* e Ministeriali non esclusa la revisione de' conti del Procuratore ne' termini dell' art. XIII. fondamentale degli statuti ».

(1) *Cap. XI. art. 10.*

(2) *Die 7. Septembris 1819.*

(3) *7. Septembris 1819.*

de quo agimus; sed et quid nova ac vigenti disciplina sit de receptitiis, videatur.

Igitur verba cit. Brevis *Impensa* haec sunt: « Pien- » tissimi Regis cum desiderium in summam animarum » utilitatem, et in sanctiorem Ecclesiarum cultum » cessurum esse dignoverimus, annuendum eidem » sine haesitatione censuimus. . . . decernimus et » mandamus, ut in posterum ad portiones suscipien- » das in *Ecclesiis receptitiis* illi tantum admittantur » Sacerdotes, et clerici, qui a Venerabilibus Fratri- » bus Archiep. et Episcopis, aut Ordinariis locorum » pietate ac doctrina commendatiores fuerint inven- » ti ». Praescribur inde quid ad assequendum possessum praestitutae portionis requiratur, ut examen scilicet coram dioeceseos Episcopis, vel coram Vicariis Generalibus, ac tribus Synodalibus examinatoribus instituatur, et quos caeteris magis idoneos illi judicaverint, iisdem jus conferant, atque in possessionem designatae portionis immittant. Denique sancitur nullam interponi posse appellationem ab Episcopali decreto ad Superiorem Judicem.

Ex his patet 1.° jus adscribendi clericos receptitiis Ecclesiis dumtaxat Episcopis concessum praevio examine, quod in principio vel ipsorum erat capitulorum, vel Congregationum clericorum, uti DD. rerum hujus regni, et de Luca in discursu de Canonicis monent.

Verum successu temporis, ut ex receptitiis Ecclesiis utilitas magis caperetur, et fructus; fuit commissio quaedam Episcoporum delegata a S. Sede cui Apostolicus Nuntius praesidens plures emisit instructiones, regio rescripto comprobatas (1). Harum unam aut alteram pro re nostra juvat referre cum alias

---

(1) *Sub die 28. Septemb. 1822.*

ex actibus executorum ultimi Concordati facile quisque colligere poterit disciplinam praecipue spectantes earumdem Ecclesiarum praesertim ex Part. III. pag. 102. 103. part. IV. pag. 79. 80. 130. 155. etc. part. V. pag. 10. 29. 64. 125. part. VI. pag. 7. 15. 16. 37. 54. 95. 109. 113. 127. 139. part. VII. pag. 81. 171. 125.

Et 1.° cujusvis naturae Ecclesiae receptitiae sint in limine fundationis, licet etiam cathedralibus, aut collegialibus titulis fuerint adnexae, numeratum clerum habeant incardinatum, et constanter inservientem Ecclesiae juxta normam quam Episcopi inspectis locorum circumstantiis, fidelium numero et reditibus praescribent (a). 2.° Jus praefinitae partis redituum

---

(a) Efficere, ut receptitiae Ecclesiae sint omnes numeratae, congruit ipsi S. Tridentinae Synodo, quae sess. XXI. c. 4. sic se habet: « Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati in » omnibus Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus » ita numeratus sit, ut unus Rector non possit sufficere Eccle- » siasticis Sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, » *cogant Rectores*, vel alios, ad quos pertinet sibi tot Sacerdotes ad » hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhiben- » da, et cultum divinum peragendum ». Quod art. 8. ultimi Concordati congruere nemo non videt.

Nec id novum in hoc regno, ubi advertit ipse de Luca disc. 18. 21. et 22. *de Canonicis*, Parochiales plures Ecclesias esse, quibus adnexae Congregationes sive uniones clericorum sunt earundem servitio addictae etiam numeratae. Hoc autem naturae contractuum nec contradictorium est; etenim in contractibus mere correspectivis, uti idem cit. de Luca monet, habentibus tantum successivum tractum, ubi ex variatione temporum aliarumque circumstantiarum, contractus reducuntur ad nimiam injustitiam et inaequalitatem, tunc reformari debent, et reduci.

Quod vero dicitur, *licet sint etiam adnexae cathedralibus, vel collegiatis*, non intelligendum tamen ob id, cathedralium ipsa-

quo gaudent clerici adscripti iisdem Ecclesiis praevio examine praescripto, ut ecclesiasticus titulus agnoscitur. Hinc eo titulo ad sacros ordines promoveri possunt (a). 3.° Titulares debent satisfacere missarum legatis, quae sunt Ecclesiae praediis adnexa. Si vero ingens sit earum numerus, Episcopi venia a Pontifi-

---

rum, vel collegiatarum jura receptitias participare, ut eae de capitulo esse dici possint, aut vocem habere in ipso, cum clerici earumdem Ecclesiarum nullum habeant a Papa, vel ab Episcopo titulum formalis beneficii; sed sint semper simplices presbyteri ad servitium recepti earum; cessante autem titulo canoniae, vel beneficii, non datur collegium, sed potius Congregatio. Gonsalez ad reg. §. Gloss. 19. Hinc quamvis vocem, et votum habeant in aliquo capitulo, cui sint adnexae, quia particulari consuetudine id habent, et non communi, proinde talis consuetudo ad hoc iisdem non favet; et cum habeant a jure potius exhorbitandi, hinc nec a casu ad casum nec a capitularibus illis actibus, quos exercent, scilicet vocem, et votum ad actus omnes jurisdictionales extendenda, ut de capitulo dici possint. Confer de Luca *de Canonicis*.

(a) Ipse Xistus V. P. M. uti ex Pignatelli habetur t. 5. Consult. Canon. Consult. 77. n. 34. decrevit, (non obstante sua constit. *Sanctum*, *et salutare*, qua sub gravissimis poenis praescripserat sacros ordines nonnisi titulo beneficii, vel patrimonii conferri), posse ab Episcopis clericos ad ipsos ordines promoveri qui adscripti participationi essent massae communis alicujus Ecclesiae, dummodo addicti remanerent servitio, et bona stabilia, et reditus certos participarent congruos sustentationi eorum. Proindeque numerus sit praescriptus clericorum reditibus ipsis conveniens.

Item Clemens VIII. per S. Congreg. Concilii pluries rescripsit *in Neapolitana* videlicet, quod hi qui ad titulum massae communis in Ecclesiis receptitiis promoveantur, licite promoveri possunt, si hae conditiones concurrent, 1.° quod redditus sint fundati super rebus stabilibus, et tutis, 2.° quod numerus participantium sit certus, et pars cuique contingens tanta, ut sufficiat ad congruam sustentationem, 3.° quod taliter ordinati intelliguntur obligati illi Ecclesiae tamquam beneficiati ejusdem. Confer Pignatelli cit. loc. qui testatur ex eadem S. Congregatione idem declaratum pluries. Et Cardinalis de Luca disc. 22. *de Canonicis* n.

ce imperata juxta rescriptum ejusdem illum minuant (a). Praeter haec a commissione Episcoporum statuta alia sunt, quae facile quis colliget etiam ex actibus executorum Concordati (b).

---

50. subdit de hoc regno: « Ubi versamur in jam receptis, et ad» missis ad gremium, et servitium (Ecclesiae Receptitiae) cum » actuali, vel habituali participatione massae, tunc talis admis» sio preseferre videtur quamdam speciem tituli, adeo ut in pleris» que Ecclesiis, ut scio praesertim practicari in Ecclesia Mel» phitensi, admissi promoveantur ad sacros ordines ad titulum ser» vitii, ac participationis massae, quae posito servitio eis nega» ri non potest ».

(a) Urbanus VIII. de missarum celebratione suis decretis ab Jon. XII. const. *Nuper* comprobatis S. Sedi reservavit facultatem redigendi onera missarum, aut post concilium Trid. imposita, aut in limine fundationis. Credi hinc potest, quod hoc onus missarum fuerit aut post Concilium impositum, aut in actu fundationis.

(b) Olim Puteolanus Episcopus felicissimae recordationis Carolus Rosinus aliquos articulos composuit, quos Rex Ferd. I Regio diplomate sub die 6 septemb. 1824 comprobavit, ut plures instituerentur Ecclesiae receptitiae, earumque statuta pressius observarentur. Horum praecipuos adnotamus ad titulum pro sacris ordinibus pertinentes nimirum 1.° quod si tempore elapso sex mensium, titularis ad subdiaconatus ordinem minime sit promotus, vacantis portionis jus praevio concursu digniori conferatur: facultate tamen Episcopis concessa tempus prorogandi, ut ille initietur sacerdotio. 2.° Si examen instituatur, clerici etiam qui suae aetatis annum decimum nonum jam expleverint, dummodo alii aetate provectiores non extiterint, admittantur. Reg. Rescript. die 29. Maj. 1830. 3.° Episcopis facultas est vel alios titulos statuere pro clericis ad sacros ordines promovendis, si reditus receptitiarum Ecclesiarum reale recipiant incrementum ex largitis a fidelibus praediis Reg. Rescript. sub die 16 Jul. 1831.

Si quis cognoscere cupit alia de hac re cit. acta executorum concordatorum adeat.

CONCLUSIO QUINTA

Natura pensionum extricata, hae ad normam canonum exiguntur (a).

Pensionis argumentum subnectimus argumento de beneficiis, utpote ei affine. Est autem pensio relate.ad pensionarium jus percipiendi aliquos fructus ex alieno beneficio, auctoritate legitima, ac justa de causa concessum (b). Haec autem *novi census* species dicitur,

---

(a) Refertur haec conclusio titulo Decretalium XII l. 3. *ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.* Cujus sensum apponere prius juvat, ne contradicere videatur argumento, de quo agimus hic, et sequenti conclusione. Itaque illo titulo non aliud praescribitur, quam quod Episcopi, et alii Collatores beneficia conferendo, aut Patroni clericos ad ea praesentando non possint fructus ex his provenientes, aut aliquam illorum partem sibi reservare, vel consanguineis aut amicis applicandam; nec aliud onus sive reale, sive personale in fundatione non impositum de novo imponere. Hinc debent fructus ex beneficio vacante provenientes applicari vel Ecclesiae, vel pro rata temporis, si fructus sint adhuc pendentes, et nondum percepti, partim haeredi antecessoris, partim in beneficio successori, ut recepta etiam consuetudo habet.
Et quoniam diminutio fit praecipue sex modis 1.° per unionem beneficii, 2.° divisionem, 3.° dismembrationem, 4.° suppressionem, 5.° fructuum reservationem, 6.° pensionis impositionem, hunc modum praesenti conclusione interpetrabimur, sequenti vero relinquimus alios.

(b) A *pendeo* pensio, quia dependet formaliter a beneficio, a quo detrahitur. Cardin. in Clement. I de supplen. neglig. Praelat. Diminutio beneficii fit per nova onera *personalia*, et *realia:* illa sunt, quae in praestando facto consistunt, puta: si jubetur adjuvare parochum in concionibus, confessionibus: quae in prestanda re consistunt, scilicet pensione, etc. vocantur *realia.* Onus personale non solum tempore quo vacat beneficium, sed in ipsa collatione Episcopus potest imponere tam beneficio, quam beneficiato modo fini per fundatorem intento non praejudicet, quia simoniam sapit; collatio enim beneficii sub conditio-

qui vel perpetuus, vel temporalis esse potest. His positis dico: 1.° Papam posse imponere pensionem non tantum beneficiato, sed etiam beneficio, et in perpetuum ex justa, et rationabili causa; est enim ei potestas absoluta rationabiliter disponendi circa beneficia (a) (1). 2.° Episcopum ex justa causa posse pensionem temporaneam imponere, et non dissentiente beneficiato (2) cum id nec ipse Papa possit juxta Regul. 43. Cancellar. Hinc ex DD. cum Garzia (3) pensio a Papa imposita, *onus reale* appellatur quae vero ab Episcopo, *onus personale*: illa ad successores in beneficio extenditur, utpote beneficio in-

---

ne, onere, modo, vel pacto, quibus onera imponantur, dummodo ex auctoritate ecclesiastica sint, et spiritualia ac in commodum animarum, vel piam causam, rationem pretii temporalis non habent. De oneribus realibus praemittendum, quod annua pensio, si tempore fundationis, et ab initio imposita sit ex fructibus ecclesiasticis solvenda in signum subjectionis, vel alterius juris, vocatur *census antiquus*, et imponi potest 1.° a Papa in signum subjectionis, vel protectionis, aut exemptionis arg. c. *omnis anima* 2. de censu, 2.° ab Episcopo tempore fundationis, vel consecrationis Ecclesiae c. eleutherius 30. 18. q. 2. 3.° a Patrono in limine fundationis cum consensu Episcopi c. *quanto* 5. de censu.

(a) S. Thomas 2. 2. q. c. a. 1. ad 7. ait: *quamvis res Ecclesiae sint ejus* (Papae), *ut Principalis dispensatoris*, *non tamen sunt ejus, ut domini, et possessoris.* Hinc Card. Toletus c. V. *de instruct. Sacerd.* c. 83. docet: ***qui pensiones retinent etiam cum dispensatione, si non adest causa legitima, securi non sunt, nec excusantur, quia Papa dedit, et ipsorum est considerare, quomodo dederit.*** Possunt esse causae bonum pacis ad sedendas lites, alimentatio resignantis, exauctorati, a beneficio injuste expulsi; utilitas Ecclesiae, merita in Ecclesiam. Exempla extant in concil. Chalced. act. 10. Demum ad compensandam summam fructuum dimissi beneficii cum fructibus tenuioribus beneficii commutati, c. 6. *de rerum perm.*

(1) *C. 2. de praeb. in 6. et Clem. I. ut lit. pend.*

(2) *Navarr. consult. 43. n. 4. de simon. et alii DD.*

(3) *De benefic. p. I. c. 5. n. 334.*

haerens, haec vitam beneficiati non excedit (1). Num vero possit Episcopus pensionem perpetuam imponere beneficio, sive duraturam usque ad mortem pensionarii, aliter alii sentiunt. Sunt qui affirmant, quia ex sacris canonibus sic habetur: *census absque Episcopi auctoritate solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedat* (2), ergo auctoritas Episcopi excedere vitam beneficiati potest; ideoque usque ad mortem pensionarii solvi potest. Qui vero negant, praescindendo tamen a consuetudine legitime praescripta, et privilegio, causam afferunt suae sententiae ex ipsis sacris canonibus, qui sic statuunt (3). *Non dignitas prioratur, sed persona prioris maneat onerata.* Verum primi reponunt his verbis prohiberi prioratum manere ex allato canone oneratum, non tamen ab Episcopis, sed a judicibus delegatis, de quibus ibi est sermo. Quidquid tamen sit, in praxi solet Episcopus mere pensionem, et illum designare, ad cujus favorem reservat, at deinde pro expeditione Bullarum, et Literarum recurritur ad S. Sedem, ut obtineatur collatio ipsius pensionis. Ita praeter alios Rebuff. (4) (a).

(a) Episcopus, si necessitas exigat, potest reditus beneficii vacantis reservare: c. unic. *ut beneficia sine demin.* DD. duas causas afferunt 1.am ut solvat debita contracta non suo, sed Ecclesiae, seu Episcopatus nomine. 2.am Ut reparet fabricam Ecclesiae cathedralis. Verum ut hoc fiat, requiritur ex ipsis DD. ut beneficium reditibus abundet, ita ut salva semper congrua sit. Detractio fiat ante, vel cum collatione beneficii, et cum consensu eorum, quorum interest ex. gr. Patroni. Debet fieri sine aliquo pacto cum illo, cui beneficium est conferendum; etenim aliter id esset simoniacum.

(1) *Cap. 21. de Praeb.*
(2) *Cap.* de cetero *5. de transact.*
(3) *Cap.* Nisi *21. de Praeb.*
(4) *In prax. l. 1. de reservat. num. 17.*

Pensiones per se beneficia non sunt: quia vero ex bonis Ecclesiae conceduntur, nonnisi clericis dantur (1) (a). Pensiones vel cum onere, uti perpetuis vicariis Ecclesiae, vel absque onere conceduntur; de qua specie heic agitur (b). Extinguuntur autem eisdem modis, quibus beneficium vacat, et insuper 1.° si pensionarius obtineat valide beneficium super quo erat pensio reservata: sicut cessat ususfructus acquisita proprietate ab usufructuario (2). Si autem beneficium fuerit invalide obtentum, quia alius in Judicio illud obtinuit, poterit adhuc pensionarius a novo beneficiato pensionem exigere, ut prius exigebat; quia interea fuit tantum sopita, non extincta, sicut par jus habet usufructuarius (3). 2.° Si pensionarius remi-

(a) Distinguunt DD. pensiones alias *temporales*, quae alicui pro ministerio temporali extra Ecclesiam conceduntur ut militibus pro fide pugnantibus et habetur ex bulla Pii V. *Ex proximo.* Vide Suarez 1. *de relig.* tract. 3. lib. 4. conf. 26. et alias *spirituales*, quae assignatur clericis ob spirituale officium et sine labe simoniae nequeunt vendi. Suarez loc. cit.; aliae demum dicuntur *mediae* quae clericis assignantur, ut decenter vivant. Et licet olim haberentur ut profanae, dein ex bulla Pii V. qui pensionarios istos obligavit ad officium B. Virginis sub mortali, ac obligatione restitutionis, ut spirituales existimantur.

(b) Pensiones in sua origine nihil habent a canonum doctrina alienum; quia tantum ratione servitii, vel paupertatis concedebantur, qua ratione quidem licitum est de altari vivere. *Nulla alia de causa, nulloque alio jure pensiones constitui possunt, nisi ut quaedam eleemosynae, quae in pios usus indigentibus concedi possunt.* Sic contestati sunt Theologi a Paulo III. percontati de reformanda Ecclesiae disciplina. At cum clericis quoque divitibus pensiones constitutae sint, invaluit sententia pensiones esse odiosas, et sacris adversas canonibus.

(1) *Const. Sacrosanctum 98. Pii V. tom. 4. Bullar. et Xisti V. const. Sacramentum Bullar.*

(2) *Barbos. de pens. p. 1. q. 9. num. 18.*

(3) *L.* Dominos *ff. de usufructu.*

serit pensionem etiam sine consensu Superioris ecclesiastici; etenim pensio remissa in utilitatem Ecclesiae cedit, non in damnum, sicut cedere potest, cum dimittitur beneficium.

Non omnia autem beneficia pensionibus subjici possunt; Trid. enim sic cavit (1): « Cathedrales Ecclesiae, » quarum reditus summam ducatorum mille, et pa» rochiales, quae summam ducatorum centum non » excedunt, nullis pensionibus graventur (a) ». Praeterea simplicia beneficia gravari non possunt, si jurispatronatus sint laicalis, nisi Patroni accedat consensus: quod et de jurispatronatus mixti beneficiis intelligunt DD. post Glossam (2) (b). Denique nisi beneficii valor annuus excedat summam 24 ducatorum, et si canonicatus sit, vel dignitas 100 ducatorum, onerari hoc censu non solet juxta Azor (3). Ac de stylo Curiae super simplicibus pensio imposita non debet excedere medietatem fructuum juxta Garz. (4) (c).

(a) Vigenti disciplina nullus inferior Papa pensionem super parochiales Ecclesias imponere potest, ut ex edicto Innoc. XII. sub die novemb. 1632 et a Benedict. XIII const. *Quarta-pastoribus* comprobata die 6 sept. ann. 1724.

(b) Abbas in c. unic. *ut ecclesiastica beneficia* monet consensum Patroni ad honestatem, et non necessitatem requiri, quia nullum praejudicium pensio ei adfert.

(c) Beneficiatus non tenetur solvere pensiones a suo antecessore non solutas si pensio imposita fuit beneficiato; quia onus personale expirat cum persona. Verum si beneficio sit imposita, tenetur eas solvere Successor tamquam onus reale, dummodo beneficio vacante ab Administratoribus de fructibus illius solutae non fuerint. Garz. citat. loc. Verum quoad pensiones non solutas ab antecessore, plures DD. apud ipsum Garz. loc. cit. censent prius conveniendos esse haeredes beneficiarii, qui directe

(1) *Sess. XXIV.*
(2) *In c. unic. de jurepatr. in 6.*
(3) *Part. 2. Inst. moral. l. 8. c. 10. q. 7.*
(4) *P. 1. de benef. cap. 5. num. 571.*

Pensionarius praeter officium parvum B. M. V. quod recitare tenetur, uti jam dictum fuit, dummodo ad horas canonicas vi officii, vel sacri ordinis non teneatur, deferre habitum debet, et tonsuram clericalem ex const. Pii V, et Xisti V apud Garziam modo tamen vigenti disciplina excedant simul sumptae pensiones summam 60 ducatorum auri de camera, et actu percipiat, vel saltem penes ipsum stetit quominus perciperet.

Restat, ut praescripta in ultimo Concordato an. 1818 de pensionibus afferantur. Itaque de his sancitum art. XVII. quod « Regia praescriptio adhuc vigens, vi » cujus tertia pars redituum Mensarum episcopalium » et beneficiorum sub appellatione *tertii pensionabilis* apud Montis Frumentarii administratorem de» ponebatur, per praesentem articulum abrogatur, » quin tamen praesentes pensionarii priventur pen» sionibus, quibus nunc gaudent ».

» Tempore provisionum Episcopatuum, et bene» ficiorum regiae nominationis, reservatio pensio« num secundum formas canonicas locum habere per» get. Nominati a Majestate sua ad praedictas pensio» nes a S. Sede Bullas Apostolicas obtinebunt, vi

---

sunt obligati; iisque discussis in subsidium conveniendum esse successorem in beneficio, quem teneri ajunt tantum pro rata fructuum perceptorum, non autem temporis, quo vixit Titularis, uti dixit Rota coram Merlino decis. 231. pag. 16. Demum pensionarius tenetur ad onera beneficio adnexa ex. gr. ad subsidium caritativum. Idem Garz. loc. cit. qui enim sentit commodum, et incommodum sentire debet juxta Regul. juris 77. in 6. nisi libera ei concessa sit, et exempta ab oneribus, vel si e soluta pensione nihil utilitatis ei remaneret, vel si pensio reservata esset ob causam onerosam. Ita procurationes Episcopo, ratione visitationis contribuere non tenetur; intuitu enim personarum solvuntur, proindeque a Rectore beneficii integrae solvuntur.

» quarum pensiones ipsas, quoad vixerint, percipere,
» et suas facere poterunt. Pensionario vita functo, Epi-
» scopatus, aut Beneficium ab onere persolvendae
» pensionis, qua gravabatur, liberum erit.

» Art. XVIII. Sanctitas Sua super aliquas episco-
» pales Mensas, et Abbatias Regni designandas sibi
» reservat in perpetuum annuas pensiones in summa
» ducatorum duodecim millium, quas Rom. Pontifex
» pro tempore suis subditis Status Ecclesiastici pro
» lubitu confert (a) ».

(a) Modus, quo tertium pensionabile super Mensas Episcopales capaces illius expediatur, decret. 14 decembr. 1818 ita designatur: Art. 1.° Saranno suscettive del terzo pensionabile quelle Mense Vescovili, la rendita delle quali sia tale, che divisa in tre porzioni, due di esse diano la somma di ducati tremila netti di pubblici pesi. Art. 2.° La liquidazione del terzo pensionabile sulle mense Vescovili sarà regolata nel seguente modo: Dalla totalità della rendita lorda di ciascuna mensa verrà prelevata una somma prudenziale non minore del cinque, e non maggiore del dodici per cento di essa rendita secondo la diversa natura della rendita stessa, e la maggiore o minore difficoltà della stessa esazione, e della manutenzione de' fondi, che la producono; e tale somma annuale sarà rilasciata a favore de' titolari in compenso di tutte le spese di amministrazione, e disposizione de' fondi che costituiscono le rispettive loro mense. Dalla rendita residuale si dedurranno la fondiaria, le spese pel mantenimento della Chiesa, i censi passivi, i legati di messe, ed i pesi perpetui a favore de' pii stabilimenti della stessa diocesi. Della somma, che rimarrà dopo le indicate deduzioni, se ne faranno tre parti, due delle quali resteranno al Titolare, ed una costituerà il terzo pensionabile.

CAPUT V.

DE COMMENDIS BENEFICIORUM

CONCLUSIO PRIMA

Origo, finis, statusque varius Commendarum exponitur; quodque ad illas pertinet, concinne distinguitur.

Commendae (a) etsi in utilitatem Ecclesiarum primum institutae, labentibus tamen annis in ipsarum perniciem declinarunt. Revera Episcopatus, vel donec ordinaretur Episcopus, vel ad longum tempus commendatos fuisse praesertim Episcopis, quos sedibus suis barbari ejecissent, monumenta sacra docent. Inde parochiae, et

---

(a) Commendare juxta Ulpianum in l. *commendare 186. ff. de verb. sign.* idem est ac *deponere* cap. olim dist. 61. visitatio etiam dicta fuit commenda. Initio dare in commendam Ecclesiam erat alicui concedere administrationem illius, vel monasterii. Usus commendarum invaluit vel a primis Ecclesiae temporibus; praeter enim Ecclesiam commendatam S. Athanasio apud Nicephorum *hist. Eccl. lib. II.* aliam quoque commendatam scimus a S. Ambrosio cuidam presbytero, scilicet Ecclesiam episcopalem ad forum Cornelii epist. 44. Insuper videtur jam fuisse concessum tempore S. Gregorii, ut interdum Episcopo spoliato, et a propria Sede expulso commendaretur monasterium: graviter enim ille epistolis ad Joannem, et Marinianum Ravennates Episcopos, de clericis quibusdam conqueritur, quod monasteria quaedam occasione *quasi regiminis* veluti in proprietate possiderent. Hinc patet, quod commendae a principio non videbantur repugnare receptis regulis; quia ad tempus fiebant, utpote certo tempore cessabat causa, propter quam dabantur. Et ita invaluisse constat regulam juris a Leone IV, et Greg. IV propositam can. 3. c. 21. q. 1. et c. 58. ex de elect. *Unum clericum duas Ecclesias posse retinere, unam* titulo, *seu proprio et perpetuo jure; alteram* commendatione.

*

monasteria, quorum disciplina collaberetur, jam commendari coeperunt ex Concilio Aureliano III ann. 540. Fatendum tamen est quod tantum ad tempus tunc Commendae fierent, et commendatario e proventu Ecclesiae jus erat accipere nonnisi necessaria, et modicum laborum suorum praemium, reliquis fructibus servatis titulato: nec nisi a S. Sede Cathedrales, et monasteria, aliaque regularia beneficia in commendam perpetuam, et ad vitam concessa fuerunt. Sic commendae, quae prius in Ecclesiae utilitatem in usum venerant, postmodum vitio hominis aliquando in commodum clericorum degenerarunt (1), qui unice de reditibus colligendis solliciti, ab Ecclesiis absentes, nec clericalem, nec monasticam promovere conati sunt disciplinam. Adhaec saeculo IX videntur irrepsisse commendae etiam laicales, una cum investituris Ecclesiarum laicis (a). Attamen Rom. Pontificum opera, atque Episcoporum censuris, et commonitionibus emendata hujusmodi abusio fuit.

Porro Synodus Lugdunensis sub Greg. X, et Salmariensis, paroeciarum commendas excidit, tantumque in Ecclesiarum utilitatem ad sex menses eas permisit commendari (2) (b). Interim quamvis illae

---

(a) Vide Baronium ad ann. 839., qui monet Carolum Martellum in Gallia primum Ecclesiarum, et Monasteriorum Abbates creasse laicos pro remunerandis militiae laboribus. Illum vero sequuti sunt plures Galliarum Reges, et Principes.

(b) Hoc ex nova disciplina adhuc licitum; nam Trid. sess. 24. *de reform.* c. 18. decrevit, ut Episcopus statim a notitia vacationis paroeciarum, si opus fuerit, oeconomum seu vicarium constituat cum congrua fructuum parte, qui Ecclesiam regat quousque parochus constituatur.

(1) *Extravag. 2. de praebendis inter Comm. Concil. Lateran. sub Leone X. sess. IX.*

(2) *Cap. 15. de elect. in 6.*

in perpetuum amplius datae non fuerint numero commendarum, beneficiorum, episcopatuum, abbatiarum valde aucto in damnum Ecclesiae, plurimas tamen ab seipso datas commendas Clemens V an. 1308 non sine causa revocavit (1). Tum alias a praedecessoribus concessas resciderunt Benedictus XII, et Clemens VI (2). Verumtamen nec horum decretis, nec Synodorum, uti Costantiensis ann. 1414, et Lateranensis ann. 1517 tanto malo, quo commendae saepe noxiae fuerunt, occurri potuit; nec insuper aliis constitutionibus apostolicis, nec Concordatis illud evulsum est, sed degeneres commendae continuarunt. Tandem Tridentini Patres prorsus eliminarunt illas, quae Ecclesiarum, et beneficiorum singularium coacervationi inserviebant (3): namque jusserunt, ut monasteria in posterum vacatura dumtaxat regularibus concederentur spectatae virtutis, et ejusdem ordinis: ea vero monasteria, quae sunt capita ordinum, ut in hoc regno, Montis Casini, et Montis Virginis commendae, retineri prorsus prohibuerunt, reliqua jam commendata, quae suos habent conventus, Romano Pontifici commiserunt, ut is pro sua pietate, et prudentia regulares praeficiat, quantum ratio temporum ferre poterit: curam etiam monasteriorum commendatorum imposuerunt Episcopis, eisque, licet sint exempta, praeceperunt visitationem, exceptis illis monasteriis, quae substant abbatibus ordinum suorum capitibus (4).

---

(1) *Extravag. 2. inter Comm.*
(2) *Confer Raynaldum ad ann. 1335. num. 13.*
(3) *Sess. VII. de Reform. cap. 4.*
(4) *Sess. XIV. c. 10. de reform. Sess. XXI. cap. 9. de reform. sess. XXV. cap. 20. et 21. de regul.*

Verum post Tridentinum ipsum commendae monasteriorum, et prioratuum obtinuerunt adhuc, et monasteriis tantum exceptis ordinum principibus, clericis etiam saecularibus olim commendata in perpetuum traduntur illa, sejunctae tamen sunt mensae abbatis, et monachorum (1). Quoties vero acciderit monasterium aliquod novae commendae subjici, hoc nisi cum decreto restaurandi aedificia conceditur, alienata bona recuperandi, et redeundi post haec ad primaevam tituli regularis naturam. Passim quoque monasteria monachis destituta in commendam conceduntur a R. Pontificibus, uti perplura praesertim Benedictorum in hoc regno: quin etiam ipsa simplicia beneficia saecularia aliquando in perpetuum Cardinalibus commendata fuere. Nec mirum; justis enim de causis ex recepta disciplina dantur commendae a solo Rom. Pontifice, cui uni potestas competit relaxandi generales canones, et tribuendi ecclesiastica bona inter clericos, quibus ea magis pro temporum, locorum, aut personarum ratione concedenda videntur; proinde nec beneficia regiae nominationis, vel collationis commendare licet sine indulto speciali Sedis Apostolicae. Moribus praesentibus igitur commendae reapse a beneficiis non differunt; in perpetuum enim concessae, fiduciariis clericis jus idem, ac beneficiariis tribuunt. Non possunt cum aliis beneficiis commutari; uno verbo, effectus beneficii sunt iidem ac commendae. Quapropter 1.° libera est illis administratio proventuum, 2.° in monachos habent jurisdictionem, qua utuntur, si ipsi in beneficio, licet regulam ordinis non profiteantur, attamen ibi morentur, et Praelatus, ejusve Vicarius absit, 3.° proinde dant dimissorias ad ordinationem;

(1) *Ex Bulla Greg. XIII.* Superna *18. in Bullar. Rom.*

ad beneficia praesentant, eligunt, et conferunt, 4.° in Italia tamen tenentur ad ordines suscipiendos, et ad adsiduam moram, si animarum cura interior monachorum, aut aliorum fidelium ipsis incumbat. Hoc in regno collationem beneficiorum sub titulo S. Antonii Viennensis in toto regno, exclusis tum Apostolicis reservationibus, tum locorum ordinariis, Papa dimittit Commendatario abbatiae ejusdem tituli, qui olim erat Archiepiscopus Neapolitanus; nunc Regius Capellanus Major. Ceterum Commendata beneficia pristinam non deperdunt qualitatem, quamvis longo usu commendentur iis, qui ejusdem ordinis, et instituti, ac veri titulares non sint.

CONCLUSIO SECUNDA

Quae ad unionem, ac divisionem beneficiorum pertinent, adferuntur, et illustrantur.

Conjunctio seu unio beneficiorum definitur: Duorum, vel plurium beneficiorum, aut Ecclesiarum a legitimo Superiore facta annexio. Quae autem tribus modis solet evenire 1.° *Confusione* cum ex duobus fit unum, ita ut duo velut in unum corpus coalescant, et privilegia unius etiam alteri competant, aut si contraria sint, meliora, et favorabilia retineantur. Ita Garzia (1). Haec unio extensiva, vel translativa dicitur. 2.° *Subjectione*, si singulae Ecclesiae proprium coetum retineant, sed altera principalis evadat, cui altera tamquam filia, ac fundus accedat, et dicitur unio accessoria, ac translativa (a). 3.° *Æque principaliter*, si neutra Ec-

(a) Hac unione titulus filialis extinguitur, nec per se beneficium censetur, quia assumet naturam, qualitates, et privilegia

(1) *P. 12. de benef. cap. 2.*

clesia alteri subjiciatur , sed ambabus suum titulum gradumque retinentibus , idem minister praeficiatur (1) (a).

Conjunctiones solent esse perpetuae, ut scilicet non revocentur. Harum formulae sunt : *Ad perpetuam rei memoriam* , vel *ad beneplacitum Sedis Apostolicae*, quae non moritur. Quod si ad vitam beneficiati sit unio, *temporalis* est, et potius dispensationem dices quam unionem. Rebuff. cit. Insuper potest beneficium incorporari 1.° quoad *temporalia* solum, ut ex. gr. monasterium fruatur illius reditibus, decimis etc. ex quibus tamen debet Beneficiato praestare sustentationem congruam , et instar beneficiati concurrere ad necessitates Ecclesiae. 2.° Potest incorporari *pleno jure* , seu quoad corporalia , et spiritualia ita tamen , ut populus maneat sub jurisdictione Episcopi , monasterium vero possit spiritualia administrare per praelatum , vel Vicarium a praelato nominatum , saecularem , vel regularem , perpetuum , vel temporalem , juxta tenorem incorporationis , privilegii , vel usum immemorabilem , Episcopo interim habente jurisdictionem in Vicarium quoad administrationem Ecclesiae. 3.° *Plenissimo jure* seu ita ut Monasterium etiam in populum habeat jurisdictionem quasi Episcopalem , et populus, ac beneficium sit exemptum a jurisdictione Episcopi (2).

---

matricis. Rebuff. in praxi tit. *de unione benef.* At in illa unita debet tantum constitui Vicarius , qui obeat ibi officium spirituale, c. *extirpandae de praebend.* Hinc non potest per se permutari , nec resignari ; et in impetratione beneficii fit mentio solius principalis. Garz. cit.

(a) Unicus hujus unionis effectus est , ut Rector unius sit etiam alterius Ecclesiae : cetera manent non secus ac si nulla intercessisset unio.

(1) *Cap.* Et temporis *16. q. 1.*

(2) *Vide Barb. in cap. 3. in 4. tit.*

Summus Pontifex de plenitudine potestatis quaecumque beneficia potest unire, incorporare, dismembrare, dividere, aut omnino supprimere, nunquam tamen hoc facere solet sine justa causa. Hinc ex DD. non valent talia, si proposita sint falsa. Insuper quia nunquam praesumitur Papam derogare juri alieno (1), restat Episcopis post unionem jus visitandi Ecclesiam unitam, corrigendi etc. quod monuit Trid. (2) Legati a latere in sua Provincia beneficia, quae possunt conferre, Episcopus in sua dioecesi, et Capitulum cathedrale Sede vacante, cum non sit actus liberalitatis, uti est collatio, sed necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae, ex justa causa adunant in perpetuum beneficia etiam curata, non tamen ad tempus tantum, utpote odiosum; quia contra, vel saltem praeter formam Juris, et per eam unionem non Ecclesiis, sed personis providetur (3). Item Episcopi, et Capitulum nec mensae adunent episcopali, oportet, vel Capituli, ne in proprio facto praestent auctoritatem (4).

Sic pariter Capitulum non potest uniri aliis, cum id cederet in praejudicium juris episcopalis, ne sede vacante innovatio fieret contra canones. Inferiores Antistites, licet ordinaria jurisdictione aucti, Ecclesias, et beneficia sibi subjecta nequeunt unire, nisi praescriptione longaeva talem sibi quaesiverint jurisdictionem (5). Excipitur tamen 1.° Beneficium perpetuo reservatum. 2.° Collativum, quod non potest uniri patronato ex Trid. (6). 3.° Regulare, quod uniri non licet canoni-

(1) *Glossa in c. de Relig. domib.*
(2) *Sess. VII. cap. 7. de reform.*
(3) *Rebuff. cit. loc.*
(4) *Ex Clement. 2. et ibi Glossa de rebus Eccl. non alienand.*
(5) *Confer Gonzalez in c. 8. ex de excess. prael.*
(6) *Sess. XXV. cap. 9.*

catui. 4.° Curatum, quod non potest uniri dignitatibus, monasteriis, et praebendis alicujus Ecclesiae cathedralis, nec aliis quibuscumque beneficiis etiam simplicibus ex Trid. (1) (a). 5.° Beneficium unius

---

(a) Mediis saeculis paroeciae multae monasteriis, aut collegiis canonicorum, aut simplicibus beneficiis adnexae sunt *subjectione*. Sane saeculo decimo multi laicorum a se jure feudi possessas Ecclesias monasteriis consensu Episcopi cesserunt; saeculares enim clerici ob malos mores odio potius erant. Item ipsi Episcopi, et Summi Pontifices tunc temporis ad instaurationem monasticae, et canonicae vitae promovendam, multas Ecclesias, monachis, et canonicis dederunt. Quod vero in Parochiis, quae monasteriis, capitulis, vel alteri beneficio adnexae fuerunt, cura animarum exerceri debebat, coeperunt monachi, et canonici *Ecclesiam* ab *Altari* distinguere. Altare dicebant administrationem, et curam spiritualem: Ecclesiam, bona omnia temporalia, et reditus. Hinc reditus sibi reservarunt sive Ecclesiam, altare vero sive curam spiritualem committebant presbyteris, qui *Vicarii* dicebantur c. 4. c. 1. q. 3. Hi aliquid pecuniae Episcopis pendebant, cum novus presbyter altari praeficiebatur, quae pensitatio *redemptio altarium* dicebabatur, ut inde de jure episcopali in paroecias unitas constaret. Quod facile ex jure feudali invaluit.

Saeculo decimo tertio quoniam presbyteri Vicarii pro arbitrio patronorum damno Ecclesiae ejiciebantur, multis canonibus, et Pontificum rescriptis est statutum, ut perpetui essent vicarii in Ecclesiis, quae erant monasteriis, et canonicis conjunctae c. 30. ex *de praebend.* quod Trid. comprobavit sess. 7. *de reform.* c. 7. Igitur Vicarii veri beneficiarii evaserunt, utpote jure proprio, et perpetuo curam habuerunt, et Abbates, canonici, aliique inde non veri pastores, primitivi pastores dicti. Quapropter variis etiam canonibus praescriptum, ut ex reditibus Ecclesiae unitae certa quantitas adsignaretur sufficiens sostentationi Vicarii, et curae sustinendae c. 30. ex de praebend. qua portione non adsignata vetantur Episcopi a monachis nominatos instituere c. 12. ex eod. Atque haec est *portio congrua* sive sufficiens, competens, et competentia pastoralis dicta; tantum enim adsignari illis debet, quod decenter sufficiat rectoris, et parochiae necessitati, ut decet Tridentinum sess. sess. 24. c. 12. de reform.

(1) *Sess. XXIV. cap. 13. de reform.*

dioecesis beneficio alterius dioeceseos non potest uniri, ad praecavenda incommoda quae facile sequerentur, ex Trid. (1). 6.° Seminariis, et canonicatibus sola beneficia simplicia exigui reditus possunt uniri.

Requisita ad legitimam unionem sunt 1.° ut praecedat aliqua causae cognitio (2); 2.° ut vocentur ii, quorum interest (3) (a); 3.° ut exprimatur annuus valor beneficii uniendi, et ejus, cui adnectitur, secundum communem existimationem; 4.° ut sit justa causa nimirum evidens *Ecclesiae necessitas*, vel *utilitas*: puta, quia ita tenues praebendae, ut idonei ministri difficile reperiantur (4), aut Ecclesia fuerit ab hostibus devastata (5), vel in ea non servetur disciplina regularis et ecclesiastica: vel sit evidens augmentum cultus divini.

Divisio Ecclesiarum, et beneficiorum, qua nempe unum beneficium, vel una Ecclesia in duo, vel plura abeunt, quamvis opponatur regulae generali, *ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, attamen potest fieri si 1.° justa causa, scilicet necessitas, vel Ecclesiae utilitas interveniat ex. gr. de-

(a) Inter istos non numeratur rector Ecclesiae; nullum enim praejudicium ei affert unio, quae nonnisi post mortem ejusdem locum habet c. consultationibus 4. *de donationibus*. Hoc tamen observandum manet quod, si hi omnes vocati absque justa, et rationabili causa consensum negent, dummodo necessitas urgeat, unio potest fieri etiam *ipsis invitis*. Extra hunc casum consensus opportunus ad validitatem ducitur, ubi existat longaeva, et praescripta consuetudo, et vice versa ubi haec desit. Confer Barbosa *de canonicis et dignitatib.* c. 42. et alleg. 66.

(1) *Sess. 14. c. 9. de Reform.*

(2) *Clement. 2. de reb. Eccl. alienand.*

(3) *Clem. 2. cit. et 1. de statu monach.*

(4) *Cap.* Unio *10. q. 3.*

(5) *Cap. 2. de religios. domib.*

fectus canonicorum, vel divini cultus augmentum (1); 2.° si adsit consensus Capituli cathedralis; est enim species alienationis, 3.° si reditus, qui dividuntur, sint ad congruam sustentationem utriusque beneficiati sufficientes (2); aliter redingranda esset praebenda divisa ex detrahendis ab aliis beneficiis, et in horum defectu, si hoc facere nequeat Episcopus, et illegitime praebendam diviserit, ex sua mensa providere debet ex Glossa (3), 4.° demum si accedat auctoritas ejusdem, quo unio facta fuit, vel successorum illius: etenim *omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur;* iisque, quorum interest, auditis, dismembratio beneficii fit, quando manente unitate beneficii pars fructuum ab eo aufertur, et alteri beneficio, vel Ecclesiae, cui tenues sint reditus, ad hujus fabricam, vel ministrorum sustentationem applicatur. Hanc ex justa causa, et adhibitis solemniis alias ad alienationem rerum requisitis Episcopus potest facere. Pontifex vero potest, modo adsit tantum justa causa, ut ex dictis patet.

Suppressio demum beneficii est totalis ejusdem extinctio, quae fieri potest ab Episcopo cum consensu capituli ex justa causa, qualis est fere sola tenuitas et insufficientia redituum ex Trid. (4).

---

(1) *Cap.* vacante *tit. cit.*
(2) *Eod. cap.* Vacante.
(3) *C.* vacante *de reb. Eccl. non alienand.*
(4) *Sess. XXIV. c. 15. de Reform.*

CONCLUSIO TERTIA

De peculio (a) *clericorum praecipua adnectuntur.*

Jura, quae clerici in bonis suis, patrimonialibus exceptis, exercere possunt, antequam declarentur, non abs re erit eorumdum bonorum naturam expendere ab ipsa origine sua, quam ducunt ab oblationibus fidelium, ut perceptis ex his alimentis, congruaque sustentatione clericorum reliquum in pios usus impendatur; neque Ecclesia ex fine suo et sanctitate aliter ea bona acceptat et in clericos confert. « Conceditur ergo, dixit S. Bernardus (1), ut si bene deservis, de altario vivas, » non autem ut de altario luxurieris, ut de altario » superbias, ut inde compares tibi fraena aurea, sellas

(a) Peculium quasi pusilla pecunia, pusillum patrimonium. Ex Decretalibus, quas titulus *de peculio clericorum* complectitur, intelligi par est nomine peculii clericorum quidquid ex reditibus ecclesiasticis clerici possident, et separatum habent a rationibus profanis exemplo peculii servorum, et profectitii filiorumfamilias, quod separatum a rationibus paternis, et dominicis habebant usus vero, et administratio penes se, dominium penes dominium vel patrem erat; clerici namque bonorum illorum non sunt domini. Praeterea eadem bona clericorum post mortem eorum ideo *spolia* dicta sunt, quod exemplo monachorum, consueverunt se illis spoliare, ne Ecclesiae damno essent.

Ceterum ut de hujus peculii rectus intelligatur usus, observandum, quod bona fortunae ad clericorum dominium, aut saltem administrationem pertinentia, dividi solent: I.° in *Patrimonialia*, quae habent scilicet titulo mere profano ex. gr. haereditate, legato, contractu, alioque jure cum civibus communi. Horum sicut perfectum, et plenum dominium est clericis, ita et de his etiam ad causas profanas disponunt; nam vi status sui nec dominium eorumdem amittunt, neque incapaces fiunt, ut novum acquirant, l. 34. c. *de Episc. et Cleric.* Hinc ut ea separentur bonis per Ecclesiam acquisitis, cavit canon apost. 39. c. 1. de testa-

(1) *Epist. 11. ad Fulconem.*

» depictas. . . quidquid praeter necessarium victum, » aut simplicem vestitum de altario retines, tuum » non est, rapina est, sacrilegium est ». Revera res Ecclesiae donatae spectari debent tamquam *vota fidelium*, *res Dei*, *patrimonium Christi*, *pretia peccatorum*, *alimenta pauperum*.

---

ment. II.° In *quasi Patrimonialia,* quae habent per modum mercedis vel stipendii ex functione sacra ex. gr. celebratione missae, cantu, concione, reditu *stolae* etc. Ad haec referuntur distributiones quotidianae, quae dantur divinis officiis interessentibus: item quae de congrua sustentatione sibi debita parcius vivendo possident, et *parsimonialia* dicuntur. Verum hanc appellationem *quasi patrimonialium bonorum* aliqui DD. contra rationem juris sacri dicunt, in quo duo tantum genera distinguuntur bonorum, quae penes clericos esse possunt, vel *patrimonialia*, vel *acquisita* per Ecclesiam, sive ex titulo profano, sive sacro profecta. III.° In Ecclesiastica, et vel ad ipsas Ecclesias, monasteria, vel loca pia pertinent, puta, paramenta sacra, praedia ad sustentationem ministrorum, ornatum templi, aut ejus fabricam ex fidelium liberalitate concessa, et *simpliciter Ecclesiastica* dicuntur; quorum clericos tantum esse administratores, extra controversiam dicitur, et omnibus patet: vel clericis tribuuntur intuitu, et titulo beneficii ecclesiastici, uti sunt decimae, reditus annui, ac fixi, et *beneficialia* appellantur, quaeque subdistinguuntur in *necessaria* nimirum requisita ad congruam sustentationem beneficiatorum; et *superflua* quoad excessum illius.

Congrua autem sustentatio ex bonis Ecclesiae debita clericis illa dicitur, qua pii, et prudentes ejusdem conditionis clerici contenti esse solent ad sustentandam se, familiamque suam, ad supellectilem, libros, honestam recreationem, hospitalitatem erga peregrinos, et consanguineos exercendam, et praesertim eleemosynas moderate tamen, et convenientes cuivis statui, qualitatibus, et laboribus; item circumstantiis loci, ac temporis. In dubio determinatio fit arbitrio praesertim Episcopi. Ceterum sicut pretium rerum, ut notant DD. habet suam latitudinem, ita congrua habet suos gradus respectu ejusdem personae, et sicut cuilibet licitum est rem suam vendere pretio infimo, medio, aut summo, sic pariter licitum est beneficiato summum congruae sibi attribuere.

His positis, de bonis quasi patrimonialibus clericorum diversas DD. sententias nostrum est exponere, harum vero quaenam sit sequenda, quisque sincera fide poterit judicare. Et primum de bonis quasi patrimonialibus quoad parsimonialia plenum dominium, et perfectum esse penes clericos communiter censent DD.: ita ut et de his pro suo lubitu etiam ad causas profanas disponere possint, quia se habent per modum mercedis, et stipendii, quorum plenum jus est penes stipendiarium. Equidem de natura mercedis est, ut absolute, et sine onere transeat in dominium operarii. Non desunt autem alii, qui negant jus istud clericos habere. Etenim praeterquamquod appellationem bonorum quasi *patrimonialium* non admittant, uti notatum fuit, eo sensu tamen quo explicatur, nimirum bona intelligentes, quae obveniunt per modum mercedis, et stipendii ex sacro ministerio: in illis plenum dominium clericorum non admittunt, ut possint pro lubitu ad usus profanos ipsa impendere. Certum enim ajunt, quod reditus ecclesiastici ex natura sua ad usus pios sunt destinati; certum pariter est, quod parcius vivendo clerici ad illos usus non impendunt; certum denique reditus ecclesiasticos non transire in profanos ex eo solo capite, quod clericus ad suam sustentationem usus non sit, cum praesertim canones ipsumq. Trid. (1) Clericis, et ipsis Episcopis frugalitatem, ac modestiam commendent, et tamen reditus a propria sustentatione abundantes in pios usus erogare jubeant? Rationem vero stipendii et mercedis in his ultro concedunt, et mercedem quidem in dominium operarii transire fatentur; at hoc tantum esse dicunt si operarius opera praestet, quae pretio temporali aesti-

(1) *Sess. XXV. cap. 1. de Reform.*

mari, et compensari possunt, ajente Christo *gratis accepistis*, *gratis date*.

Addunt, nonne ob id in veteri disciplina clerici etiam jure civili testari vetabantur? Ergo non domini erant, sed meri procuratores (1) (a). Porro quamvis venia Pontificis, vel consuetudine inductum fuit, ut liberum clericis sit testari de bonis Ecclesiae intuitu sibi acquisitis, tamen concludunt nullo unquam pacto licere illis vel profanos in usus de his bonis testari, vel ubi ab intestato decedant, successores habere non indigentes, etsi propter odia litium, in contentioso foro, si aliter faciant, non reprobentur. Equidem neque consuetudine, neque R. Pontificis venia, bonorum Ecclesiasticorum natura, de qua supra dictum est, immutari potest. Quod demum reditus beneficiales spectat, supervacaneum videtur de dominio beneficiati disputare ut cum DD. statuatur num de his ut de superfluis disponere possit. Age habeant tale dominium negari tamen non potest quod beneficiati ex justitia tenentur bona beneficialia, quae in congruam sustenta-

---

(a) Haec disciplina, quae firmata fuit a Greg. M. c. 1. *de testament.* et Justiniano ad saeculum usque XII servata videtur; nam Concil. Lateran. sancivit quod clerici bona per Ecclesias suas acquisita in alios transferre non praesument, et sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona praecepit permanere cap. 7. Quamvis vero mos inolevit, ut dumtaxat in pias causas per testamentum de bonis Ecclesiae aliqua clerici disponerent, et hunc morem consuetudinem non improbandam laudatus Pontifex vocat ibidem; et quamvis deinceps clerici facultatem testandi sibi adrogarunt de bonis Ecclesiae aeque ac de patrimonialibus; attamen tamquam vulnus hoc habitum antiquis canonibus inflictum, ex remissa disciplina, ex difficultate discernendi bona ecclesiastica a patrimonialibus.

(1) *Cap. 40. apost. L. 42. §. 2. c. de Episcop. et Cl.*

tionem non impenduntur, erogare in pias causas; ita ut totum id, quod in usus profanos ex iisdem profuderunt, piis causis resarcire, ac restituere debeant. Re quidem vera nemo non videt ideam dominii non excludere obligationem personalem ex justitia praestandi quidpiam, quod ex donationibus, quae sub modo fiunt, apertissime patet. Insuper haeres, qui dominium acquirit totius haereditatis, nemo audet negare, quod obligetur satisfacere legatis, debitis etc. quibus est illa onerata. Quum ergo ex dictis natura bonorum, quibus potiuntur beneficiati, ex intentione offerentium, et ex mente Ecclesiae importat, ut a clericis illa acquiri possint hoc modo scilicet, ut in primis ad propriam sustentationem, dein quod superest, ad alios similes pios usus impendant: nihil superflui remanet eis, de quo disponant, etiamsi domini censeantur bonorum ecclesiasticorum: imo ex justitia tenentur haec in pios usus insumere. Hinc S. Antoninus (1) laudans ipsum S. Thomam (quem adversarii in suas partes attrhaere conantur), et Petrum Paludanum, hujus verba recitat: » Praelati sunt Domini sub certa lege, scilicet ut be» ne utantur: alias restituere tenentur, sicut in his, » quae dantur ob certam causam, et in legatis relictis » sub certo modo: quibus deficientibus licet domi» nium translatum fuerit, repetuntur (a) ».

(a) Hoc onus resarciendi, quod male consumtum est, antiquorum DD. sententiam distinguit, et recentiorum quorundam opinionem, qui solo Ecclesiae praecepto, et caritatis, vel religionis motivo asserunt clericos obligari, ut, quod superfluum habeant de reditibus beneficii, in pias causas erogent. At si praeceptum impleri possit, aut caritati, vel religioni satisfieri queat, cur non debet?

(1) *In summa p. 5. tit. 15. c. 1. §. 19.*

Adde quod clerici beneficiati plus juris non habent de reditibus suis, quam olim clerici in portione sua habuerunt, nimirum ad solam congruam sustentationem; erectione enim titulorum sive beneficiorum, sola ratio administrationis, non mens Ecclesiae, non indoles bonorum immutata fuit: hinc non ad solos usus clericorum, sed ad ea etiam, quae aliarum portionum erant objecta, nimirum ad cultum divinum, pauperes, fabricam Ecclesiae etc. sunt impendenda ita, ut nihil superfluum sit eis, de quo disponant.

Demum si antiqua bonorum indoles, et jus bonorum fuisset mutatum, uti mutata est erectione beneficiorum ratio administrationis, frustra, et inutiliter concilia, et Patres posteriores ad antiquos provocassent canones beneficiatos, uti saepissime faciunt. Sit pro omnibus Trid. (2) quod bona clericorum, cum in eorum manibus jam sunt, vocat *res Dei*, et ob hanc causam consanguineos ex iis ditari vetat: *cum*, inquit, *et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae res Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant.* Nec dicat quis heic loqui de reditibus Ecclesiae; nam PP. omnes, qui Concilio interfuerunt, illud extendunt ad reditus beneficiorum. Et hoc habetur etiam ex communi sensu omnium, atque perpetua Conciliorum, et Patrum traditione, ut videre est apud Navarrum. Pro praxi ex dictis facile erit colligere quod veniat nomine *pauperum* 1.° quaelibet causa pia pertinens ad cultum divinum; 2.° solutio debitorum, quae clericus etiam ex fine profano contraxit, si alia bona, vel media non suppetant; 3.° quaevis opera misericordiae tam corporalia, quam spiritualia; 4.° etiam, ii qui carent necessariis ad suum

(2) *Sess. XXV. cap. 1. de reform.*

statum. Insuper notandum 1.° quod clericus bona superflua, dummodo pauperes loci, vel Ecclesia particularis, in qua habet beneficium, gravem, aut extremam miseriam non patiantur, aut aliunde ipsis facile succurratur, poterit expendere alibi, 2.° potest etiam suis consanguineis, si pauperes sint, haec bona largiri, et dotem dare juxta suum statum consanguineis vere indigentibus, nepotem alere in studiis, si parens non possit. Juxta Navarrum denique, Molinam, et Sanchez assumptus ex humili statu ad Episcopatum, vel aliud pinguissimum beneficium, potest consanguineis amplius dare, ut secundum aliquem altiorem statum vivant, ratione dignitatis, ad quam consanguineus evehitur: cavendum tamen, ne prudentia carnis dominetur in his largitionibus, et ut observetur bulla Innocentii XII. Demum collige quod ut Beneficiatus, peccet graviter non expendendo superflua ad causas pias, communi DD. sententia requiratur longe major quantitas, quam in materia furti. Cardinalis de Lugo docet vigesimam partem superfluorum absque gravi peccato *profane* expendi posse. Quod aliqui limitant, nisi reditus essent valde ampli, aut esset contraria consuetudo similium beneficiatorum probatae, et exemplaris vitae.

Ecclesiarum Archiep. et Episcopal. hujus regni neap. juxta novissimam circumscriptionem ex litteris Apostolicis sub die 20 Julii anno 1818.

Ecclesiae Archiepiscopales cum suis suffraganeis.

Neapolitana Ecclesia habet suffraganeas. = Eccl. Acerrarum *Acerra*, Isclanam *Ischia*, Nolanam *Nola*, Puteolanam *Pozzuoli.*

Surrentina habet suffraganeam — Ecclesiam Stabianam *Castellamare.*

Capuana habet — Iserniensem *Isernia*, Calvensem *Calvi*, Suessanam *Sessa*, Casertanam *Caserta.*

Salernitana habet — Caputaquensem *Capaccio*, Policastrensem *Policastro*, Nuscanensem *Nusco*, Eccl. Nuceriae Paganorum *Nocera de' Pagani* et Marsicanam *Marsia.*

Acernensis *Acerno* quoque Ecclesiae, ac Dioecesis administratio Salernitano Archiepiscopo perpetuo committitur.

Amalphitensis *Amalfi* nullam suffraganeam habet.

Acheruntina *Acerenza* suffraganeas habet — Anglonensem, et Tursiensem *Anglona e Tursi*, Potentinensem *Potenza*, Tricaricensem *Tricarico*, Venusinensem *Venosa.*

Compsana *Conza* habet — Eccl. S. Angeli Lombardorum *S. Angelo de' Lombardi*, Loquedonensem *Lacedonia*, Muranensem *Muro.*

Beneventana Dominio Sedis Apostolicae etiam in temporalibus subjecta habet — Abellinensem *Avellino*, Arianensem *Ariano*, Asculanensem *Ascoli*, Bovinensem *Bovino*, Lucerinensem *Lucera*, S. Severi Cerratensem, et Telesinensem conjunctas *S. Severo di Cerreto e Telese unite*, Bojanensem *Bojano*, Thermularum *Termoli*, Larinensem *Larino*, S. Agathae Gothorum *S. Agata de' Goti.*

Sypontina *Manfredonia* nullam suffraganeam Ecclesiam habet: huic Antistiti vero Episcopalis Eccl. Vastanensis *Viesti* administratio perpetua tribuitur: ideoque nuncupatur Sypontinus Arch., et Vastanensis Ecc. Administrator.

Barensis habet — Bituntinensem *Bitonto*, Rubensem *Ruvo*, et Cupersanensem *Conversano.*

Tranensis *Trani* habet — Andriensem *Andria.*

Archiepiscopo Tranensi vero commissa fuit Episc. Eccl. Vigiliensis *Bisceglie* perpetua administratio: quapropter et Arch. Tra-

nensis, ac Vigiliensis Episcopalis Ecc. Administrator nuncupatur.

Tarentina *Taranto* habet — Castellanetensem *Castellaneta*, Uritanensem *Oria*.

Brundusina *Brindisi* nullam Ecc. suffraganeam habet. Ipsi vero addicta fuit perpetua administratio Ecc. Ostunensis *Ostuna*.

Hydrundina *Otranto* habet — Lyciensem *Lecce*, Uxentinensem *Ugento*, Gallipolitanensem *Gallipoli*.

Cusentinensis *Cosenza*, Rossanensis *Rossano*, et Tehatina *Chieti* suffraganeas non habent.

Ecc. S. Severinae habet — Cariatenensem *Cariati*.

Rheginensis *Reggio* habet — Hyeracensem *Gerace*, Bovensem *Bova*, Oppidensem *Oppido*, Cathacensem *Catanzaro*, Tropiensem *Tropea*, Nicoterensem *Nicotera*, Squillacensem *Sqillace*, Neocastrensem *Nicastro*, Cassanensem *Cassano*.

Lancianensis *Lanciano* nullam Ecclesiam suffraganeam habet; hujusce tamen Metropoliticae Sedis Archiepiscopo commissa fuit Ecclesiae Orthonensis perpetua administratio.

Ecclesiae Episcopales conjunctae.

Ecc. Acerrarum cum	**Ecc. S. Agathae Gothorum**
Theanensis	**Calvensi**
Materanensis *Matera*.	**Acheruntina**
Campaniensis *Campagna*	**Compsanensi**
Bisacciensis *Bisaccia*.	**Ecc. S. Angeli Lombardorum**
Alliphanensis *Alife*.	**Cerratanensi, et Thelesinensi**
Rubensis	**Bituntinensi *Bitonto***
Nicoterensis.	**Tropiensi**
Orthonensis *Ortona*.	**Lancianensi**
Pontis Corvi, et Aquinatensis.	**Sorana *Sora***
Gravinensis	**Ecc. Montis Pelusi**
Sarnensis	**Cavensi**
S. Marci.	**Bisinianensi *Bisignano***

Juvenacensis *Giovinazzo*, et Therlitiensis *Terlizzi* cum Melphietensi *Molfetti*.

Ecc. Parochialis Ceriniolae *Carignola* erecta fuit Cathedralis, et conjuncta aeque principaliter cum Asculanensi.

Illud vero est animadversione dignum, quod in Episcopalium Sedium consociatione antiquioris Ecclesiae titulum prius nominari mos fuit. Quum vero Pastores jurisdictionis actum exercent ad alterutram pertinentem, tunc ea Ecclesia prius designanda, quam ipse actus respicit. Ex. gr.

Ecc. Gravinensis, et Montis Pelusii — Calvensis, et Theanensis — Nicoterensis, et Tropiensis — Aquinatensis, Sorana, et Pontis Corvi — Melphictensis, Juvenacensis, et Therliticnsis — Asculanensis, et Ceriniolae — Sarnensis, et Cavensis — Marsicensis, et Potentinensis — Rubensis, et Bituntinensis — S. Marci, et Bisinianensis.

Ecclesiae Episcopales Apostolicae Sedi immediate subjectae

Cajetana — Sorana — Montis Pelusii — Cavensis — Monopolitana *Monopoli* — Melphictensis — Bisinianensis — Aquilana — Aprutina *Teramo* — Aversana — Miletensis *Mileto* — Valvensi, et Sulmonensis *Valva e Sulmona* — Pennensis, et Atriensi *Penne ed Atri* — Melphiensis, et Rapollensis *Melfi e Rapolla* — Trojana *Troja* — Neritonensis *Nardò* — Triventina *Triventi* — Marsicana *Marsi.*

Ecclesiae Episcopales suppressae	*Ecc. Arch., et Episc. conjunctae.*
Ecc. Massalubrensis cum . .	Ecc. Surrentinensi
Vicana	Ecc. Surrentinensi
Capritana	Ecc. Surrentinensi
Literanensis *Lettere*	Ecc. Stabiana
Venafrensis *Venafro*	Iserniensi *Isernia*
Carinolensis *Carinola*	Suessana *Sessa*
Calatinensis *Cajazzo*.	Casertana
Montis Marani.	Nuscanensi *Nusco*
Scalensis Minorensis Ravallensis	Amalphitensi *Amalfi*
Lavellensis	Venusina
Satrianensis.	Compsanensi
Montis Viridis.	S. Angeli Lombardorum
Trivicanensis *Trevico*	Laquedoniensi
Vulturariensis, et Montis Corbini	Lucerinensi
Guardiensis *Guardia Alfieri* . .	Ecc. Thermularum
Bitectensis *Bitetto*	Barensi
Nazarena, et Cannensis *Canne*.	Tranensi
Minervinensis *Minervino*. . . .	Andriensi
Motulensis *Motula*.	Castellanetensi
Castrensis *Castro*	Hydruntina
Alexanensis *Alessano*	Uxentinensi

Belcastrensis *Belcastro*	Ecc. S. Severinae
Geruntinensis *Carenza*. . . .	Cariatenensi
Strongulensis *Strongoli*. . . .	
Umbriaticensis *Umbriatico*. .	
Insulanensis *Isola*	Cotronensi
Marturanensis *Martorano* . . .	Neocastrensi
Fundana *Fondi*.	Cajetana
Polignanensis *Polignano*	Monopolitana
Ecc. Civitatis Ducalis	Aquilana
Camplensis *Campli*.	Aprutina
Abbatiae	Montis Cassinensis SS. Trinitatis Cavensis Montis Virginis
Praepositura	S. Mariae *la Mena* nuncupata civitatis Altimuri
Prioratus	S. Nicolai Barensis

RECENSIO

CAPITUM ET CONCLUSIONUM, QUAE HOC III. TOMO CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS.

LIBER SECUNDUS.

ERRATA CORRIGE.

Pag. 5. *vers.* 22. Haebreis - *lege* Hebraeis — *pag.* 6. *vers.* 18. Superstruerunt - Superstruxerunt — *pag. ibi vers.* 32. ipseque - ipsaeque — *pag. ibi v.* 9. materiam et formam - materia et forma — *p.* 9. *v.* 22. diffideri non potest - diffidere non possumus — *pag.* 11. *vers.* 47. materiam, et formam vel... definitam - materia et forma an... definita sit — *pag.* 12. *v.* 1. Hebreos - Hebraeos — *p.* 13. *vers.* 20. Pasticipant - Participant — *pag. ibi vers.* 24. Aliude - Aliunde — *pag.* 14. *vers.* 32. Estate - Æstate — *pag.* 15. *vers.* 21. Regula - Regulam — *pag.* 17. *vers.* 24. Communis - Communiter — *pag.* 18. *vers.* 29. Alia quae - Aliaque — *pag.* 20. *vers.* 4. Quiliter - Qualiter — *pag. ibi vers.* 31. Mandans - Mandante — *pag.* 21. *vers.* 14. Positiva - positive — *pag. ibi vers.* 31. Paroccianis - Parochianis — *pag.* 23. *vers.* 11. Natorum - Novatorum — *pag.* 24. *vers.* 5. Preterito - Praeterito — *pag. ibi vers. ibi* Presenti - Praesenti — *pag.* 31. *vers.* 8. Demoni - Daemonis — *pag.* 32. *vers.* 10. Impenitens - Impoenitens — *pag.* 32. *vers.* 33. Attrictione - Attritione — *pag.* 41. *vers.* 23. Permultis quae - Permultisque — *pag.* 40. *et* 41, *vers.* 1. Quis videt obeundi ritus sacri sunt, excipiendi et spectandi - Quis non videt obeundos ritus sacros esse excipiendos et spectandos — *pag.* 41. *vers.* 5. Culpe - Culpae — *pag. ibi vers.* 11. Nonnulla - Nonnullis — *pag.* 46. *vers.* 27. D. Thomas - Apud D. Thomam — *pag. ibi vers.* 32. Proxim - Praxim — *pag.* 49. *vers.* 33. Instituiti - Instituti — *pag.* 33. *vers.* 24. Dicti catechistae - Qui dicti sunt catechistae — *pag.* 57. *vers.* 21. Prohibetur - Prohiberi — *pag. ibi vers.* 6. Quam comprehendere intelligitur - Qua comprehendi intelligitur — *pag.* 59. *vers.* 10. Debita Parocho - Debent a Parocho — *pag. ibi vers.* 20, Nativitatem ostendendam - Nativitas ostendenda — *pag. ibi vers.* 30. Ita - Constat — *pag.* 60. *vers.* 27. Mensem transcuret - Mensis transcurrat *pag.* 63. *vers.* 11. Ecciesia - Ecclesia — *pag. ibi vers.* 19. In substantia - Substantiam — *pag.* 64. *vers.* 12. Unctio - Unctio fit — *pag. ibi vers.* 24. Sacramentum - Sacramento — *pag. ibi vers.* 3. *et* 4. Eucharistia omnibus exequo - Eucharistiam ab omnibus aeque — *pag. ibi vers.* 20. Collata - Collatae — *pag.* 65. *vers.* 25. Differens - Differendo — *pag.* 67. *vers.* 12. Censei - Censet — *pag.* 73. *vers.* 5. Sentierunt - Senserunt — *pag.* 74. *vers.* 28. Sentivit - Sensit — *pa.* 79. *vers.* 8. Consensiat - Consentiat — *pag. ibi vers.* 30. Sit - † — *pag.* 87. *vers.* 1. Praeceptatam - Praeceptam — *pag. ibi vers.* 17. Delata - Delatam — *pag.* 89. *vers.* 27. Discendentes - Descendentes — *pag. ibi vers.* 9. *et* 10. Divinam institutionem. ... Immolationem - Divina institutio. . . Immolatio — *pag.* 92. *vers.* 25. *et* 27. Tantum... Quam - Tantum,... Quantum — *pag. ibi vers.* 29. Contractae - Contracta — *pag.* 93. *vers.* 7. Nactum - Natum — *pag.* 102. *vers.* 13. Extimatione - Existimatione — *pag.* 104. *vers.* 15. Numerus - Numerum — *pag.* 107. *vers.* 27. Traducere - Reducere — *pag.* 108. *vers.* 16. Concelebratum fecisse - Concelebratum fuisse — *pag.* 109. *vers.* 23. In aliqua Parochiis - In aliquibus Parochiis — *pag.* 118 *vers.* 1. Proxim - Praxim — *pag.* 126. *vers.* 8. Consonat - Consonant — *pag. ibi vers.* 10. Tenentur - Teneri — *pag. ibi vers.* 13. Approbati - Approbatos — *pag.* 128. *vers.* 24. Virus suos - Virus suum — *pag.* 129. *vers.* 15. Facta - Factam — *pag.* 131. *vers.* 19. Et ista - Et ita — *pag.* 132. *vers.* 29. Anathematizantes - Anathematizant — *pag.* 138. *vers.* 20. Aegres - Aegros — *pag.* 147. *vers.* 25. Editum - Edito — *pag.* 148. *vers.*

1. Ut ipsi - Ut ipsis — *pag. 152. vers. 17*. Determitat - Determinat — *pag. 156. vers. 11*. Justa - Juxta — *pag. 159. vers. 27. et 30*, Hyeronimum .... Hyeronimo - Hieronymum. . . Hieronymo — *pag. ibi vers. 32*. Qui ei timere - Quem ei temere — *pag. 160- vers. 28*. Vide Tournel, et Clercatum - Vide Tournely, et Clericatum — *pag. 171. vers. 25*. Ipse S. Doctor - Ipsum S. Doctorem — *pag. ibi vers. 28*. In Episcopo - In Episcopio — *pag. 177. vers. 17*. Fecerit - Fecerint — *pag. 178. vers. 12*. Illum - Ille — *pag. 179. vers. 6*. Quo cum - Quocum — *pag. ibi vers. 11*. Tituto - Titulo — *pag. 180. vers. 18*. Transferenda - Transferendo — *pag. 181. vers. 14. et 15*. Ordinationibus expressum - Ordinationis Expressam — *Pag. ibi vers. 22*. Nonnisi - Nonnulli — *Pag 184. vers. 8*. Aggentes - Agentibus. — *Pag. ibi vers. 17* disserentes - disserendo — *Pag. 189, vers. 2*. Redditibus - Reditibus — *Pag. 213. vers. 6*. Deroget - Deneget — *Pag. 216. vers. 11*. Fessi sunt - Fassi sunt — *Pag. ibi vers. 20*. Saeculos - Saecula — *Pag. 242. vers. 22*. Confer comes - Confer Comitem — *Pag. 255. vers. 5*. Esse faciendum - Esset faciendum — *Pag. 255 v. 5*. Dixerit - Dixerint — *Pag. 262. vers. 27*. Si Parentis - Si parentes — *Pag. 273. vers. 14*. Aequae - Aeque — *Pag. 274. 11*. dispensationes Denuntiationes — *pag. 275 vers. 34* Has ... exibuisse - Hos ... Exhibuisse — *pag. 282. vers. 29*. Esterno - Externo — *pag. ibi vers. 7*. Dici - Dicit — *pag. 284. vers. 2*. Usa fuit - Usum fuisse — *pag. 286. vers. 26*. Retraciant - Retractant — *pag. 289. vers. 5*. Alterus - Alterius — *pag. 291. vers. 19*. A Sponsa - Sponsa — *pag. ibi vers. 24*. A consanguinei - Et Consanguinei — *pag. 293. vers. 18*. fratruum - fratrum — *pag. 304. vers. 23*. Vexam - Vexationem — *pag. 315. vers. 2*. Ut - et — *pag. 325. vers. 15*. Religioni - Religionis — *pag. 328. vers. 17*. Societatem - Societas — *pag. 331. vers. 9*. Regula - Regulam — *pag. 395, vers. 12*. Subjicientur - Subjiciantur.

ajae *prosocerum* et *prosocrum*. Ipse vero a patre, ppellatur *gener* : ab avo et avia Cajae *progener* l. 3. t *affin*.

nes l. 4. §. 6. *de grad.* ibi traducuntur etiam ad ca- Generi et nurus appellatione Sponsus quoque, et r: item soceri et socrus appellatione sponsorum pa- videntur.

Pro linea recta descendentium.

Caji ex priore matrimonio nati respectu Cajae sunt igna : et Caja relate ad eos *Noverca*. Similiter filius riore matrimonio nati relate ad Cajum sunt *privi-* . l. 4. §. 4. *de gradib.*

Pro linea obliqua collateralium.

appellatur *levir* : soror mariti *glos.* idem usurpatur re uxoris. Verum sicut Caji mariti fratres et soror fratrem : ita uxorem fratris Caji vocant *Fratriam*, Cajo una caro effecta est: et sicut frater, et sorores ellant Sororem, ita et ejus maritum vocant soro- atrum uxores *Janitrices* dicuntur cit. l. 4. §. 6. et mariti *congeneres*.

e
e
n

THS.